Sc. sup. 25. Pl. 3.


BIBLIOTECA

THEOLOGIA
MORALIS
QUADRIPARTITA,
Incipientibus accommodata,

ET

In Aula Theologica S. J.
Treviris publicè
expoſita

à R. P. JOANNE REUTER
Ejusdem Societatis, SS. Theologiæ
Doctore in Univerſitate Tre-
virenſi, & Profeſſore publico,

NUNC
IN USUM ET UTILITATEM
plurium Typis data

Cum prævia Analyſi
DOCTRINÆ MORALIS à SEDE
APOSTOLICA REPROBATÆ.

PARS II.

Editio Secunda Auctior & Emendatior.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Ex Officina METTERNICHIANA
Sub Signo Gryphi Anno MDCCLVI.
Cum Privilegio Sac. Cæſ. Majeſtatis Speciali,
& Permiſſu Superiorum.

PARS II.

De Virtutibus Theologicis, & Moralibus à Juſtitia diſtinctis.

PROLEGOMENA.

De Virtutibus in Genere.

CUm Deus, qui creavit omnia in gloriam ſuam, elevaverit nos ad ſtatum ſupernaturalem, adoptaveritque in filios, & regni ſui cœleſtis hæredes per gratiam ſuam in Chriſto Unigenito Filio ſuo, & voluerit adultos rationis compotes ad eum finem per convenientem cooperationem pervenire; nos autem per ſolius naturæ vires, prout oportet, eò cooperari non valeamus; congruum fuit, ut principiis ſtabilibus, quibus ad operationes ſupernaturales elevaremur, nos inſtrueret. Quæ principia virtutes dicuntur, quia vigorem operandi nobis præſtant, redduntque nos in ſuo genere bonos, & operationes noſtras bonas: unde virtus in genere definitur: *Qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & quâ nemo malè utitur*: Vel: *Quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum.* Id eſt, habitus eſt perficiens, & adjuvans potentiam, cui inhæret, ad operationem bonam, Quod quia duplici modo fieri poteſt, nempe vel facilitando tantùm potentiam, jam ante ad operationes exercendas completam; vel eam ad illas exer-

cendas in ſe incompletam & inſufficientem, elevando & complendo. Hinc virtus alia naturalis, alia ſupernaturalis eſt; naturalis eſt vis, ſeu qualitas naturalis operativa, potentiæ jam completæ ſuperveniens; quia vel per actus frequentatos acquiſita, vel per accidens infuſa. Et hæc dat tantùm facilè poſſe. Supernaturalis eſt vis, vel qualitas permanens, per ſe infuſa, ſeu excedens vires, exigentiamque naturæ creatæ omnis, tenens ſe ex parte potentiæ vitalis, eamque elevans ad actus per ſe conducentes ad finem ſupernaturalem, ſeu vitam in cœlis æternam. Et hæc dat ſimpliciter poſſe, utpote potentiam complendo, ad actus ſupernaturales incompletam, diciturque ordinare ſuum ſubjectum, cui inhæret ad perfectam, ſupernaturalemque beatitudinem. Quia autem potentiæ, quibus ad finem noſtrum ſupernaturalem per actus pariter ſupernaturales tendere convenienter nos oportet, ſunt intellectus & voluntas; hinc virtus etiam ſupernaturalis alia eſt intellectualis, quæ intellectum ad actus ſupernaturales veros; alia appetitiva, quæ voluntatem complet, & elevat ad actus ſupernaturales honeſtos, quibus in Deum finem noſtrum tendamus, eique conjungamur: Ipſe enim eſt beatitudo noſtra, unicum bonum noſtrum, cui niſi conjungamur, nec boni, nec beati eſſe poſſumus, ſicut nulla res lucida, nulla dulcis conſtituitur, niſi cum luce, cum dulcedine conjungatur.

Demum, quia potentiæ noſtræ, intellectus nempe & voluntas, non tantùm circa finem, ſed etiam circa media verſari debent & comprincipiis ad utrumque egent; hinc virtutes aliæ ſunt Theologicæ, quæ pro objecto immedia-

mediato formali motivo perfectionem aliquam divinam habent; aliæ morales, quæ pro objecto formali habent honeſtatem creatam actionis, vel omiſſionis moralis, de utrisque hic Tractatus erit ordine, quem ſubjicio.

DIVISIO ET SERIES PARTIS II.

TRACTATUS I.

De Virtutibus Theologicis.

DISSERTATIO I.

De Fide Theologica.

CAPUT I.

De Quidditate, Objecto, & Proprietatibus Fidei Theologicæ.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex ſit Fides Theologica? Num. 1
Quæſt. II. Quodnam ſit objectum tum materiale, tum formale Fidei Theologicæ? n. 3
Quæſt. III. Qualis debeat eſſe actus Fidei Theologicæ? n. 4
Quæſt. IV. Quæ prærequirantur ad eum eliciendum? n. 6
Quæſt. V. An, & ex quibus motivis ſit evidens, ſolam Religionem, ſeu Fidem Romano-Ca-

no-Catholicam eſſe unicè prudenter credibilem, & à Deo profectam? n. 9.

CAPUT II.

De Regula Fidei Theologicæ.

Quæſt. I. Quæ ſit infallibilis credendorum regula? n. 22

Quæſt. II. Quid ſit Eccleſia, viva fidei regula, & quæ ejus membra? n. 23

Quæſt. III. Quæ generatim de S. Scriptura, præcipuâ fidei regulâ, ſint obſervanda? n. 24

Quæſt. IV. Quid ſit traditio, & quæ ad regulam fidei pertineat? n. 25

Quæſt. V. Quale Concilium ſuis definitionibus pertineat ad univerſalem fidei regulam? n. 27

Quæſt. VI. Quid de authoritate Patrum Eccleſiæ hìc obſervandum? n. 29

Quæſt. VII. In quid tandem immediatè, & ultimò Fides Theologica ſit reſolvenda? n. 30

CAPUT III.

De neceſſitate Fidei Theologicæ.

Quæſt. I. An, & quomodo Fides actualis Theologica ſit neceſſaria ad juſtificationem, & ſalutem? n. 31

Quæſt. II. Quæ objecta pro conſequenda juſtificatione, & ſalute neceſſitate medii ſint credenda fide ſupernaturali explicita, ſeu in particulari? n. 34

Quæſt. III.

Quæſt. III. Quæ ſint neceſſariò credenda & ſcienda neceſſitate præcepti ſpecialis? n. 37
Quæſt. IV. Quandonam obliget præceptum ſpeciale fidei internæ? n. 40
Quæſt. V. Quandonam ſit obligatio fidem externè profitendi? n. 41

CAPUT IV.

De peccatis Fidei oppoſitis.

Quæſt. I. Quænam ſint peccata fidei oppoſita? n. 43
Quæſt. II. Quomodo dividatur infidelitas poſitiva? n. 44
Quæſt. III. Quid ſit hæreſis formalis, ſtrictè, & in ſenſu Eccleſiæ accepta? n. 46

CAPUT V.

De poteſtate Eccleſiæ in Infideles, communicatione cum iis, & pœnis Hæreticorum.

Quæſt. I. Quæ ſit penes Eccleſiam poteſtas Infideles adducendi ad fidem, eos corrigendi, & tolerandi? n. 48
Quæſt. II. An liceat communicare cum Infidelibus? n. 53
Quæſt. III. Quibus liceat diſputare, aut agere de rebus fidei cum hæreticis? n. 54
Quæſt. IV. Quæ ſint pœnæ Hæreticorum, jure communi ſtatutæ? n. 55

DISSERTATIO II.

De Spe Theologica, & peccatis illi oppoſitis.

CAPUT I.

De Quidditate, & Objecto Spei Theologicæ.

Quæſtio I. Quid ſit Spes Theologica? N. 56
Quæſtio II. Quodnam ſit objectum materiale ejus? n. 57
Quæſtio III. Quodnam ſit objectum formale ejus motivum? n. 58

CAPUT II.

De Proprietatibus, & neceſſitate Spei Theologicæ.

Quæſtio I. Quæ ſint proprietates Spei Theologicæ? n. 62
Quæſtio II. An, & quomodo ſit neceſſariâ ad juſtificationem, & ſalutem? n. 63
Quæſtio III. Quando præceptum Spei per ſe, & quando per accidens obliget? n. 64

CAPUT III.

De peccatis Spei oppoſitis.

Quæſtio I. Quæ ſint peccata Spei oppoſita? n. 65
Quæſtio II. Quid ſit deſperatio? n. 66

Quæſtio

Quæſtio III. Quid ſit præſumptio, Spei oppoſita? n. 67

DISSERTATIO III.

De Charitate Theologica.

CAPUT I.

De Quidditate, & objecto Charitatis.

Quæſtio I. Quid ſit Charitas Theologica? n. 71

Quæſtio II. Quid ſit objectum materiale Charitatis Theologicæ? n. 73

Quæſtio III. Quodnam ſit objectum formale charitatis, & quæ hujus perfectio? n. 74

CAPUT II.

De formali effectu, & actibus charitatis, horumque efficacia.

Quæſtio I. An Charitas Theologica filiationem adoptionis Divinam fundet in homine, veramque amicitiam Deum inter, & illum? n. 79

Quæſtio II. Quinam ſint actus Charitatis, eorumque gradus, & proprietates? n. 80

Quæſtio III. An amor Dei, ſuper omnia propter ſe dilecti, & contritio, Charitate perfecta, juſtificet peccatorem extra Sacramentum, quamprimùm exiſtit? n. 82

Quæſtio IV. An actus charitatis, ut extra Sacramentum juſtificet, debeat eſſe depuratus à ſpe, & timore? n. 83

CAPUT III.

De Præcepto Charitatis.

Quæſtio I. An detur præceptum charitatis per ſe obligans, & quando tum per ſe, tum per accidens obliget? n. 87
Quæſtio II. Ad quid præceptum charitatis univerſim obliget, & quomodo in hac vita impleri poſſit? n. 90
Quæſtio III. An detur præceptum ſpeciale diligendi proximum actu etiam interno, quomodo, & ad quid obliget? n. 94
Quæſtio IV. An, & quando charitas obliget ad correctionem proximi fraternam? n. 98
Quæſtio V. An, & quando charitas obliget ad eleëmoſynam corporalem? 104

CAPUT IV.

De Ordine Charitatis.

Quæſtio I. An, & qualis ordo charitatis ſervari ex obligatione debeat? n. 113
Quæſtio II. In quibus quiſque teneatur ſeipſum magis diligere, quàm proximum, & contra? n. 114
Quæſtio III. An, & quis ex proximis juxta ordinem charitatis magis diligendus ſit, quàm alter? n. 120

CAPUT V.

De peccatis, Charitati ſpecialiter oppoſitis.

Quæſtio I. Quæ peccata charitati ſint ſpecialiter oppoſita? n. 123.

Quæſtio

Quæſtio II. Quid, & quotuplex ſit odium Dei, & proximi, & quale peccatum? n. 124

Quæſtio III. Quid ſit acedia, invidia, diſcordia, contentio, ſchiſma, ſeditio, bellum, rixa, ſuſurratio, duellum. n. 126

Quæſtio IV. Quid, & quotuplex ſit ſcandalum, & quale peccatum? n. 127

Quæſtio V. An, & quandonam ſit ſub peccato ſcandali obligatio omittendi opus, de ſe non malum, nec ſpeciem mali habens, quòd prævidetur fore occaſio peccati in proximo? n. 131

Quæſtio VI. An ſub peccato ſcandali aliquando ſit obligatio omittendi opus bonum, ad ſcandalum paſſivum evitandum? n. 132.

Quæſtio VII. An liceat aliquando petere ab alio actionem, quâ putatur peccaturus? n. 133

Quæſtio VIII. An liceat aliquando cooperari materialiter alterius peccato ſubminiſtrando materiam, vel operam ſuam non malam? n. 135

TRACTATUS II.

De virtutibus moralibus tum in genere, tum in ſpecie de prudentia, & fortitudine virtutibusque huic annexis.

CAPUT I.

De virtutibus moralibus in genere: & de prudentia, peccatiſque huic oppoſitis.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit virtus moralis? n. 139

Quæſtio

Quæſtio II. Quid, & quotuplex ſit prudentia, & quæ ejus functiones? n. 141

Quæſtio III. Quæ ſint peccata prudentiæ oppoſita? n. 145

CAPUT II.

De fortitudine, virtutibus illi annexis, & peccatis oppoſitis.

Quæſtio I. Quid ſit fortitudo, & quæ peccata illi oppoſita, & virtutes annexæ? n. 146

Quæſtio II. Quid ſit magnanimitas, magnificentia, & quæ peccata illis oppoſita? n. 147

Quæſtio III. Quid ſit humilitas, qui ejus actus, quæ incitamenta, & peccata illi oppoſita? n. 150

Quæſtio IV. Quid ſit patientia, qui ejus gradus, quæ ad eam incitamenta, & peccata illi oppoſita? n. 155

Quæſtio V. Quid ſit perſeverantia, ſeu conſtantia, & quæ peccata illi oppoſita? n. 159

TRACTATUS III.

De Temperantia, virtutibuſque illi annexis, & peccatis oppoſitis.

CAPUT I.

De temperantia cibi & potûs, ſeu abſtinentia, & ſobrietate.

Quæſtio I. Quid ſit Abſtinentia, & ſobrietas? n. 161

Quæ-

Quæſtio II. Quæ ſit menſura abſtinentiæ, & ſobrietatis? n. 162
Quæſtio III. Quæ ſint peccata abſtinentiæ, & ſobrietati oppoſita? n. 163

CAPUT II.

De Jejunio Eccleſiaſtico.

Quæſtio I. Quænam requirantur ad Jejunium Eccleſiaſticum? n. 164
Quæſtio II. Quomodo, & quos lex Jejunii Eccleſiaſtici obliget? n. 166
Quæſtio III. Qualis, & quo tempore liceat cœnula, ſeu collatiuncula? n. 174
Quæſtio IV. An die jejunii extra refectionem, & cœnulam liceant potus, electuaria, fructus? &c. n. 175
Quæſtio V. An, qui ſemel fregit jejunium, poſſit eodem die ſæpius comedere, vel peccet per iteratas comeſtiones? n. 176
Quæſtio VI. Quæ cauſæ excuſent à jejunio quoad plures refectiones? n. 177
Quæſtio VII. Quæ cauſæ excuſent à jejunio quoad abſtinentiam à carnibus? n. 184
Quæſtio VIII. An, cui licet ſecunda refectio, vel eſus carnium, hoc ipſo liceant plures refectiones? n. 185
Quæſtio IX. Quæ præterea ſint circa jejunium obſervanda. n. 187

CAPUT

CAPUT III.

De temperantia voluptatis venereæ, ſeu de caſtitate, & peccatis illi oppoſitis.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit caſtitas, & virginitas? n. 188

Quæſtio II. Quæ ſint peccata caſtitati oppoſita? n. 190

Quæſtio III. Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ naturalis? n. 191

Quæſtio IV. Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam? n. 198

Quæſtio V. An pollutio ſit ſic intrinſecè mala, ut nullo caſu liceat eam intendere directè, vel procurare? n. 199

Quæſtio VI. An omnis delectatio venerea plenè deliberata extra conjugium ſit lethalis? n. 201

Quæſtio VII. An ſit peccatum mortiferum, poſt ſufficientem advertentiam negativè ſe habere ad delectationem veneream exortam, eam neque approbando, neque reprobando? n. 206

Quæſtio VIII. An delectatio venerea de actu luxuriæ, v. g. de copula, tactu, oſculo contrahat præter propriam malitiæ ſpeciem, etiam aliam v. g. adulterii, inceſtûs, ſacrilegii ex qualitate perſonæ, circa quam verſatur? n. 207

Quæſtio IX. An delectationes ſimplices in materia venerea diſtinguantur ſpecie morali, in Confeſſione explicandæ? n. 209

Quæſtio X. An, & quando peccata mortalia ſint

ſint oſcula, tactus, amplexus, aſpectus? n. 210

Quæſtio XI. Quale peccatum ſit turpes cogitationes non excludere, turpes miſcere ſermones, vel canere obſcœnas cantilenas, ad ea ridere, cum altero ſexu ſaltare? n. 213

Quæſtio XII. An, & quando pollutio vel commotio venerea imputetur ad culpam illi, qui actione aliquâ ſua dat illi cauſam? n. 218

Quæſtio XIII. Quæ de pollutione nocturna ſint notanda? n. 221

CAPUT IV.

De virtutibus temperantiæ affinibus.

Quæſtio I. Quæ virtutes ſint temperantiæ affines? n. 222

Quæſtio II. Quid ſit manſuetudo, clementia, modeſtia, & quæ peccata illis oppoſita? n. 223

Quæſtio III. Quid ſit ſtudioſitas, Eutrapelia, circumſpectio, & quæ peccata illis oppoſita? n. 226

CAPUT V.

De reliquis virtutibus moralibus, à juſtitia, & religione diſtinctis.

Quæſtio I. Quid ſit pietas, obſervantia, obedientia, & quæ peccata illis oppoſita? n. 228

Quæſtio II. Quid ſit gratitudo, liberalitas, affabilitas, & quæ peccata illis oppoſita? n. 231

Quæſtio III. Quid ſit veritas, ſeu veracitas, quid mendacium illi oppoſitum, & hoc quâ ratione malum? n. 234

Quæſtio IV. An, & quando amphibologia, reſtrictioque mentalis ſit licita, & excuſet à mendacio? n. 239

Quæſtio V. Quid ſit miſericordia? n. 245

TRACTATUS IV.

De Virtute Religionis.

CAPUT I.

De cultu religionis, qui Deo exhibetur per adorationem, orationem privatam, & publicam, ſeu Horas Canonicas.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit adoratio, & devotio? n. 247

Quæſtio II. Quid, & quotuplex ſit oratio? n. 248

Quæſtio III. Quid, & quot ſint Horæ Canonicæ? n. 250

Quæſtio IV. Quinam teneantur ad Horas Canonicas? n. 252

Quæſtio V. Quo tempore Horæ Canonicæ ſint perſolvendæ? n. 257

Quæſtio VI. Quale officium ab obligatis ad Horas ſit perſolvendum? n. 258

Quæſtio VII. Quo modo Horæ Canonicæ ſint perſolvendæ? n. 261

Quæſtio VIII. Quâ intentione, attentione, ſeu devotione tum in- & externâ? n. 263

Quæ-

Quæſt. IX. Quænam excuſent ab Horis Canonicis ? n. 271
Quæſt. X. Ad quid teneatur, qui Horas Canonicas omiſit, aut dubitet, an aliquid omiſerit, vel Horam recitârit ? n. 272
Quæſt. XI. Quid pro ſcrupuloſis hîc ſit notandum ? n. 274

CAPUT II.

De cultu Religionis, qui Deo exhibetur aſſiſtendo Sacrificio Miſſæ, abſtinendoque à ſervilibus, aliis laboribus diebus feſtis, & Dominicis prohibitis ?

Quæſt. I. Quinam teneantur ex præcepto Eccleſiæ diebus Dominicis, & feſtis intereſſe Sacrificio Miſſæ ? n. 278
Quæſt. II. Quænam requirantur, ut præcepto audiendi Miſſam ſatisfiat ? n. 279
Quæſt. III. An ſit obligatio audiendi Miſſam in Eccleſia Parochiali ? n. 285
Quæſt. IV. An in Oratorio privato domini ſæcularis, vel privati Clerici ſatisfaciant præcepto de audienda Miſſa alii, non privilegiati, quando alibi intereſſe poſſunt Sacro in Eccleſia ? n. 286
Quæſt. V. Quæ cauſæ excuſent ab auditione Miſſæ ? n. 288
Quæſt. VI. Quænam opera diebus Dominicis, & Feſtis ſint prohibita, & ſub quo peccato ? n. 291
Quæſt. VII. Quæ cauſæ excuſent ab obligatione abſtinendi à laboribus vetitis in diebus feſtis, & Dominicis ? n. 295

Quæſt. VIII. Quomodo peccet, qui ſine legitima cauſa diebus feſtis imponit aliis labores prohibitos? n. 296

CAPUT III.

De cultu Religionis, qui Deo exhibetur per juramenta, horumque obſervationem.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex ſit Juramentum? n. 298

Quæſt. II. Quæ verba ſignificent, & quæ per ſe non ſignificent Juramentum? n. 302

Quæſt. III. Quænam requirantur, ut Juramentum ſit licitum, & honeſtum? n. 303

Quæſt. IV. Quomodo jurando peccetur, ſi una ex prædictis conditionibus deſit? n. 305

Quæſt. V. An in Juramento uti liceat fictione, amphibologiâ, & reſtrictione mentali? n. 309

Quæſt. VI. Sub quo peccato obliget Juramentum promiſſorium verum, & ſpontaneum? n. 316

Quæſt. VII. Quæ conditiones in Juramento promiſſorio tacitè ſubintelligantur? n. 319

Quæſt. VIII. An, & quando obliget Juramentum injuſtè extortum, fictum, & doloſum? n. 322

Quæſt. IX. Quibus modis tollatur obligatio Juramenti promiſſorii jam contracta? n. 325

Quæſt. X. An obligatio Juramenti promiſſorii tranſeat ad hæredes? n. 326

***

CAPUT

CAPUT IV.

De Cultu Religionis, qui Deo exhibetur per vota, à votis Religioſis diſtincta, eorumque obſervationem?

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit votum? n. 327
Quæſtio II. Quæ requirantur, ut votum jure naturæ, & Eccleſiaſtico ſit validum? n. 328
Quæſtio III. Quanta ſit obligatio voti? n. 336
Quæſtio IV. Quosnam votum obliget? n. 340
Quæſtio V. Pro quò tempore obliget? n. 342
Quæſtio VI. Qualis ſit obligatio voti abſoluti, & quomodo interpretanda? n. 344
Quæſtio VII. Qualis ſit obligatio voti conditionati, & quomodo exponenda? n. 346
Quæſtio VIII. Qualis ſit obligatio voti pœnalis, & quomodo interpretanda? n. 347
Quæſtio IX. An, & qualis ſit obligatio voti dubii, & quomodo exponenda? n. 348
Quæſtio X. Quibus modis tollatur obligatio voti? n. 350
Quæſtio XI. Quæ vota, & à quibus irritari poſſint? n. 352
Quæſtio XII. Quinam poſſint in votis diſpenſare? n. 360
Quæſtio XIII. Quinam poſſint vota commutare? n. 367

* * * *

CAPUT V.

De cultu Dei per ſtatum, & vota Religioſa.

Quæſtio I. Quid ſit ſtatus Religioſus? n. 376
Quæſtio II. Quotuplicia ſint vota Religioſa? n. 377
Quæſtio III. Quæ requirantur ad validam Profeſſionem Religioſam? n. 379
Quæſtio IV. Qui ſint effectus Religioſæ Profeſſionis? n. 380
Quæſtio V. An Papa poſſit diſpenſare in votis Religioſis? n. 381
Quæſtio VI. Quæ ſint obligationes Religioſorum? n. 382
Quæſtio VII. Ad quæ poſſit Superior Religioſus obligare? n. 383

CAPUT VI.

De cultu Dei per Beneficia Eccleſiaſtica.

Quæſtio I. Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum? n. 385
Quæſtio II. Quotuplicia ſint Beneficia Eccleſiaſtica, & quæ illorum origo? n. 386
Quæſtio III. Quot modis Beneficia acquirantur? n. 388
Quæſtio IV. Quæ requirantur ad legitimam ad illa præſentationem? n. 389
Quæſtio V. Quæ ad legitimam inſtitutionem, electionem, & poſtulationem? n. 391

Quæſtio VI.

Quæſtio VI. Quæ ad legitimam collationem? n. 394
Quæſtio VII. Quæ ad legitimam Beneficiorum reſignationem? n. 398
Quæſtio VIII. Quæ ad legitimam permutationem? n. 400
Quæſtio IX. Quæ requirantur, ut quis idoneus, & habilis ſit ad Beneficium Eccleſiaſticum? n. 402
Quæſtio X. An, & quando unus poſſit habere licitè plura Beneficia? n. 403
Quæſtio XI. An, & quale peccatum ſit, ad Beneficium promovere indignum, aut minùs dignum, præterito digniore? n. 404
Quæſtio XII. Quomodo Beneficia amittantur? n. 409
Quæſtio XIII. Quæ ſint obligationes Eccleſiaſticorum, & Beneficiatorum? n. 410
Quæſtio XIV. Quid de Penſione Beneficiali ſit notandum? n. 417
Quæſtio XV. An Præbendæ Canoneſſarum Sæcularium ſint Beneficia Eccleſiaſtica, illæque teneantur ad Horas Canonicas? n. 419

CAPUT VII.

De cultu Religionis, qui Deo exhibendus eſt per reverentiam erga perſonas, & loca ſacra, ex immunitate Eccleſiaſtica debitam.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Immunitas Eccleſiaſtica? n. 420
Quæſtio II. Quinam, & quomodo Clerici Beneficio fori gaudeant? n. 421

Quæſtio III. Quæ loca, & quæ perſonæ gaudeant privilegio aſyli, & quæ ob crimina excepta non gaudeant? n. 422.
Quæſtio IV. Qui ſint favores, & effectus aſyli? n. 425

TRACTATUS V.

De peccatis Religioni oppoſitis.

CAPUT I.

De Superſtitione, ejuſque ſpeciebus.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Superſtitio? n. 427
Quæſtio II. Quid, & quotuplex ſit Idololatria? n. 430
Quæſtio III. Quid, & quotuplex ſit Divinatio? n. 432
Quæſtio IV. Quid ſit vana obſervantia, & quæ illius dignoſcendæ regulæ? n. 435
Quæſtio V. Quid Magia Diabolica, maleficium, & quomodo hoc licitè tolli poſſit? n. 438

CAPUT II.

De irreligioſitate, ejuſque ſpeciebus.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit blaſphemia? n. 441
Quæſtio II. Quid, & quotuplex, qualeque peccatum ſit tentatio Dei? n. 443
Quæſtio III. Quid, & quotuplex ſit Sacrilegium? n. 445

CAPUT

CAPUT III.

De Simonia.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Simonia? n. 452

Quæſtio II. Quid, & quotuplex ſit pretium Simoniacum? n. 455

Quæſtio III. Quæ ſit materia, ſeu merx pacti Simoniaci? n. 456

Quæſtio IV. Quale pactum conſtituat Simoniam? n. 463

Quæſtio V. An, & quando ſit Simonia pro ſpirituali dare, & facere temporale, tanquam motivum vel finem, aut compenſationem ſpiritualis, vel contra? n. 467

Quæſtio VI. Quibus præterea committatur Simonia in materia Beneficiorum? n. 474

Quæſtio VII. Quibus caſibus liceat redimere vexam, aut patrono hæretico dare pecuniam, vel tranſigere in materia beneficiali? n. 477

Quæſtio VIII. An Simonia etiam juſtitiæ repugnet, excuſarique poſſit per conſuetudinem, & quid in dubio de ea? n. 481

CAPUT IV.

De Pœnis Simoniæ.

Quæſtio I. Quæ pœnæ, & in qua materia ſint Simoniacis ab Eccleſia ſtatutæ? n. 485.

Quæſtio II. Per qualem Simoniam prædictæ pœnæ incurrantur? n. 486

Quæſtio III. Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam, in ordinum ſuſceptione, collatione, & ingreſſu religionis commiſſam? n. 487

Quæſtio IV. Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam communem in materia beneficiorum? n. 490
Quæſtio V. Quæ pœnæ incurrantur per Simoniacam promotionem per tertium ad beneficium? n. 491
Quæſtio VI. Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam confidentialem? n. 492
Quæſtio VII. An, & cui reſtituendum ſit pretium, Simoniacè acceptum? n. 493
Quæſtio VIII. An Spiritualia, Simoniacè accepta, ſit reſtituenda? n. 499
Quæſtio IX. Quis poſſit abſolvere à pœnis Simoniæ, vel in iis diſpenſare? n. 500
Quæſtio X. An obtentâ diſpenſatione in pœnis Simoniæ, poſſit Simoniacus retinere beneficium, ſine nova collatione? n. 501

TRACTATUS I.

DE
Virtutibus Theologicis.

CErtum eſt, tres dari virtutes Theologicas, unam intellectualem, duas appetitivas, nempe Fidem, quæ ad intellectum, Spem & Charitatem, quæ ad voluntatem pertinent: ait enim Apoſtolus 1. Cor. c. 13. *Nunc autem* (hoc eſt, in via) *manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum eſt Charitas.* Ratio eſt; quia cùm elevati ſimus ad finem ſupernaturalem, oportebat nos primò in eum tendere per cognitionem ſupernatura-

Cur tres dentur virtutes Theologicæ?

turalem, quæ habetur per fidem, eſtque media inter viſionem Dei, & cognitionem naturalem, illâ inferior, hac præſtantior, quia innixa infallibili teſtimonio Dei, obſcura tamen; ſecundò per fiduciale, & efficax ſupernaturale deſiderium, quod habetur per Spem; tertiò per amorem ejus propter ſe ſuper omnia, ad quem elevat voluntatem noſtram Charitas. Cujus ratio eſt; quia Deus à nobis attingibilis eſt ſub ratione veri, & boni tum nobis, tum in ſe, & propter ſe; Fides autem tendit in eum ſub ratione veri, & ùt fontem omnis veritatis; Spes tendit in eum, ùt noſtrum ſummum bonum: Charitas deniqne in illum, ùt ſummum bonum in ſe, ſuper omnia propter ſe amabile. Ex hinc Charitas reliquis major eſt.

Infunduntur autem homini virtutes illæ ordinariè in prima juſtificatione, quemadmodum docet Concil. Trident. Seſſ. 6. Cap. 7. unà cum gratia ſanctificante, cujus ſunt veluti proprietates. Dixi: *Saltem ordinariè*: nam licèt omnes ſimul tunc infundi ſemper, nunquam adhuc juſtificato, teneat communior; ſunt tamen, qui cum Suarez putant, habitum Fidei, & Spei infundi Catechumenis, dum ante Baptiſmum Fidem ſupernaturalem, & Spem eliciunt. *Quando infunduntur?*

Demum amittuntur non omnes ſemper ſimul, ſed per peccatum oppoſitum directè illorum motivis, nempe Fides per hæreſin, Spes per deſperationem, Charitas per odium Dei, peccatumque mortale omne: Charitas enim amicum, mortale inimicum Dei conſtituit. Vide dicenda N. 47. 70. 79. *Quando amittantur?*

DISSERTATIO I.

De Fide Theologica.

CAPUT I.

De Natura, Objecto, & Proprietatibus Fidei Theologicæ.

FIdes variè accipitur. 1. Pro fidelitate. 2. Pro fiducia. 3. Pro conſcientia. 4. Pro objecto fidei. Sic dicitur Apocal. 2. *Non negâſti fidem meam*. 5. Pro habitu, vel actu, quo alteri loquenti credimus: qui ſi ſit homo, dicitur Fides humana; ſi Deus, dicitur Fides Divina, ſeu Theologica: in quam ſi influat principium ſupernaturale, dicitur Fides divina etiam ſubjectivè, ſecus Divina objectivè tantùm. De illa, non de hac, nobis ſermo eſt.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Fides Theologica?

1. *Quid ſit fides Theologica?*

Reſp. Fides Theologica eſt virtus ſupernaturalis, quâ firmiter credimus revelata à Deo, propter infallibilem ejus revelantis authoritatem: vel: eſt donum Dei, ac lumen, quo illuſtrati firmiter tenemus vera eſſe, quæ Deus revelavit, quia nec falli, nec fallere poteſt.

Dicitur 1. *Virtus ſupernaturalis*. Id eſt, indebita naturæ, per ſe infuſa, elevans eam ad actus ſupernaturales eliciendos, ordinanſque ad finem ſupernaturalem.

Dici-

Dicitur 2. *Quâ credimus.* Id eſt, aſſentimur, & vera tenemus à Deo revelata.

Dicitur 3. *Firmiter.* Quia actus fidei debet eſſe ſuper omnia firmus.

Dicitur 4. *Propter Dei authoritatem.* Per quod differt fides divina ab humana, omnique alio aſſenſu.

Reſp. 1. Fides 1mò alia eſt habitualis, quæ eſt habitus per ſe infuſus, elevans intellectum ad firmiter aſſentiendum revelatis propter infallibile Dei teſtimonium; alia actualis, quæ eſt aſſenſus firmus, præſtitus revelatis à Deo propter ejus infallibilem authoritatem. *2. Alia eſt habitualis, alia actualis, explicita vel implicita &c.*

2. Actualis alia eſt explicita objectivè, quà aliquid credimus in particulari ſecundùm rationem propriam, ùt Deum eſſe unum in natura, & trinum in perſonis; alia implicita objectivè, quâ creditur aliquid non in particulari ſecundùm rationem propriam, ſed in generali; ùt, ſi dicam: credo omnia, quæ Deus revelavit; implicitè credo ſanctiſſimam Trinitatem, Incarnationem, &c.

3. Actualis alia eſt exercita tantùm, quæ eſt actus, non ſe manifeſtans experimentaliter, ſed tendens in objectum revelatum propter authoritatem Dei revelantis; ſignatè ſuper hanc non reflectens. Hæc dici poteſt fides ſubjectivè implicita, virtualis; quia præſuppònit ſignatam & formalem, cujus velut effectus eſt. Alia eſt ſignata, quâ credimus revelatum à Deo ſignanter propter authoritatem Dei revelantis. Hæc dici poteſt etiam ſubjectivè, & formalis explicita. Exercitam habet fidelis inſtructus, formans Crucem, manè & veſperi orans, ad Imaginem Crucifixi deponens pileum, &c. etſi de revelatione Dei

reflexè

reflexè non cogitet. Simile eſt in Muſico cantante ſecundùm regulas Muſicæ, ruſtico ſpargente ſemina ex ſpe meſſis, etſi de hac reflexè non cogitet, &c.

4. Fides alia eſt formata, quæ conjunctam habet charitatem ſeu gratiam; alia informis, quæ eſt ſine charitate, ſeu gratiâ ſanctificante: alia eſt viva, quâ operamur ſecundùm ea, quæ credimus, exiſtentes in gratia. Alia mortua, quâ credimus exiſtentes in peccato, & non operamur eis conformiter. Viva dici poteſt practica, mortua verò ſpeculativa. Quanquam meliùs dicitur practica, quæ eſt de objecto operabili modo operabili. Denique alia eſt, quâ credimus Deo; alia, quâ credimus Deum; alia, quâ credimus in Deum. Deo credere eſt aſſentiri revelatis ab ipſo; Deum credere, eſt tenere ipſum eſſe, propter ejus teſtimonium; in Deum credere eſt ſimul in eum tanquam finem aliquo amore ferri.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit objectum tum materiale, tum formale fidei Theologicæ?

Reſp. Objectum materiale proximum fidei
5. *Objectũ fidei exponitur.* Theologicæ ſunt omnia à Deo revelata; & ex his primarium Deus eſt, reliqua ſecundarium; formale verò authoritas Dei revelantis, ſita in ſapientia & veritate ejus infinita. *Ratio 1mæ partis eſt*; quia omnia à Deo revelata ſunt proximè apta credi fide divinâ. *Ratio 2dæ partis eſt*; quia cætera revelata ad Deum meliùs cognoſcendum referuntur, ſuntque de eo præcipui fidei articuli, ùt de Deo Creatore, Guber-

Gubernatore, Juſtificatore, Remuneratore. Sanctiſſimâ Trinitate, Incarnatione. *Ratio 3tia partis eſt*; quia motivum fidei poni debet in illis Dei perfectionibus, ob quas Deus dignus eſt aſſenſu firmiſſimo, nosque reddimur certi, vera eſſe, quæ revelat: atqui illæ perfectiones ſunt Dei ſapientia infinita, quâ cognoſcit omnia, ùt in ſe ſunt; & veracitas, quâ, ex ſuppoſito, quod velit aliquid revelare, determinatur ad loquendum, ſicut cognoſcit: vi enim harum perfectionum Deus nec falli, nec fallere poteſt; & una illarum deficiente, non eſſet dignus aſſenſu ſuper omnia firmo: ſi enim non cognoſceret omnia, ſicut in ſe ſunt, poſſet falli; ſi poſſet loqui aliter, ac cognoſcit, poſſet fallere, ſicque non mereretur aſſenſum ſuper omnia firmum.

An revelatio ſit motivum?

An revelatio intrinſecè ingrediatur motivum fidei, aut mera ſit conditio applicans illud, controverſia eſt de modo loquendi. Certum eſt, quòd ad fidem prærequiratur; & hoc pro praxi ſufficit.

Nec ad praxin facit controverſia, an motivum fidei conſiſtat in veracitate ſola connotante ſapientiam, ùt volunt aliqui Scotiſtæ: aut in ſapientia, & bonitate Dei infinitâ, nolente fallere, ùt docet Becanus, & alii; Sed ſufficit, quòd teſtimonium Dei cognoſcatur in omnibus prorſus infallibile, per quaſcunque tandem perfectiones ejus illa infallibilitas conſtituatur; quia ſic ſtat inconcuſſa fidei firmitas. Unde etiam rudibus non eſt difficile elicere actus firmos Fidei: eosque, dum moraliter operantur, eliciunt, modò ſint inſtructi, cur credendum ſit, aut à quo Fidei Myſteria ſint revelata: nam per teſtimonium Dei intelli-

telligunt teſtimonium infallibile, per quamcunque tandem perfectionem conſtituatur; quod ſufficit; aliàs damnarentur permulti Baptizati adulti ob ſolius Fidei defectum, doctioresque tuti non eſſent, niſi Fidem elicerent ex omnibus motivis, de quibus probabiliter AA. controvertunt: nam cùm Fides neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem, tutiſſima ineunda eſt via.

QUÆSTIO III.

Qualis debeat eſſe Actus Fidei Theologicæ, ſeu Fides actualis Theologica?

4. *Debet eſſe ſupernaturalis.* Reſp. Actus Fidei debet eſſe 1mò ſupernaturalis; quia eſt initium ſalutis, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad conſortium filiorum ejus pervenire, ùt Trid. Seſſ. 6. cap. 8. docet: id eſt, eſt primus actus inter eos, qui ad juſtificationem proximè diſponunt; non poſſet autem eſſe diſpoſitio ad juſtificationem, niſi eſſet ſupernaturalis; quia diſpoſitio ad formam debet cum forma ejuſdem eſſe ordinis. Imò nec actus voluntatis, quibus adultus ſe ad juſtificationem proximè diſponit, ſupernaturales eſſe poſſunt, niſi prælucente Fide, & motiva eorum proponente.

Liber. 2. Debet eſſe denominativè liber, quia Deus ad juſtificandum peccatorem adultum liberam ejus cooperationem requirit; cùmque intellectus ad actus obſcuros, quales ſunt actus Fidei, non determinetur ab objectis; non poteſt elici actus Fidei, niſi voluntas intellectum applicet

plicet ad credendum: & ab hac libera voluntatis applicatione denominatur honeſtus formaliter cùm honeſtiſſimum ſit, Deo revelanti credere; & meritorius in juſtis quidem de condigno, in peccatoribus de congruo.

3. Debet eſſe verus; quia Fidei ſupernaturali, ùt docet Trid. Seſſ. 6. cap. 9. falſum ſubeſſe non poteſt; cujus ratio datur: tum quia habitus Fidei eſt virtus intellectualis, quæ nequit influere in actum falſum; tum quia actus ſupernaturalis nequit eſſe malum potentiæ ſuæ, cùm ordinet ad beatitudinem: Deumque videtur dedecere, ut elevet ad actum falſum ſupernaturalem. ***Verus.***

4. Debet eſſe certus, & ſuper omnia firmus; quia authoritas Dei interpoſita pro veritate revelata meretur aſſenſum ſuper omnia firmum: hinc pia affectio, illam præfert motivis aliis etiam evidentibus: & Fides dicitur, ſuum objectum formale appretiare ſuper omnia; ſicut & Charitas, & ſpes ſuum ſuper omnia ſimpliciter contraria. Poteſt tamen certitudo formalis intenſiva in uno actu Fidei eſſe major, quàm in altero; non verò eſſentialis, & appretiativa: eſt enim certitudo firma adhæſio ex merito motivi ad objectum ſic ſe habens, quâ actus ſic amplectitur objectum, ut ab eo ſe avelli non patiatur. Adhæſio in evidentibus provenit ex evidentia objecti, in Fide verò ex merito motivi, quod eſt authoritas Dei teſtantis, & ab imperio voluntatis. Quæ provenit ex merito motivi, in omnibus actibus Fidei eſt æqualis, & eſſentialis dicitur; quæ provenit ex imperio voluntatis, poteſt eſſe major in uno, quàm in altero; quia actus voluntatis unus intenſior poteſt eſſe altero, qui exceſſus ***Super omnia firmus.***

ceſſus dicitur certitudo gradualis, & accidentalis: & hæc petitur, dum rogamus, ut in nobis Deus augeat Fidem.

Obſcurus. 5. Debet eſſe ſimpliciter obſcurus, ut præſtetur obſequium intellectuale Deo, ùt primæ veritati, perfectum; dum captivatur intellectus in obſequium Fidei. Sufficit autem quòd ſit obſcurus vel ex parte objecti materialis, ùt eſt plerumque: vel ex parte objecti formalis, vel revelationis. Dixi: *Simpliciter*; nam omnis actus Fidei eſt ſecundùm quid clarus, in quantum manifeſtat veritatem plerumque latentem, pellitque errores, & ignorantiam, ſub quibus lateret veritas. Prævalet opinioni, cùm prævium habeat judicium evidens credibilitatis. Hinc 2da Petri cap. 1. dicitur Fides, ***lucerna lucens in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat.*** Ad Hebræos 11. ***Argumentum rerum non apparentium.*** Et 1. ad Cor. 13. dicitur: ***Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.***

Prudens. 6. Debet eſſe prudens; quia eſt actus virtutis.

5\. ***Unde deſumatur ſupernaturalitas.*** Petes: unde actus noſtri deſumunt ſuam ſupernaturalitatem? Reſp. Efficienter illam habent à principio ſupernaturali phyſico in eos influente; quod eſt vel habitus ſupernaturalis, vel Dei omnipotentia ſpecialiter applicata, ſupplens defectum habitûs, quando hic deeſt. Objectivè verò eam habent ab objecto, ùt ſupernaturali cognitione propoſito, quæ cognitio eſt reſpectu actûs fidei ſupernaturalis illuſtratio, exhibens objectum credendum; reſpectu autem aliorum actuum voluntatis ſupernaturalium eſt actus fidei, vel lumen ſupernaturale æquivalens, ad fidem pertinens.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quænam prærequirantur ad Fidem actualem, ſeu fidei ſupernaturalis actum eliciendum?

Reſp. Requiritur 1mò ad omnem actum fidei ſupernaturalis divina gratia actualis, ſeu illuſtratio Spiritûs ſancti, & Inſpiratio. Eſt de fide ex Sacra Scriptura CC. & PP. nam Joannis 6. dicitur: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*: Et ibidem: *Nemo poteſt venire poſt me, niſi pater meus traxerit illum.* Epheſ. 2. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Ex quibus PP. contra Semipelagianos oſtendebant piam credendi affectionem, & actum fidei eſſe ex gratia. Et *Ratio eſt;* quia ad actum omnem ſupernaturalem prærequiritur auxilium gratiæ: *Neque enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,* ut ait Apoſt. 2. Cor. cap. 3. *6. Requiritur gratia actualis.*

Requiritur 2. Judicium certum & evidens certitudine, & evidentiâ ſaltem morali ſtrictâ, quo objectum credendum proponatur tanquam à Deo revelatum: ex quo judicio aliud duplex ſequitur, unum ſpeculativum, quo judicatur objectum certò prudenter poſſe firmâ Fide credi, tanquam à Deo revelatum; & verum; alterum practicum, quod dictat credendum eſſe ob interpoſitam Dei authoritatem Fide firmiſſimâ. *Ratio eſt*, quia actus Fidei debet eſſe prudens, certiſſimus, & ſuper omnia firmus appretiativè, excludens omnem delibe- *Judiciũ certum credibilitatis, & credenditatis.*

ratam formidinem de oppoſito, idque non ab intrinſeca inclinatione intellectûs determinati ab evidentia objecti, ſed ex imperio voluntatis: at voluntas non poteſt prudenter imperare talem aſſenſum, niſi recta ratio certè, & infallibiliter judicet pro objecti veritate interpoſitam eſſe authoritatem Dei, conſequenter objectum prudenter poſſe credi, Fide ſuper omnia firmâ ob interpoſitam infallibilem dei authoritatem; ſi autem certum ſit, tali modo poſſe credi, etiam evidens eſt: omnis enim actus, qui non nititur authoritate Dei revelantis, ſi ſit certus, etiam eſt evidens, quia omnis certitudo in actibus, qui non nituntur authoritate Dei, fundatur in evidentia.

Confirmatur: Innoc. XI. damnavit hanc ordine 21. *Aſſenſus Fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidat, ne non ſit locutus Deus.*

Dixi: *Certitudine & evidentiâ ſaltem morali ſtrictâ:* nam non requiritur certitudo, & evidentia Metaphyſica, ſed ſufficit Phyſica, & Moralis ſtrictè dicta, quæ excludat omnem formidinem, ne non ſit locutus Deus; quia hâc habitâ, poteſt voluntas inclinare intellectum ad aſſenſum ſuper omnia firmum propter Dei loquentis authoritatem; ſed nec Moralis illa debet eſſe abſoluta, & eadem reſpectu omnium, ità, ut omnibus ſufficiat; ſed ſatis eſt, ſi ſit talis reſpectivè; ad quam pueris, & rudibus ſufficit authoritas Paſtoris proponentis myſteria Fidei tanquam à Deo revelata, & referentis ſigna credibilitatis.

Pia affectio. Requiritur 3. Actus poſitivus voluntatis liber

bet ſupernaturalis, proximè & immediatè imperans actum Fidei. *Ratio 1mæ partis eſt*; quia cùm intellectus non rapiatur ad aſſentiendum obſcuris ab evidentia objecti, debet à voluntate inclinari, & determinari ad aſſenſum; qui cùm in præſenti debeat eſſe ſuper omnia firmus; procedere debet ſimul ab imperio voluntatis. Poſſe autem voluntatem aſſenſum facere firmiorem, patet tum experientiâ, tum ex damnata 19. ab Innocentio XI. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei ſit magis firmus in ſe ipſo, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Vide Analyſin n. 64. *Ratio 2dæ partis eſt*; quia actus Fidei debet eſſe liber, & meritorius dicente Apoſtolo Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam.* Et Chriſto Marci ultimo: *Qui crediderit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Non poteſt autem eſſe liber, niſi denominativè ab actu libero voluntatis, & quidem perfectè libero, quia ſemilibertas non eſt ſimpliciter talis, quæ requiritur ad converſionem & meritum. *Ratio 3tiæ partis eſt*; quia ad illud voluntatis imperium prærequiritur gratia, facitque actum Fidei ſalutarem, & meritorium præmii ſupernaturalis: Et hinc non poteſt eſſe inhoneſta intrinſecè, diciturque pia affectio, pia voluntas, credulitatis affectus, proceditque ab habitu ſpecialis virtutis per ſe infuſo; qui habitus piæ credulitatis dicitur: motivum autem tum habitûs, tum actûs Fidem imperantis eſt honeſtas ſpecialis in actu Fidei relucens, utpote ſpeciali cultu Dei intellectuali, quo in ejus tanquam 1mæ veritatis obſequium intellectus noſter captivatur. *Ratio 4tæ partis eſt*; quia

mediatum tantùm imperium, terminatum ad actum credenditatis intellectum ſuſpenſum relinqueret, & ad actum Fidei non determinaret.

7. *Quomodo actus Fidei fiat?*

Colliges. Ad actum Fidei ordinariè ſic proceditur. Primò proponitur objectum credendum, tanquam à Deo revelatum, ſive id fiat per lectionem, ſive per prædicationem, inſtructionem, recordationem. 2. Excitatur apprehenſio authoritatis divinæ infallibilis. 3. Cognoſcuntur motiva credibilitatis pro verè facta divina revelatione; conſultatque intellectus ſuper hæc motiva. 4. Sequitur Judicium certum de exiſtentia revelationis, evidenſque ſpeculativum credibilitatis talis objecti, tanquam verè revelati. 5. Accedit apprehenſio ſuaſiva ſupernaturalis ſpecialiter illuſtrans intellectum, proponenſque revelationem factam in ſe, & movens intellectum ad judicium practicum ſupernaturale de credendo. 6. Hinc excitata divinitus voluntas elicit piam credulitatis affectum, ſeu volitionem credendi ſupernaturalem. 7. Denique ſequitur actus ſupernaturalis Fidei.

8. *Incertus de revelatione credere non poteſt fide divinâ.*

Ex dictis reſolves 1. Infidelis, advertens Religionem Catholicam eſſe probabiliorem ſuâ, formidans tamen de veritate non poteſt elicere actum Fidei divinæ ſupernaturalis, ſique crederet, actus eſſet naturalis, utpote formidoloſus. 2. Nemo poteſt Fide divinâ credere ſe, ubi elicuerit contritionem, eſſe in gratia, aut hanc numero hoſtiam continere Chriſtum; quia Fides etiam abhorret à formidine radicali, quæ hìc adeſt, quia reflectens actualiter formidare poteſt de ſufficientia contritionis, intentione, & validâ ordinatione Sacerdotis &c.

&c. Hoſtiam tamen abſolutè oportet adorare, cùm dubitari prudenter non poſſit de valore conſecrationis, credique debeat abſolutè, eſſe ſub omni conſecrata, & conditionatè hanc continere Chriſtum. 3. Licet ab infidelitate non excuſetur Infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili, ùt conſtat ex damnata 4. ab Innocentio XI. id tamen non ex eo eſt, quòd teneatur ſtatim, adeoque poſſit credere; ſed quia tenetur inquirere veritatem, hancque invenire poteſt: quod ſi negligat, culpabilis eſt. Vide Analyſin à n. 64. ad 69.

QUÆSTIO V.

An, & ex quibus motivis fiat evidens, quòd ſolius Fidei Eccleſiæ Romano-Catholicæ articuli, & dogmata ſint prudenter credibilia, tanquam à Deo revelata, adeoque illa ſit ſola vera Fides?

Antequam reſpondeam, præmitto ſequentia. 9.

Evidens eſt primò, nec niſi ab inſipiente negari poteſt, Deum dari, eumque unicum, qui omnem in ſe complectatur perfectionem, ſitque principium, & finis omnis creaturæ, maximè rationalis, atque in alium finem creare eam non potuerit.

Una, & unica; eaque à Deo profecta debet eſſe vera religio.

Evidens eſt ſecundò, quòd teneamur Deum agnoſcere, tanquam talem colere, amare, in eum velut beatitudinem noſtram tendere, animuſque noſter in nulla re creata; ſed in ipſo ſolo quietem, & ſatietatem inveniat.

Evidens eſt tertiò, quòd vero cultu Deum honorare non poſſimus, rectèque de eo ſenti-

re, niſi ipſe nos doceat, quomodo de eo ſentiendum, quo cultu honorandus ſit. Unde, niſi quis Deum gloriæ ſuæ incurium, & improvidum impiè aſſerere velit, tenendum, quòd Eccleſiam aliquam rectè de ſe ſentientium ordinaverit, eamque inſtruxerit, verâ eum colendi, & ad illum perveniendi, ut à nobis glorificetur, doctrinâ, hancque doctrinam non poſſè continere contradictoria, adeoque inter Religiones, quæ oppoſita tenent, non niſi unam poſſè eſſe veram, quia contradictoria tradere Deus non poteſt.

Hinc 4tò. Evidens eſt, quòd veram Religionem, cùm ejus notitiam non voluerit ſingulis infundere, debuerit certis quibuſdam ſignis, & velut characteribus inſignire, quibus à falſa diſcerneretur; ut in tanta contradictoria opinantium varietate inveniri poſſet; aliàs enim ad eam amplectendam, veroque Deum in ea cultu colendum obligari non poſſemus; ut proinde hæc valeat maxima: illa ſola evidenter Religio vera eſt, prudenterque credibilis, & amplectenda, quæ ſola profert ſigna, quibus fit evidenter credibilis tanquam à Deo profecta, adeoque nihil falſi continens. Nunc ad quæſtionem.

10. *Sola Chriſtiana vera Religio.* Reſp. 1. Articuli, & dogmata Fidei Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſunt evidenter unicè credibilia tanquam à Deo revelata, adeoque ſub obligatione credenda; quia pro iis ſigna credibilitatis prudentis ſunt tot, tam aperta, tam prodigioſa, ut homini ſanæ mentis, amore veritatis, & ſine paſſione ea expendenti, non poſſint non apparere tanquam à Deo profecta, adeoque vera, & firmiter credenda; ùt patebit ex dicendis.

Reſp.

Reſp. 2. Signa ſeu motiva credibilitatis evidentia pro Fide Chriſtiana ſunt ſequentia contra Judæos, & Mahometanos.

Primum. Oracula Prophetarum, & teſtimonia Apoſtolorum conformia de Chriſti divinitate, humanitate, nativitate ex Virgine in Bethlehem, ejus vitâ, actionibus, paſſione, crucifixione, reſurrectione, aſcenſione, miſſione Spiritûs ſancti, quæ omnia jam completa eſſe non ſolùm teſtati ſunt Evangeliſtæ, & PP. ſanctiſſimi, ſapientiſſimique viri; ſed & teſtantur, & tenent hodie, quotquot ſunt verè ſapientes, & ſinceri Dei cultores: Neque Judæi Evangeliſtis poſſunt abnegare Fidem ſaltem humanam, niſi ablatam omnem de mundo velint. Si enim iſta circa Chriſtum non eveniſſent, quomodo Evangeliſtæ auſi fuiſſent ſtatim poſt ejus mortem, dum eſſet adhuc recens memoria omnium, ex tantâ conſenſione conſcrîbere, & Apoſtoli prædicare cum tanta audacia? Quomodo ſtatim poſt datum Spiritum ſanctum ſecuta tanta populorum ad Chriſtum converſio? Quis tuliſſet Matthæum 8vo poſt Chriſti aſcenſionem anno conſcribere adventum Magorum ad Chriſtum recens natum adorandum, turbationem Herodis, & totius Jeroſolymæ; ſecutum dein infanticidium, ſi fabuloſa iſta eſſent? Idem eſt de Chriſti miraculis, &c. Certè Phariſæi acerrimi eorum, & Chriſti hoſtes, non alio eguiſſent argumento, ut omnem iis apud alios fidem abrogarent, eoſque planè perderent. Accedit, quòd regnum ſeu principatum jam conſtet à Judæis ſublatum, quem tamen uſque ad adventum Chriſti apud eos manſurum Geneſis 49. prædictum fuerat; quòd ſeptuaginta heb-

11. *Oſtenditur contra Judæos & Gentiles.*

hebdomades computandæ ab edicto, ut iterum ædificetur Jeruſalem, intra quos Meſſiam prædixit Gabriel Danieli venturum, jam pridem ſint completæ.

2. *Motivum* eſt, ſanctiſſima, & integerrima Chriſti vita, quam negare nemo poteſt, niſi iterum omnem fidem è mundo ſublatam velit. Hic ſe Meſſiam, verum Deum, & hominem dixit, miraculis probavit, & ſignis, qualia nunquam mundus antè viderat. Quis dicet, eum fuiſſe mendacem, & impoſtorem? facere quomodo iſta poterat, ſi Deus non fuiſſet cum eo? Joſephus Judæus L. 18. Antiq. cap. 4. de Chriſto ait: *Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ Gentis Principibus, cùm Pilatus addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt diligere, qui cœperant.* Item: *Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum fas eſt eum dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & Doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque tam de Judæis, quam de Gentibus habuit ſectatores.* Mahomet in ſuo Alcorano L. 1. cap. 2. & 3. ait, quòd Jeſus Chriſtus fuerit Verbum Dei, & Spiritus Dei, Meſſias, nuntius Dei, quòd fuerit ſanctiſſimus, aſcenderit ad cœlos corpore & animâ: ſed quomodo iſta cohærent, ſi ejus doctrina de Sanctiſſima Trinitate, de ejus divinitate, quæ negantur à Mahomete, non ſit vera? Sanctiſſimum dicit, & à Deo miſſum; & blaſphemum & mendacem facit. Si ſanctus fuit Chriſtus, & à Deo miſſus, ergo vera eſt ejus doctrina, aliàs ad cœlos non eſſet aſſumptus. Si dicant: Hæc non Chriſtum, ſed Apoſtolos docuiſſe; quomodo ergo, quod fatetur Mahomet, fuerant viri ſancti & mun-

mundi? An Chriſtus non magis ipſos, quàm hominem nequam, qualem fuiſſe Mahometem, conſtat, de iis inſtruxit?

Motivum 3tium eſt, mira doctrinæ Chriſti, & Fidei propagatio, conſtantia, & augmentum in- & ex perſecutionibus innumeris, & graviſſimis. Quomodo enim, niſi divinâ virtute, fieri potuit, ut doctrina, contraria ſenſibus, aſpera carni, difficilis intellectu, amori proprio, ſuperbiæ, ambitioni, vitiis potentiſſimis repugnans, à paucis hominibus humano ſubſidio deſtitutis, egentibus, ignaris, ignotis, in ſpeciem abjectis per totum orbem, ità vitiis obnoxium, introducta ſit, obnitentibus humanis viribus omnibus, intentantibus ignes, cataſtas, cruces, & omne genus mortis inferentibus, ut ſectatores ejus exterminarentur? Quomodo fieri, niſi Deo operante, potuit, ut ex omni ſexu & ætate cum gaudio pro Chriſti tuenda doctrina omne genus tormentorum, & mortem ipſam appeterent: Et quò magis Tyranni nitebantur eam extinguere, eò magis excreſceret, & multiplicaretur Fidelium Eccleſiâ, eaque etiamnum ſtet inconcuſſa, poſtquam à tot Hæreticis fuit infeſtata, à tot Tyrannis impetita? Accedit, quòd propagata ſit per homines deſpectos, non vi & armis, ſed patientiâ, manſuetudine, charitate, & injuriarum tolerantiâ: non proponendo divitias, honores, voluptates, ſed his contraria; prædicando Salvatorem Deum, non Regem terrenum, ſed natum in ſtabulo, &c. flagellatum, crucifixum, mortuum inter duos latrones, promittendo tantùm inviſibilia, & à ſenſibus remota; & nihilominus homines ſapientes, potentes, vitiis implicitos, per univerſum mundum ad eam

amplectendam induxerint, carne, mundo, ſanguine, dæmone reluctantibus; non attentâ bonorum omnium & vitæ jacturâ ; & hanc alii, prioribus ſemper ſuccedentes, conſervârint, & gloriæ ſibi duxerint pro Chriſto mori. An non ergo Religio Chriſti opus eſt dexteræ Excelſi ? Nec defuêre miracula innumera, quibus eam doctrinam veram probârunt, uti iterum negare nemo prudens poteſt : *Si non credunt*, inquit S. Aug. L. 22. de Civit. Cap. 5. Tomo 5. *ſuis miraculis mundo perſuaſiſſe Reſurrectionem Chriſti, hoc unum nobis miraculum ſufficiat ; quòd eam terrarum orbis ſine miraculis crediderit.*

Motivum 4tum eſt doctrinæ Chriſti puritas, integritas, Sanctitas. Imprimis enim doctrina eſt pura & integra, nullâ falſitate adulterata : licèt enim habeat multa Myſteria, quæ captum intellectûs noſtri ſuperant, nullum tamen eſt contra rationem, aut falſitatis convinci poteſt ; Et quid mirum, aliqua convenire Deo, & facta ab ipſo ſummo ſapiente, omnipotente, quæ ſcintilla luminis creati non penetret, & intellectus limitatus non capiat? Si Deus non eſſet incomprehenſibilis, infinitus non eſſet in omni genere perfectionis ; ſi plus non poſſet facere, quàm nos capere, omnipotens non eſſet, conſequenter, nec Deus eſſet. Structuram unius alæ muſcæ non capimus ; Deum quomodo comprehendemus ? Item nihil docet, niſi ſanctum & honeſtum ; per conſequens eſt immunis ab omni errore etiam practico.

Deinde doctrina eſt ſancta ; tum quia magnificè de Deo ſentit ; leges & conſilia tradit ſanctiſſima, quibus ejus ſectatores ad eximiam

vitæ

vitæ ſanctitatem, animi tranquillitatem & gaudium pervehuntur ; tum quia nihil approbat, quod non ſit honeſtum ; nihil eſt turpe vel vituperabile, quod non damnet & prohibeat ; nulla eſt virtus tam perfecta ac ſublimis, quam non vel præcipiat, vel ſuadeat, ùt præferre paupertatem divitiis, contemnere honores, vilia amplecti, contemptum quærere, voluptates carnis fugere, paſſiones mortificare, voluntatem propriam, ſeque totum abnegare, ut animus à mundo, & carne avulſus in Deum, ad quem creatus eſt, ſe transferat. Item injurias ignoſcere, inimicis bene velle, & benefacere, orare pro perſecutoribus & calumniantibus, manſuetudinem ſervare in maximis contumeliis : ut ſimus Imitatores Filii Patris cœleſtis, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluit ſuper juſtos & injuſtos ; peccantes mirâ longanimitate & patientiâ tolerat, benignè eos revocat, & ad unum veræ pœnitentiæ gemitum innumera peccata dimittit, & antè inimicos ſuos in amicos & filios recipit.

Quid his opponet Judæorum ſecta ? Eorum Thalmud (neque enim genuinam amplius ſcripturam, ſed à Rabbinis corruptam habent) paſſim ſcatet nugis, & blaſphemiis. Nam Ordine 1mo, Tractatu 1. Diſtinctione 1. tradit, quòd Deus quotidie devotè oret. Ord. 2. Tract. 8. d. 5. etiam in genua procumbat. Ord. 2. d. 5. & ord. 1. d. 7. quòd locum quendam ſeparatum habeat, in quo ſtatis temporibus multis cum lacrymis defleat, quòd everterit templum Jeroſolymitanum, populumque Judaicum in captivitatem Babylonicam redegerit. Ord. 1. d. 9. quòd, quoties reminiſcatur Judaici populi calamitatem, duas lacry-

12. *Blaſphema Judæorum doctrina.*

lacrymas effundat in mare Oceanum, & utrâque manu pectus contundat. Ord. 2. quòd rem Deo gratiſſimam faciat, mater filium, & frater ſororem ſibi jungens matrimonio. Plura ejuſmodi, qui volet, videat Sixtum Senenſem L. 2. ſuæ Bibliothecæ ; Poſſevinum in apparatu ſacro ; Hieronymum à S. Fide in ſuo contra Judæos opere, quod extat Tom. 14. Bibliothecæ PP. à pag. 351. Teſte Surio 24. Martii, Judæi lege tenentur, Chriſtum & Matrem Virginem quotidianis maledictis inceſſere. Mahometanorum quoque ſectam blaſphemam, falſam & confictam ex omni hæreſeos genere, patet ex eorum Alcorano.

13. *Mahometanorum errorum colluvies.* Nam negant, Deum in perſonis eſſe Trinum cum Sabellianis, & non poſſe habere filium, eò quòd uxorem non habeat : animales homines quippe non percipiunt ea, quæ Spiritûs ſunt. 2. Cum Ario Chriſtum dicunt, eſſe puram creaturam : fatentur tamen, eſſe magnum Prophetam, ſanctum, operante Spiritu ſancto conceptum, & natum ex Maria Virgine ; venturum in fine mundi ad confirmandam legem Mahometis ; nec tamen ejus doctrinam, ùt veram recipiunt. 3. Tenent, Chriſtum non eſſe crucifixum, ſed alium ſimilem, aut ejus umbram, ipſum verò Judæis à Deo ereptum, & in cœlos ſublatum eſſe, quæ eſt hæreſis Manichæorum. 4. Dæmones in fine mundi eſſe ſalvandos, qui eſt error Origenis. 5. Deum eſſe corporeum, quæ eſt hæreſis Antrophophitarum. 6. Felicitatem hominis cum beſtiis in voluptatibus carnis collocant ; hinc plures habent uxores, habendaſque putant in altera vita à Beatis, contra expreſſam doctrinam Chriſti, quem ùt nuntium

Dei

Dei recipiunt. 7. Admittunt circumciſionem cum Judæis, & præterea nullum Sacramentum. 8. Uxores dimittunt, quando libet. 9. Quemvis in Religione ſua poſſe ſalvari, ſi ei convenienter vivat: quod eſt, Deum facere idololatriæ, ſuperſtitionis, & omnis infidelitatis remuneratorem; & patronum. 10. Deum, & Angelos orare pro Mahomete. 11. Admittunt quidem Decalogum Moyſis, ſed habent, quos ut Sanctos venerantur, qui, ſi cum aliena uxore, aut filiabus commiſceantur, tenent, has inde ſanctificari, virique ideo tanquam de magno beneficio ſibi gratulantur, ſi uxoribus ſuis ille favor obveniat. Hæc omnia videre eſt apud Patrem Thyrſum Gonzalez in manuductione ad convertendos Mahometanos L. 1. cap. 2. & 3. & L. 5. p. 2. à cap. 12. ad 33. ubi plures falſitates refert.

Hæc turpiſſima ſecta cœpit anno Chriſti 623. Auctor ejus fuit Mahomet, natus Mechæ in Arabia felice patre Gentili, matre Judæâ, educatus ab Agricola; patre ante ejus nativitatem mortuo, mortuâ dein matre ſuâ famulus Mercatoris, cujus dein mortui uxorem duxit; & Gentilis, Idololatra, illiteratus mercaturam per famulum egit, ipſe otioſus; hinc converſatus cum Chriſtianis, intellexit ab iis Myſterium Incarnationis, & Miracula Chriſti, ſtatuitque unum Deum colere, idque perſuadere uxori, quæ, cùm illi illuderet, finxit, quæ à Chriſtianis audivit, ſibi ab Angelo Gabriele revelata, utque hujus ſuæ uxori & ſuis fidem faceret, ſeceſſit cum famulo, cui dictavit, quæ audiverat à Chriſtianis, tanquam ex loquente Angelo ea acceperit. Hæc dein, tenens in manibus ſcriptum, narravit ſuis, ſimulans ſe

14. *Origo ſectæ Mahometanorum.*

lege-

legere, quod non poterat: cumque iis impoſuiſſet, famulo fraudis jam gnaro diſcedente, aſſumpſit pſeudo-Monachum Neſtorianum, qui ipſi hæreſin Neſtorianam perſuaſit. Hinc contradixit divinitati Chriſti: quem tamen, quia laudabat, offendit Judæos, quos ut ſibi conciliaret, laudavit legem Moyſis, præcepit ſuis circumciſionem, vetuit carnem porcinam, &c. Adjunctis ſibi plurimis, expugnavit Almedinam, prætendens voluntatem Dei eſſe, ut idololatriam armis profligaret; poſt hæc intercepit etiam Mecham, unde fugere coactus fuerat, tanquam impoſtor, & ſe Regem coronavit, ſicque invaluit Mahometiſmus, lato præcepto, ne quis diſputaret de eo, ne falſitas detegeretur, &c.

Ex his patet, quòd ſecta illa ſeipſam confutet: nam vera Religio debet poſſe inveniri, adeoque licitum eſſe debet, ejus ſigna expendere, & inveſtigare; ſed ſcivit impoſtor, ſigna ejus non eſſe; neque enim ullo miraculo probavit, neque vitæ ſanctitate, ſe à Deo miſſum eſſe. Conſtat hoc ex Alcorano: nam objicientibus, quòd miracula non faceret, reſpondit, ſibi à Deo revelatum, ne miracula faceret, eò quòd iis non proficeret. Voluit itaque populos non adduci rationibus, ſed vi & armis ad ſuam ſectam cogi, ipſe impuriſſimus, felicitatem ponens in beſtialibus voluptatibus, auſus octo habere uxores, mentitus populo, ſecum à Deo eſſe diſpenſatum, ut tot haberet. L. 1. cap. 2. & L. 3. cap. 18. in Alcorano refert multa miracula Apoſtolorum, vocat eos mundos & ſanctos; attamen audet tenere, eos falsò prædicâſſe Chriſti divinitatem, & Trinitatem perſonarum in Deo contra

Chriſti

Chriſti mentem. Videri poteſt Thyrſus Gonzalez p. 2. l. 4. cap. 7. & l. 5. toto, ubi erroribus ſcatere Alcoranum demonſtrat.

Quartum motivum ſunt miracula plurima ab Apoſtolis eorumque Succeſſoribus in confirmationem Fidei facta. Authoritas SS. PP. qui Fidem Chriſti profeſſi ſunt, ſanctitas vitæ innumerabilium in Eccleſia Chriſti &c.

Reſp. 3. Motiva evidentis credibilitatis Religionis, quam Romano-Catholica tenet Eccleſia, quibus unicè prudenter credibilis, & vera demonſtratur contra Hæreticos, Chriſtum recipientes, tanquam verum Deum, Redemptorem mundi, veramque aliquam ejus in terris Eccleſiam, ſic propono: Religio vera à Chriſto tradita debet eſſe una, ſancta, Catholica, & Apoſtolica; atqui talis eſt ſola, quam Romano-Catholica tenet Eccleſia; ergo. Major probatur. 15.

Sola Romano-Catholica Religio eſt vera Chriſti Religio.

Nam imò vera Chriſti Religio, & Eccleſia debet eſſe una tum unitate capitis viſibilis, tum unitate doctrinæ. Capitis quidem viſibilis, quia Chriſtus utique ſapientiſſimè providit Eccleſiæ ſuæ, cumque jubeat ſub interminatione æternæ damnationis nos credere doctrinam ſuam, quâ Eccleſiam ſuam inſtruxit; neceſſe fuit, ut haberet caput viſibile, Judicemque controverſiarum in rebus Fidei, & motuum: aliàs, ubi abitur in diverſas ſententias, orirentur hæreſes, & perpetua confuſio, Infideleſque volentes amplecti Fidem Chriſti, neſcirent, quibus accedendum eſſet; an Lutheranis, an Calviniſtis, an aliis? Omnes enim hi ſe ſapientes putant, etſi inter ſe in multis diſſentiant. Una verò debet eſſe unitate doctrinæ, quia debet hæc

Oſtenditur contra Hæreti-ces.

legere, quod non poterat: cumque iis impoſuiſſet, famulo fraudis jam gnaro diſcedente, aſſumpſit pſeudo-Monachum Neſtorianum, qui ipſi hæreſin Neſtorianam perſuaſit. Hinc contradixit divinitati Chriſti: quem tamen, quia laudabat, offendit Judæos, quos ut ſibi conciliaret, laudavit legem Moyſis, præcepit ſuis circumciſionem, vetuit carnem porcinam, &c. Adjunctis ſibi plurimis, expugnavit Almedinam, prætendens voluntatem Dei eſſe, ut idololatriam armis profligaret; poſt hæc intercepit etiam Mecham, unde fugere coactus fuerat, tanquam impoſtor, & ſe Regem coronavit, ſicque invaluit Mahometiſmus, lato præcepto, ne quis diſputaret de eo, ne falſitas detegeretur, &c.

Ex his patet, quòd ſecta illa ſeipſam confutet: nam vera Religio debet poſſe inveniri, adeoque licitum eſſe debet, ejus ſigna expendere, & inveſtigare; ſed ſcivit impoſtor, ſigna ejus non eſſe; neque enim ullo miraculo probavit, neque vitæ ſanctitate, ſe à Deo miſſum eſſe. Conſtat hoc ex Alcorano: nam objicientibus, quòd miracula non faceret, reſpondit, ſibi à Deo revelatum, ne miracula faceret, eò quòd iis non proficeret. Voluit itaque populos non adduci rationibus, ſed vi & armis ad ſuam ſectam cogi, ipſe impuriſſimus, felicitatem ponens in beſtialibus voluptatibus, auſus octo habere uxores, mentitus populo, ſecum à Deo eſſe diſpenſatum, ut tot haberet. L. 1. cap. 2. & L. 3. cap. 18. in Alcorano refert multa miracula Apoſtolorum, vocat eos mundos & ſanctos; attamen audet tenere, eos falsò prædicâſſe Chriſti divinitatem, & Trinitatem perſonarum in Deo contra Chriſti

Chriſti mentem. Videri poteſt Thyrſus Gonzalez p. 2. l. 4. cap. 7. & l. 5. toto, ubi erroribus ſcatere Alcoranum demonſtrat.

Quartum motivum ſunt miracula plurima ab Apoſtolis eorumque Succeſſoribus in confirmationem Fidei facta. Authoritas SS. PP. qui Fidem Chriſti profeſſi ſunt, ſanctitas vitæ innumerabilium in Eccleſia Chriſti &c.

Reſp. 3. Motiva evidentis credibilitatis Religionis, quam Romano-Catholica tenet Eccleſia, quibus unicè prudenter credibilis, & vera demonſtratur contra Hæreticos, Chriſtum recipientes, tanquam verum Deum, Redemptorem mundi, veramque aliquam ejus in terris Eccleſiam, ſic propono: Religio vera à Chriſto tradita debet eſſe una, ſancta, Catholica, & Apoſtolica; atqui talis eſt ſola, quam Romano-Catholica tenet Eccleſia; ergo. Major probatur. 15. *Sola Romano-Catholica Religio eſt vera Chriſti Religio.*

Nam 1mò vera Chriſti Religio, & Eccleſia debet eſſe una tum unitate capitis viſibilis, Chriſti in terris Vicarii; tum unitate doctrinæ. Capitis quidem viſibilis, quia Chriſtus utique ſapientiſſimè providit Eccleſiæ ſuæ, cumque jubeat ſub interminatione æternæ damnationis nos credere doctrinam ſuam, quâ Eccleſiam ſuam inſtruxit; neceſſe fuit, ut haberet caput viſibile, Judicemque controverſiarum in rebus Fidei, & morum: aliàs, ubi abitur in diverſas ſententias, orirentur hæreſes, & perpetua confuſio, Infideleſque volentes amplecti Fidem Chriſti, neſcirent, quibus accedendum eſſet; an Lutheranis, an Calviniſtis, an aliis? Omnes enim hi ſe ſapientes putant, etſi inter ſe in multis diſſentiant. Una verò debet eſſe unitate doctrinæ, quia debet *Oſtenditur contra Hæreticos.*

hæc

hæc eſſe à Deo : hic autem eſt Spiritus pacis, conſenſionis, & veritatis, non diſcordiæ, & contradictionis; qualis eſſe convinceretur, ſi doctrina ejus contineret contradictoria.

2. Debet eſſe ſancta tum ſanctitate doctrinæ, tum mediorum, quibus ſanctos efficiat illam profitentes : teſte enim Apoſtolo, voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra, & hunc in finem Chriſtus venit in mundum. Uti ipſe teſtatur Joan. cap. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

3. Debet eſſe Catholica, id eſt, univerſalis, ſic, ut ſine interrupta ſerie temporum à Chriſto uſque ſemper fuerit, & diffuſa ſit per orbem terrarum, ejuſque doctrina ſemper credita fuerit : nam Chriſtus promiſit, portas inferi non prævalituras adverſus eam ; ſeque ſemper cum illa futurum, uſque ad conſummationem ſæculi, juſſitque Apoſtolos ire in mundum univerſum, & Evangelium prædicare omni creaturæ, quod & ipſi, & eorum Succeſſores fecerunt, & modò faciunt.

4. Debet eſſe Apoſtolica, id eſt, doctrinam habere eandem, quam tradiderunt Apoſtoli, & ſuam ætatem, conſtantiamque deducere uſque ad Apoſtolos, tanquam primos poſt Chriſtum veræ Fidei Doctores, hisque mediantibus uſque ad Chriſtum, à quo Apoſtoli docti ſunt veritatem, & ab his Succeſſores eorum : hoc enim niſi fiat, non oſtenditur, quòd ſit doctrina Chriſti, quòd Chriſtus manſerit cum Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi, quòd portæ inferi adverſus eam non prævaluerint, adeoque ſit vera Chriſti Fides, & Eccleſia.

Jam verò, quòd hæc conveniant ſoli Religio-

ligioni, Eccleſiæque Romano-Catholicæ facilè oſtenditur.

Nam primò illam eſſe unam unitate Capitis, & doctrinæ, patet evidentia facti: omnes enim Catholici eandem Fidem habent, idem credunt, idem in materia Fidei ſentiunt, ſique controverſia oriatur in rebus Fidei, vel morum, ſtare tenentur omnes definitione Pontificis Romani, Chriſti in terris ſupremi Vicarii ex Cathedra loquentis, ſecundùm dicta p. 1. in prodromo n. 4. ne cadat in quenquam illud Chriſti, Matthæi 18. *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* In quibus verò Catholici diſconveniunt, pertinent vel ad ceremonias, & ritus, vel ad modum explicandi quæſtiones ſubtiliores, vel de rebus non revelatis, id quod Eccleſiæ unitati non obeſt. Econtra quòd Hæreticorum doctrina non ſit una, conſtat experientiâ, nôruntque ipſi; dum adeo ſe diverſos ſciunt, tum quoad Sacramenta, tum quoad alias Fidei materias: imò nequit eſſe una; quia carent Judice controverſiarum: unde tot ſententiæ, quot conſiſtoria, aut capita. Imò eorum Anteſignani, Lutherus, & Calvinus maniſeſtè ſibi contradicunt; ùt videre eſt apud Arsdekin: Nam Lutherus de poteſtate Papæ ſcribens, docet ſeptem eſſe Sacramenta. De captivitate Babylonica, tria tantùm: ad Valdenſes, duo. Sermone de Euchariſtia ait: *In Sacramento hoc non eſt panis & vinum.* De Captiv. Babyl. *Liberum eſt credere remanere, aut non remanere ſubſtantiam panis & vini.* Lib. contra Regem Angliæ ait: *Impius, & Blaſphemus eſt, qui dicit panem transſubſtantiari.* L. de Captiv. Babyl. *Confeſſio auri-* 16. *Lutherus uti & Calvinus ſibi ipſi contrarius eſt.*

cularis , etſi ex Scriptura probari non poſſit ; utilis tamen eſt , imò neceſſaria. De 10. Leproſis : *Confeſſio auricularis eſt fictio.* In Cap. 2. ad Galatas : *Sola Fides Chriſti neceſſaria eſt , quâ juſti ſumus , cætera omnia liberrima ſunt , neque præcepta amplius , neque prohibita.* De 10. Leproſis : *Vita Chriſtiana eſt diligere. At diligere nihil eſt , niſi benefacere.*

De 10. Præceptis : *Eccleſia errare non poteſt. Ludificatio Sathanæ eſt affirmare , quòd Eccleſia , ſi erret , aut peccet , ideo non ſit Eccleſia.*

Contra Echium Concluſione 10. *Rectè concluſi , meritum Chriſti eſſe theſaurum Eccleſiæ, & Sanctorum meritis juvari nos certum eſt.* In a. 4. Concluſione 6. *Pro meritis S. Petri ne unum quidem obolum darem , quia ſe ipſum juvare non poteſt.* De abrogatione Miſſæ. *Tutius eſt Purgatorium negare.* In Diſp. Lipſienſi: *Non ſolùm credo , ſed etiam certiſſimè ſcio Purgatorium eſſe.*

Calvinus ad Cap. 1. Lucæ fatetur , Deum abſolutè omnipotentem. Ad Cap. 23. Iſaiæ negat inquiens : *Iſtud ſomnium de poteſtate abſoluta in Deo,quam Scholaſtici introduxerunt, execranda blaſphemia eſt.* Ad Cap. 3. Joan. v. 3. docet neminem ſalvari ſine Baptiſmo. Lib. 4. Inſtit. Cap. 16. §. 36. dicit eſſe commentum. Plura vide apud Arsdekin. Scio, nón omnes hodie in omnibus conveniunt cum ſuis Anteſignanis, ſed nec inter ſe ; & vel hoc evidens ſignum eſt Religionis falſæ , ipſoſque non ſpiritu Dei , ſed proprio & mendace duci.

2. Religio , Fides, Eccleſia Catholica ſancta eſt , tum ſanctitate doctrinæ , ut conſtat

ex jam dictis, tum efformatione Sanctorum: plurimos enim enumerat eximiè Sanctos, quod nec Adverſarii negant, nec negare poſſunt. Nullam autem Sectariorum Religionem eſſe ſanctam conſtat. Nam docent primò: ſe divina mandata ſervare non poſſe; proinde aut fateri debent ſe Adulteros, Fures, Raptores, Blaſphemos, Latrones; aut ingenuè confiteri, quòd Deus impoſſibilia non præcipiat. Docent 2. In omnibus operibus ſuis peccare hominem mortaliter, ac proinde nullum verè bonum opus facere. Docent 3. Evangelica conſilia nullius eſſe momenti. Corpus non eſſe Jejuniis, aliiſque pœnoſis operibus ſubjiciendum ſpiritui, contra ac Evangelium Chriſti ſuadet, & Sancti fecerunt. 4. Homines ſolâ Fide juſtificari & ſalvari, contra Scripturam, quæ ait: Fidem ſine operibus mortuam eſſe. 5. Opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem. 6. Peccata commiſſa non eſſe per pœnitentiam expianda. 7. Hominem non eſſe liberi arbitrii &c. quæ omnia manifeſtè repugnant Scripturæ, & viam aperiunt ad vitam ſceleſtiſſimam, quam Lutherum & Calvinum duxiſſe conſtat ex hiſtoriis tam manifeſtè, ut ipſos Sectarios pudeat ſuorum, ſi ità placet, Doctorum. Quòd ſi hodie aliqui non tenent omnes illos errores, per hoc oſtendunt, ſe non eſſe in vera religione: Inconſtantia enim doctrinæ à Spiritu ſancto non eſt; & Eccleſia vera debet eſſe indefectibilis, ſicut promiſit Chriſtus.

3. Sola Fides, ſeu Religio & Eccleſia Romana eſt Catholica, & Apoſtolica. Patet id evidentia facti. Nam hæc ſola per orbem univerſum eſt diffuſa, ſola deducere poteſt

ſuam originem uſque ad Apoſtolos & Chriſtum, per ſeriem non interruptam Sacerdotum, Epiſcoporum, & Pontificum; hæc ſola habet Judicem controverſiarum infallibilem, quo conſtantia doctrinæ ſervari poteſt, & debet; hæc ſola probare poteſt, ſe habere incorruptum verbum Dei per traditionem. Quid ad hæc Adverſarii? ex quâ ſerie Sacerdotum probabunt ſe deſcendere ab Apoſtolis? quomodo oſtendent Anteceſſores ſuos non eſſe deceptos? Lutherum, Calvinum, &c. à Deo miſſos, cùm nec ſanctitate vitæ, nec ullo ſigno id probârint? Annon & in illos cadit illud Chriſti Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: arbor mala non poteſt bonos fructus facere?* Quomodo oſtendent, ſe habere ſacram Scripturam, & Libros Canonicos à non Canonicis diſcernent, cùm traditiones rejiciant, velintque omnia ex verbo Dei ſcripto definienda eſſe, & nulli eorum Deus id revelaverit? Cùm Fides vera Chriſti debeat eſſe indefectibilis, ſubque interminatione damnationis tenenda, adeoque reperibilis; quomodo perſuadebunt prudenti ſuam religionem fuiſſe ante Lutheri & Calvini tempora? Si enim fuit, ubi latuit? quis eam tenuit? quis ejus exhibuit ſigna, ut reperiri potuerit?

17. *Effugium Hæreticorū evertitur.* *Si dicant:* Omnes convenimus in punctis ſubſtantialibus, quæ credere ſufficit ad ſalutem; & hinc omnis Chriſtianus poteſt in ſua Fide ſalvari.

Contra eſt 1mò. Per ſubſtantialia vel intelligunt tantùm, quæ ſunt ſcitu neceſſaria neceſſitate medii, vel ea omnia ſolùm, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolorum? Si 1mum, ergo per ipſos ſatis eſt credere Deum eſſe, & Remu-

Remuneratorem eſſe, quia aliud in Scriptura tanquam ſic neceſſarium clarè non exprimitur; ergo ſalvari poterit, qui negat Incarnationis, Trinitatis, aliaque Fidei myſteria. Si 2dum: ergo ſalvari poterit; & Eccleſia vera, & ſalvifica erit, quæ negat Chriſti Sacramenta, præcepta Dei ſervari poſſe: adeoque tenet Deum punire, quia non fecimus, quod facere non potuimus: quod Deum eſſet facere injuſtum, & Tyrannum; ſalvari poterit, qui tenet Deum impellere ad peccata, bona opera nihil prodeſſe: qui diceret in Chriſto non eſſe duas naturas, & unam tantùm perſonam, Spiritum ſanctum non procedere à Filio. Quæ omnia ſunt hæreſis à primæva Eccleſia damnata, & tum rectæ rationi, tum Scripturæ manifeſtè repugnant.

Contra eſt 2dò. Nec ex Scriptura, nec aliunde habetur non neceſſariò neceſſitate ſaltem præcepti credenda eſſe plura, quàm Sectarii prætendunt. Edicant, cujus eſt diſcernere, quæ ſint illa ſubſtantialia, an Eccleſiæ, an ſpiritûs privati? Volunt omnia determinanda eſſe ex verbo Dei ſcripto: ubi ſcriptum eſt, hæc, & non alia ſubſtantialia eſſe?

3tiò. Galatæ credebant Deum, & Chriſtum; & tamen, quia non credebant, Circumciſionem non neceſſariam, & inutilem eſſe; dixit illis Apoſtolus Cap. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

4tò Deus exigit à nobis obſequium intellectûs, non minùs in uno, quàm in altero revelato, quique unum non credit, nec alterum Deo credit, ùt S. Aug. ait L. 7. contra Fauſtum Cap. 3. *Qui in Evangelio, quod vultis*

tis, creditis, & quod vultis, non creditis, vobis potiùs, quàm Evangelio creditis.

5*tò.* Si quilibet Chriſtianus poterit in ſua Fide ſalvari, ergo & Romano-Catholicus; ergo eſt in vera religione; ergo alii in falſa, quia Religio Romana tenet neminem ſalvari poſſe extra Eccleſiam Catholicam: *Unus Deus, una Fides, unum Baptiſma* dicit Apoſtolus ad Epheſeos 4.

6*tò.* Si verum eſt, quod dicitur; ergo ſalvari poterit, qui tenet hæreſes à primæva Eccleſia damnatas. Nam teſte S. Irenæo Lib. 2. cap. 20. damnatus eſt Simon Magus, & Eunomiani aſſerentes: opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem Traditiones eſſe rejiciendas, & ſolam Scripturam eſſe recipiendam, damnatum eſt in Ario, Neſtorio, Dioſcoro, Eutychete. Teſte S. Aug. L. 1. contra Maximum cap. 2. paterque ex Synodo ſeptima Actione 1. Non dari Sacramentum pœnitentiæ, damnatum eſt in Novatianis, teſte S. Cypriano L. 4. Epiſt. 2. Eccleſiam olim viſibilem periiſſe, damnatum eſt in Donatiſtis, teſte S. Aug. L. de unitate Eccleſiæ cap. 12. Venerationem Reliquiarum, & Imaginum Sanctorum eſſe illicitam, in Vigilantio hæretico, & Iconomachis teſte S. Hyeronimo, & Cedreno, &c. Hæc omnia tenent moderni Hæretici: quomodo veram, quomodo ſalvificam habent Eccleſiam? Reflectant, quâ morte obierint ſuæ religionis Authores. Calvinus, uti teſtantur Hiſtorici, exſpiravit blasphemans, & Dæmonem invocans, antè infami ſtigmate notatus propter crimen beſtialitatis. Lutherus ad latus monialis à ſe corruptæ, repentinâ morte extinctus eſt. Buzerus à

Dæmone in terram colliſus, effuſis viſceribus impiam animam effudit. Caroloſtadius deſperatione, alii aliis modis miſerè perierunt. Ex his

18. *1. Hæretici aut ignorantes, aut inexcuſabiles.*

Sequitur 1. Hæreticos aut eſſe malitiosè contumaces, aut turpiſſimè ignorantes; cauſæ autem potiſſimæ ſunt defectus ſinceri examinis, ſuperbia, contumacia, pertinacia judicii, reſpectus humanus ſine reflexione; quod ſi dedecori non ſit, majores eorum defeciſſe à veritate; nec ipſis ſit recedere ab erroribus ad eam. Item cauſa ſunt peccata divinis inſpirationibus contraria, bellumque carni indicendum &c.

2. Obligatio ſuſcipiendi fidē Catholicam.

Sequitur 2. Evidens eſſe, quod abſolutè & per ſe loquendo, ſit obligatio ſuſcipiendi Religionem Catholicam; quia quiſque tenetur vero cultu Deum colere, atque ad ſalutem ſuam tendere, quæ fieri non poſſunt extra veram Chriſti Eccleſiam.

3. Cur Acatholico non verò Catholico liceat dubitare de ſua religione.

Sequitur 3. Catholico non licere dubitare de veritate ſuæ Religionis, vel ullo ejus Fidei dogmate; licere autem, per ſe loquendo, Hæreticis dubitare de ſuæ Sectæ veritate; quia Catholico ratio prudens dubitandi eſſe non poteſt, ſicut eſſe poteſt Hæreticis; ſi tamen alicui ex his ſimpliciter nulla occurreret; dubitando per accidens peccaret, agendo contra conſcientiam.

19. *4. Notæ veræ Eccleſiæ.*

Sequitur 4. Notas veræ Chriſti Eccleſiæ eſſe, quòd ſit una, ſancta, Catholica, & Apoſtolica; una unitate capitis, & doctrinæ, Sancta ſanctitate doctrinæ, Sacramentorum, Legum, Perſonarum, Capitis, quod eſt Chriſtus. *Unum ovile, unus Paſtor.* Joan. 10, *Unum Corpus, unus Spiritus, unum Baptiſma,*

unus Deus. Epheſ. 4. *Vos auten gens ſancta.* 1. Petri Cap. 2. Catholica, ſeu univerſalis: Ex omni tribu, lingua, & populo, & natione *feciſti nos Deo noſtro regnum.* Apocalyp. 5. *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Malach. 1. Apoſtolica, id eſt, horum teneat doctrinam. *Eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperadificati ſuper fundamentum Apoſtolorum ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto JEſu.* Epheſ. 2. Quæ cùm conſtet ſoli Eccleſiæ Catholicæ convenire, patet illam ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

20. *9. Eccleſia ſemper viſibilis.* *Sequitur* 5. Eccleſiam veram debere eſſe perpetuò viſibilem, & infallibilem in rebus Fidei, & morum, & habere caput viſibile; nam jubemur eam ingredi, & obedire. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marci ultimo. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18. Jubentur Epiſcopi regere Eccleſiam Dei, & attendere univerſo gregi. Hæc autem quomodo fient, ſi non ſit perpetuò viſibilis, & notas non habeat, ex quibus dignoſcatur. Dein Chriſtus dixit Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* 1. Timoth. 3. dicitur *Columna, & firmamentum veritatis.* Joan. 3. promiſit Chriſtus manſurum ſe cum ea in æternum. Quæ vera non eſſent, ſi poſſet errare in rebus Fidei, & morum. Et ratio eſt: tum quia aliàs ſancta non maneret, & una ſanctitate, & unitate doctrinæ, & vel non teneremur eam audire, aut teneremur ſequi falſa; tum quia Chriſtus non debitè providiſſet Eccleſiæ, neſciremus enim; quem tu-

tutiùs ſequeremur ex diverſa opinantibus ; nec poſſet Deus à nobis exigere aſſenſum firmiſſimum. Non ſciremus, quæ ſit vera Scriptura ſacra, quæ traditiones divinæ, ſicque nihil haberemus certi. Ex hoc

Sequitur 6. Eccleſiam eſſe infallibilem, quoad materiam Fidei, & morùm in Concilio generali legitimè congregato, & authoritate Pontificis confirmato : quia hoc repræſentat Eccleſiam, nec poſſibile fuit omnes Fideles convenire. Deinde in ſuo capite, loquente ex Cathedra, quia ottis controverſiis ſemper Concilia convocari non poſſunt ; aliasque Summo Pontifici aliquid definienti, & proponenti non teneremur obedire, quæ foret ſumma confuſio, dum privati quique vellent eſſe Judices, & definita revocare in dubium ; ſed his obviavit Chriſtus, dum Petro ùt perſonæ publicæ, adeoque in eo Succeſſoribus dixit Joan. 21. *Paſce oves meas.* Lucæ 22. *Simon, Simon, ecce expetivit vos Sathanas, ut cribraret tanquam triticum ; ſed ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Promiſitque portas inferi non prævalituras contra Eccleſiam ſuper ipſum ædificatam. At ſi Pontifex erraret in definienda materia Fidei vel morùm ; oves non paſceret, ſed perderet, deficeret Fides Petri, prævalerent portæ inferi. Quòd autem Pontifex loquatur ex Cathedra, quando, ùt Caput, & Doctor univerſalis Eccleſiæ, prævio examine, aliquid tanquam Fide divinâ credendum, aut velut honeſtum, aut inhoneſtum definit ; Dixi in Prodromo Analyſis p. 1. Sic enim loquenti promiſſa eſt

21. *6 Infallibilitas Eccleſiæ.*

aſſiſtentia Spiritûs ſancti, ut oves ſibi commiſſas ſalutari doctrinâ paſcat, & ducat ad ſalutem. Atque ideo dicitur Sanctiſſimus.

CAPUT II.

De Regula Fidei Theologicæ

QUÆSTIO I.

Quæ ſit infallibilis credendorum Regula?

CUM Fide divinâ ſupernaturali credenda debeant proponi, tanquam certò, & infallibiliter à Deo revelata; quæritur, quæ ſit regula, per quam ſic proponi ſufficienter poſſint & debeant.

22. *S. Scriptura & Eccleſia.* R. Regula Fide Theologicâ ſupernaturali credendorum præcipua, & in multis ſufficiens eſt Sacra Scriptura, ſeu verbum Dei ſcriptum, non tamen in omnibus, ſed præter hanc regulam ſæpe requiritur alia viva, quæ eſt Eccleſia, vel in legitimo Concilio congregata, vel in capite ſuo, ſupremo Chriſti Vicario, loquente ex Cathedra, definiens, quid credendum, quid tenendum, vel rejiciendum ſit. Pars 1ma eſt communis etiam cum Hæreticis. Et ratio eſt, quia multa Fidei Myſteria ſatis clarè exprimit Sacra Scriptura, nobiſque exhibet. Pars 2da eſt communis omnium Catholicorum, & certa contra Hæreticos, qui contendunt, S. Scripturam eſſe in omnibus claram, rejiciuntque Eccleſiæ definitiones, & traditiones. Ratio autem noſtra eſt, quia plura Scrip-

Scripturæ loca non ità clara ſunt, quin in diverſo ſenſu intelligi poſſint ; ùt legentem docet experientia, teſtanturque tot ortæ de Fidei Myſteriis, etiam præcipuis controverſiæ, quæ, niſi determinatæ fuiſſent ab Eccleſia, ſcire non poſſent Fideles Chriſti, quid credendum, quid rejiciendum foret. Quare, ut iis ſatis proviſum eſſet, neceſſe fuit, ut eſſet alia viva infallibilis credendorum regula. Hæc autem eſt Eccleſia in legitimo Concilio congregata, & in ſupremo ſuo Capite viſibili in terris, ex Cathedra loquente, utì demonſtratum eſt p. 1, in Prodromo. Quæ niſi vera eſſent, quis libros Scripturæ Canonicos, ſeu dictatos à Spiritu ſancto à non Canonicis : verſiones, editionesque ejusdem veras, & autographo conformes, diſcerneret à falſis ? Quis diremiſſet controverſias de reali perſonarum diſtinctione in Sanctiſſima Trinitate, de proceſſione Spiritûs ſancti à Patre & Filio, de Divinitate Chriſti, duplice ejus naturâ, & unitate perſonæ, reali ejus præſentiâ in Euchariſtiæ Sacramento, de neceſſitate gratiæ ad opera meritoria vitæ æternæ ? Dixi: *Præcipua regula eſt* S. Scriptura ; nam etiam traditiones divinas, ſeu verbum Dei non ſcriptum pertinere ad Fidei regulam, infra declarabitur. Notandum tamen, quòd Eccleſia nihil novi revelet, ſed revelata à Deo tantùm proponat, & exponat verum Scripturæ ſenſum.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quid ſit Eccleſia, viva Fidei regula, & qui illius membra?

Eccleſia triplex diſtingui ſolet, nempe Eccleſia triumphans, purgans & militans. 1ma eſt univerſitas Beatorum in Cœlo. 2da. Univerſitas animarum in purgatorio. 3tia eſt univerſitas Fidelium, veram Fidem in terris profitentium. Sic accepta complectitur credentes in lege naturæ, lege veteri, & novâ. Quæritur hìc de Eccleſia Chriſti, ejusque membris.

23. *Eccleſia.* Reſp. Eccleſia eſt viſibilis congregatio Fidelium baptizatorum, ſub uno capite Chriſto, in cœlis regnante, & Vicario ejus in terris eodem cultu communicantium. Dicitur 1. *Congregatio viſibilis*; quia ſi viſibilis non eſſet, non poſſet modo hominibus accommodato inveniri, nec communicari cum ea in eodem cultu, cùm tamen ſit obligatio eam ingrediendi. Dicitur 2. *Fidelium*; quia ad veram Eccleſiam requiritur Fides velut forma ſupernaturalis, & conjunctio membrorum ejus. Dicitur 3. *Baptizatorum*; quia per Baptiſmum ingredimur Eccleſiam, velut per Sacramentum Fidei, & efficimur membra ejus: unde Baptiſmus eſt velut ſolemnis admiſſio ad Eccleſiam. Dicitur 4. *Sub uno Capite Chriſto*; cùm enim Eccleſia ſit corpus politicum; caput habeat, neceſſe eſt, à quo influxum ſuum membra participent; hoc autem eſt Chriſtus, de cujus plenitudine nos omnes accipimus. Dicitur 5. *Et Vicario ejus in terris*; cum enim caput, quod

quod Chriſtus eſt, de facto ſit inviſibile, aliud in corpore viſibili Eccleſiæ ſupplens vices capitis inviſibilis, aſſignari debet, à quo doceantur, & gubernentur Fideles. Dicitur 6. *Communicantium in eodem cultu*; quia debent membra profiteri externè eandem fidem & doctrinam, ut à non membris diſtinguantur, membraque Reipublicæ nòn cenſentur, qui ab ejus communione omnino ſunt ſeparati.

Hinc membra Eccleſiæ non ſunt 1. Catechumeni, quia necdum baptizati; pertinent tamen ad eam inchoativè, & in voto; cùm præparentur ad Baptiſmum, eum deſiderent, & credant. 2. Apoſtatæ & Hæretici manifeſti, quia per contrariam Fidei profeſſionem ſe ſeparant ab unitate & communione Eccleſiæ. Idem dicit Suar. de Hæretico occulto; negat tamen id Bellarminus & alii, quia licèt internè non maneat conjunctus Eccleſiæ, manet tamen externâ profeſſione, ſique Parochus aut Epiſcopus eſſet, retineret jurisdictionem. 3. Schiſmatici, qui licèt non negent caput Eccleſiæ, ab eo tamen, recuſantes illi ſubeſſe, ſe ſegregant. Quare cadit in illos illud Chriſti Matthæi 18. *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* 4. Nominatim excommunicati, utpote Fidelium communione, uſu Sacramentorum, communibusque ſuffragiis privati. Si tamen per pœnitentiam redirent ad gratiam, amicitiamque Dei, reductivè & in voto dici poſſent pertinere ad Eccleſiam, imò Suar. tenet, niſi Hæretici ſimul ſint, aut Schiſmatici, eos pertinere ad Eccleſiam; eò quòd Fide maneant conjuncti membris, & capiti. Et alioquin Epiſcopus, nominatim excommunicatus, non maneret

Qui non ejus membra.

ret Epiſcopus, quod videtur abſurdum. Sed lis eſt de nomine, pendens ex eo, quâ ſeparatione ab Eccleſia quis deſinat eſſe membrum ejus. Cæterùm de Fide eſt, Chriſtianos etiam reprobos, niſi aliud obſtet, eſſe membra Eccleſiæ, quia per Fidem ſunt illi conjuncti ſub uno capite Chriſto, & ejus in terris Vicario, comparaturque Eccleſia ſagenæ Miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti; comparatur agro, in quo cum tritico ſunt zizania. Manet nihilominus Eccleſia ſancta ſanctitate tam capitis, tum doctrinæ, & morum; tum ſanctitate cauſali Sacramentorum, & formali internâ multorum. Nec dictum illud: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*, hìc, utpote in re diviſibili, locum habet, utì habet in actu indiviſibili tendente in plura: neque enim urbs deſinet eſſe dives, etſi aliqui in ea ſint pauperes. Neque obſtat, quòd Chriſtus Joan. 10. dicat: *Oves meæ vocem meam audiunt*, quod de multis peccatoribus non verificatur: nam nomine ovium veniunt aliquando ſoli prædeſtinati & juſti, aliquando indifferenter omnes, utì Joan. ultimò: *Paſce oves meas*; aliquando ſermo eſt de ovibus ſecundùm præſcientiam, ſeu futuris; ùt dum Chriſtus ait: *Alias oves habeò, quæ non ſunt de hoc ovili, quas oportet me adducere:* Aliquando de ovibus ſecundùm præſentem Juſtitiæ ſtatum. Textus ille, & ſimiles loquuntur de ovibus Chriſti, non præcisè, ùt ſunt actu membra Eccleſiæ, ſed ſecundùm prædeſtinationem.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ generatim de S. Scripturâ, præcipuâ Fidei Regulâ, ſint obſervanda?

Reſp. Generatim obſervanda ſunt ſequentia:

1. Sacra Scriptura dividitur in vetus & novum teſtamentum; quia continet legem veterem Moſaicam, & novam Chriſti Evangelicam. Hæc utraque lex teſtamentum dicitur; quia Deus utramque condens inivit pactum quoddam teſtamentarium cum homine, faciendi hunc cœleſtium bonorum hæredem, ſi legem ſuam obſervaret. Et quemadmodum obligavit hominem ad ſervandam legem ſuam, ſic quodammodo obligavit ſe, ad largiendam hæreditatem in cœlo æternam iis, qui obſervabunt legem ejus. Quare lex divina ſæpe in Scripturis pactum dicitur. Quia verò teſtamentum eſt pactum transferendi hæreditatem poſt mortem teſtatoris, adeoque hujus morte confirmandum; hinc voluit Deus, hanc ſuam teſtamentariam diſpoſitionem confirmari morte & ſanguine Filii ſui, cujus figuræ erant victimæ, in veteri lege Deo immolatæ, dicente Apoſtolo ad Hebræos 9. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt, intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt: unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.* Continentur quidem præter legem multa in ſacris literis; quia tamen ad obſervationem legis pertinent;

24. *Diviſio.*

tinent; hinc volumen ſimpliciter lex vetus & nova dicitur.

V. T. Libri Moyſis quini. II. Vetus teſtamentum libros Canonicos, hoc eſt, à Spiritu S. dictatos, habet 44. vel cum Baruch. 45.

Primo loco venit Pentateuchus, ſeu quinque libri Moyſis, nempe Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium. In Geneſi Moyſes refert Originem mundi, & geſta Adæ, Evæ, Noë, Abrahæ, Iſaac, Jacob, & aliorum uſque ad mortem Joſeph. In Exodo narrat perſecutionem Pharaonis, plagas decem Ægypti, indeque Hebræorum egreſſum, & peregrinationem per deſertum, ubi in Sina Decalogum, aliasque à Deo leges acceperunt. In Levitico deſcribuntur Sacra & Sacrificia, cibi vetiti, Feſta, ritus, luſtrationes & cæremoniæ tam populi, quàm Sacerdotum & Levitarum. In Numeris numerantur tum populus, Principesque & Levitæ, tum quadraginta duæ manſiones Hebræorum, horumque, ac Dei geſta in deſerto recenſentur: inſuper refertur prophetia Balaam, ac deſcribitur bellum Hebræorum cum Madianitis. In Deuteronomio, ſeu ſecundâ lege, repetuntur & inculcantur Hebræis leges, antea in Exodo, Levitico, & Numeris à Deo datæ.

Notandum, quòd Moyſes hæc conſcripſerit per modum diarii, ſeu annalium; hos autem Joſue, vel alius ſimilis in ordinem digeſſerit, nonnullasque ſententias addiderit. Id quod colligitur ex eo, quia in fine Deuteronomii deſcribitur mors Moyſis; & Numerorum 12. laudatur ejus manſuetudo. Cæterùm Moyſes ſua conſcripſit partim ex traditione, partim ex divina revelatione, partim oculari inſpe-

inſpectione edoctus, omnia tamen divino inſtinctu.

2do loco venit liber Joſue. In hoc deſcribuntur geſta Joſue, quomodo nempe ſubegerit Chananæam, eamque duodecim tribubus diviſerit, Iſraëlitis in illa conſtituerit Rempublicam, & eam tam in pace, quàm in bello prudentiſſimè gubernârit. Hæc per modum diarii conſcripſit primùm ipſe Joſue, quorum collector poſtmodum quædam addidit, nempe ejus mortem, & quæ poſt hanc contigerunt, ùt ſunt, quæ cap. 15. de Axa filia Caleb, & cap. 19. de filiis Dan referuntur. *Liber Joſue.*

3. Liber Judicum. Hic complectitur geſta eorum, qui Hebræos, in Palæſtinam ingreſſos, & vicinarum Gentium inſultu, & jugo liberârunt, iisque velut Judices præfuerunt, Præfecturâ ferè Monarchicâ; unicus enim erat Judex, in cauſis tamen difficilioribus ſupremi Concilii, quod Synedrium dicebatur, ſententiam exquirere debebat. Nec Regiam habebat poteſtatem. Hinc nec Leges condere poterat, nec ſceptro, nec diademate utebatur; nec ſatellitio cuſtodiebatur: electione tamen Dei, vel populi ad dies vitæ creabatur. Eorum fuêre 15 ſcilicet Othoniel, Aod, Samgar, Barac cum Deborâ, Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jepthe, Abeſan, Ahialon, Abdon, Samſon, Heli, Samuel. Hic Judicum Magiſtratus manſit annis 356. in hoc tamen libro, cujus Scriptor incertus eſt, Heli & Samuelis acta non recenſentur, ſed in libro primo Regum. *Liber Judicum.*

4. Liber Ruth. Hic continet Genealogiam Judæ Patriarchæ, à Phares ejus filio uſque ad Davidem. Eſt autem appendix libri Judi- *Liber Ruth.*

cum: nam Hiſtoria Ruth contigit ſub Judicibus; eſtque velut manuductio ad librum primum Regum, in quo geſtà Davidis narrantur. Auctor libri quoque incertus eſt.

Quatuor libri Regum. 5. Libri Regum quatuor. His continetur hiſtoria regni Hebraici. Duo priores libri complectuntur tempus, quo poſt Heli & Samuelem Iſraëli cum regia poteſtate præfuerunt Saul & David. Duo poſteriores exhibent acta Salomonis, ejusque filiorum, & nepotum uſque ad ultimum Regem Sedeciam. Item geſta Jeroboam, & poſterorum ejus, qui ſchiſma facientes à Roboam & Judâ, regnârunt in Iſraël, hoc eſt, in decem tribubus uſque ad ultimum Regem Oſeam. Primum ex dictis libris conſcripſit Samuel, contenta referens, quæ uſque ad mortem ſuam contigerunt. Hanc, & geſta poſt eam uſque ad finem libri ſecundi ſcripſit David per Nathan, & Gad Prophetas, qui Davidis erant Secretarii. Duos poſteriores uſque ad excidium Hieroſolymæ ex priſcis ſingulorum Regum Annalibus conſcripſit partim Iſaias, partim Jeremias, partim Esdras. Prædicti Annales in Scriptura vocantur liber verborum, id eſt, factorum deſcriptorum.

Duo Paralip. 6. Duo libri Paralipomenon. Hi annexi ſunt libris Regum, dicti Paralipomenon, id eſt, derelictorum, ſeu reſiduorum, quia ſupplent ea, quæ in libris Regum de Regibus Judæ ſunt omiſſa: nam in libris Paralipomenon geſta Regum Iſraël vix tanguntur. Author probabiliter fuit Esdras.

Duo Esdræ. 7. Duo libri Esdræ: nam tertius & quartus authentici non ſunt. Primi Author eſt ipſe Esdras, qui fuit Sacerdos, Propheta, Scriba,

ba, Doctor, & totius S. Scripturæ in vaſtitate Babylonica deperditæ reſtaurator, vel potiùs vitiatæ corrector. Hic liber continet ea, quæ circa populi Hebraici ex captivitate Babylonica liberationem contigerunt, ab anno primo Monarchiæ Cyri uſque ad annum ſeptimum Artaxerxis, quo Esdras cum aliis Sacerdotibus rediit in Hieruſalem, quod eſt ſpatium 73. annorum. Libri ſecundi Author fuit Nehemias Sacerdos. Dicitur tamen liber Esdræ, tum quia continet geſta ſimul ſub Esdrâ & Nehemiâ, tum quia olim apud Hebræos & Græcos duo illi libri unum conficiebant. Continet reædificationem urbis Jeroſolymæ, aliaque ab anno ſeptimo ad annum trigeſimum ſecundum, ejuſdem Artaxerxis.

8. Liber Tobiæ, qui primæ ſuæ partis Tobiam, ſecundæ verò ejus filium auctorem habuit. Continet vitam, geſta & mores utriuſque Tobiæ. *Liber Tobiæ.*

9. Liber Judith. Continet ejus victoriam de Holoferne, & Aſſyriis. Auctor incertus eſt. *Judith.*

10. Liber Eſther. Argumentum ejus eſt humiliatio ſuperborum in perſona Vaſthi, & Aman, exaltatioque humilium in perſona Eſther & Mardochæi. Item liberatio injuſtè oppreſſorum. Auctor libri creditur Mardochæus cum Eſthere. *Eſther.*

11. Liber Job. Exhibet inſignem Jobi patientiam, & Dei providentiam circa ipſum, aliosque juſtos, quos tentari permittit Deus, ut eos probet & coronet. Auctor libri creditur ab aliis Job, ab aliis Moyſes. *Job.*

12. Liber Pſalmorum 150. Probabiliter omnes compoſiti ſunt ab ipſo Davide. Con- *Pſalm.*

tinent laudes Dei, ejuſque leges, & viri juſti & ſancti, ſed præcipuè Chriſti Domini, qui eſt primarium libri argumentum.

Tres Salomonis. 13. Libri tres Salomonis, ſcilicet Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum. In Proverbiis, inquit S. Hieronymus, parvulum docet, & quaſi de officiis per ſententias erudit; unde ad filium ejus ſermo ſæpe repetitur. In Eccleſiaſte verò maturæ ætatis virum inſtituit, ne quidquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & brevia univerſa, quæ cernimus. In Cantico Canticorum virum jam conſummatum, &, calcato ſæculo, præparatum ſponſi jungit amplexibus.

Liber Sapientiæ. 14. Liber Sapientiæ. Hic tractat de ſapientia practica, id eſt, ratione agendorum ſecundùm Deum, ſeu de cognitione Dei, conjunctâ cum ejus timore, religione & cultu. Auctor libri incertus eſt.

Eccleſiaſtici. 15. Liber Eccleſiaſtici. Hic tradit ſententiis brevibus omnem moralem Philoſophiam, nempe virtutes Ethicas, quæ ad cujuſque perſonam; Oeconomicas, quæ ad familiam; Politicas, quæ ad Rempublicam gubernandam utiles, vel neceſſariæ ſunt. Auctor putatur JEſus Syrach, vir eximiè ſapiens, & Propheta. Non deſunt tamen, quibus videtur fuiſſe Salomon.

Quatuor Prophetæ majores. 16. Quatuor Prophetæ majores, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, qui majores Prophetæ dicuntur, quia integros ſinguli libros ſcripſerunt; minores alii, quia eorum ſcripta omnia unum totum librum olim faciebant. Iſaias tractat de adventu Chriſti, ejus nativitate ex Virgine, de vita, prædicatione, regno, miraculis & ſepulturâ. Item de vocatione

tione Gentium & gloriâ Eccleſiæ. Jeremias de agenda pœnitentia, de imminente ruina urbis Jeruſalem, templi Domini, & totius regni, de adventu Chriſti, novo teſtamento, aliisque myſteriis apertiſſimè. Ezechiel de futura liberatione ſui populi ex captivitate, de adventu Chriſti & ejus myſteriis. Daniel de Chriſto, de tempore adventûs & morte ejus, de excœcatione Judæorum, de Anti-Chriſto, hujusque præliis, &c.

17. Duodecim Prophetæ minores; nempe Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Ex his 1. Oſeas prædixit captivitatem decem tribuum, & dein aliarum duarum. 2. Joel duabus tribubus, quibus erat Propheta datus, prædixit captivitatem Babylonicam, deinde adventum Meſſiæ, & Spiritûs ſancti in Apoſtolos, ultimumque judicium. 3. Amos captivitatem, aliaque gravia flagella; & graviſſima ſcelera reprehendit. 4. Abdias Idumæis exitium addendo cauſam, eò quòd futuri eſſent ſocii Chaldæorum tempore captivitatis. 5. Jonas exitium Ninivitis, quod dein reverſis ad iniquitatem poſtea quoque evenit, ùt habetur Tobiæ 14. 6. Michæas primam captivitatem decem tribuum, & ſecundam duarum. Item adventum Chriſti, nativitatem ejus in Bethlehem, & converſionem Gentium. 7. Nahum exitium Regis Aſſyriorum, vaſtationem Ninivæ per Chaldæos, & hos prævalituros contra Jeroſolymam. 8. Habacuc (alius ab eo, qui prandium attulit Danieli) adventum Chaldæorum, captivitatem Babylonicam, vaſtationem eorundem Chaldæorum factam per Medos & Perſas; tandemque adven-

Prophetæ minores 12.

tum Chriſti, paſſionem, reſurrectionem, & ſecundum ejus adventum in gloria. 9. Sophonias excidium Palæſtinorum, & aliarum Gentium, ruinam idololatriæ, converſionem Gentium, Chriſti reſurrectionem, Judæorum excæcationem, & exitium ultimum, tandemque Eccleſiæ gloriam & felicitatem. 10. Aggæus hortatus populum ad reædificationem templi prædixit, fore multò glorioſius, quàm fuerit primum. Intelligit autem Eccleſiam Chriſti. 11. Zacharias hortatus ad idem, prænuntiavit multa de felicitate Eccleſiæ Chriſti, & ruinam Judæorum ultimam. 12. Malachias abolenda prædixit Judæorum Sacrificia, novum inſtituendum toto orbe offerendum, Judicium ultimum, & illud præcedentem Judæorum converſionem per Eliam. Inſuper vehementer Sacerdotum negligentiam, aliaque vitia increpavit.

Duo libri Machabæorum. 18. Denique libri duo primi Machabæorum (tertius & quartus non ſunt Canonici.) Continent autem geſta & prælia Judæ, & Jonathæ, & Simonis fratrum contra Antiochum, aliosque Hebræorum hoſtes per annos circiter ſexaginta. Continuatur enim hiſtoria populi Dei; nam Esdras deſiit in Addo Pontifice, qui occurrit Alexandro Magno, à quo liber primus incipit, & hiſtoriam Iſraëlis proſequitur per ſucceſſores Alexandri, nempe per Reges Aſiæ, & per Reges Ægypti, qui Judæis nunc fuêre fœderati, nunc cum iis bella cruenta geſsêre, in quibus eminuerunt fortitudine Judas, Jonathas & Simon, à qua dicti ſunt Machabæi, id eſt, extinctores, vel occiſores, Auctores horum librorum ſunt incerti.

Atque hic finis eſt ſacræ Hiſtoriæ in veteri teſta-

teſtamento. Cujus hæc eſt ſeries. In libris Moyſis deſcribitur origo Eccleſiæ Dei, in libris Joſue, & Judicum ejus propagatio; ejus progreſſus ſub Regibus in libris Regum & Paralipomenon, in quibus quoque recenſentur, quæ paſſa eſt ſub prima Monarchia nempe Aſſyriorum & Chaldæorum. Dein in Esdra, Nehemia, Tobia, Judith, Eſther referuntur ea, quæ eidem Eccleſiæ obvenerunt in ſecunda Monarchia, nempe Cyri & Perſarum. Tandem in libris Machabæorum referuntur illa, quæ eidem acciderunt in tertia Monarchia, nempe Græcorum.

III. Libri Canonici novi teſtamenti ſunt 27. nempe 1. Quatuor Evangelia. 2. Acta Apoſtolorum. 3. Epiſtolæ quatuordecim S. Pauli, ad Romanos una, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos. 4. Duæ Epiſtolæ S. Petri. 5. Tres S. Joannis. 6. Una S. Jacobi Apoſtoli. 7. Una S. Apoſtoli Judæ. 8. Apocalypſis S. Joannis. *Novum teſtamentum.*

Argumentum, & Auctores Evangeliorum conſtant. Matthæus ſuum Evangelium incepit à nativitate Chriſti ſecundùm carnem; Marcus à Baptiſmate Joannis; Lucas à Zachariæ Sacerdotio & Sacrificio; Joannes à verbo æterno Patris, Chriſtique divinitate. Acta Apoſtolorum conſcripſit S. Lucas, & refert infantiam Eccleſiæ Chriſti, nempe ejus fundationem in Judæa & Samaria, dein propagationem Evangelii per Syriam, Licaoniam, alias Gentes, operâ Apoſtolorum, præſertim S. Pauli factam. Epiſtolæ S. Pauli continent

doctrinam, & mores Chriſtianos. S. Petrus totus eſt in ſanctitate Chriſti ; Joannes in charitate, Jacobus in oratione, Judas in Fide orthodoxa commendanda. Apocalypſis in exhortatione, increpatione, prædictione futurorum in Eccleſia, maximè ſub finem mundi, & tempore Anti-Chriſti verſatur.

Libri Canonici. IV. Prædictos libros omnes eſſe Canonicos, & ùt tales ab Eccleſia receptos, nunc extra dubium eſt. Conſtat ex Concilio Romano ſub Gelaſio Papá, ex Florentino in inſtructione Armenorum, & Tridentino. Quòd autem poſt tot ſæcula, tot Judæorum viciſſitudines libri Canonici veteris teſtamenti incorrupti ad nos pervenerint, Dei providentiâ factum eſt, qui ſicut voluit, ut in terris vera ſemper Eccleſia, veraque apud aliquos Fides permaneret, ſic providit, ut vera Fidei doctrina literis conſignata haberetur ; ut autem Canonicos libros ab Apocriphis, & genuinum eorum ſenſum diſcernere poſſent Fideles, voluit Eccleſiam in definiendis rebus Fidei & morum perpetuâ Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ munitam, & infallibilem eſſe.

Vario idiomate ſcripti. V. Variis linguis Scriptura ſacra conſcripta eſt, ac vetus quidem teſtamentum primò linguâ Hebraicâ, exceptis libris Tobiæ, Judith, Eſdræ, & Danielis, linguâ Chaldaicâ primùm conſcriptis, & libro 2do Machabæorum, qui teſte S. Hieronymo primò ſcriptus charactere Græco : originales verò libri novi teſtamenti primùm græcè ſcripti prodierunt, excepto Evangelio Matthæi, quod Hebraicâ, ſeu Syriacâ, Judæis tunc vulgari linguâ prodiit, & Epiſtola S. Pauli ad Hebræos, quam hebraicè ſcriptam contendit S. Hieronymus contra Origenem,

gonem, qui græcè ſcriptam fuiſſe arbitratus eſt. Aliqui excipiunt etiam Evangelium S. Marci, quem putant latinè id primùm conſcripſiſſe. Sed quidquid ſit de his, harum Scripturarum nulla amplius habemus autographa, ſeu originalia, ſed tantùm apographa, ſeu transſcripta exemplaria, variarumque linguarum editiones, quæ ad quatuor reducuntur.

Prima veteris teſtamenti eſt Hebraica, quam Babylonicæ captivitatis tempore, & quoad omnia exemplaria deperditam Esdras divino plenus Spiritu de novo, & ex integro quinque Scribis de memoria ad calamum dictavit, vel, ùt probabiliùs cenſent alii, ex parte dilapſam, vitiatam, & corruptam priſtinæ Fidei reſtituit; verum cum hoc authographo exemplar, quod hodie exſtat, non conſentit penitus vel ex Rabbinorum ignorantia, qui poſt S. Hieronymi tempora puncta perperam addiderunt; vel ex Amanuenſium imperitiâ, & incuriâ. Et quamvis ejus errores non videantur tanti momenti, ut conformitatem cum authentico quoad Fidem, & mores impediant, authentica tamen non eſt; cùm hæc conformitas nullo Eccleſiæ judicio conſtet. Ad Hebraicam reducitur Chaldaica; ex lingua enim Hebraica prodiit Chaldaica. Hæc autem verſio, ſeu potiùs paraphraſis, ſcatet Judæorum fabulis, &, ùt ſuprà memini, Thalmudiſtarum nugis. Servire tamen poteſt ad conveniendos Judæos de Sanctiſſimæ Trinitatis, & venerandæ Incarnationis myſteriis. *Editio Hebraica.*

Ad Hebraicam quoque pertinet Syriaca: ex lingua enim Hebraica & Chaldæa Syriaca orta eſt. Quamvis autem hæc editio magnæ au-

thoritatis non ſit, cùm Eccleſia eam nec divinam, nec autographam, nec autographo conformem declaraverit; ſervit tamen tum ad latinam noſtram confirmandam multis in locis, tum ad loca quædam obſcura penetranda, tum ad Lutheranos convincendos: nam in titulis, & capitum inſcriptionibus meminit Jejuniorum Quadrageſimæ, venerationis ſanctæ Crucis, commemorationis Defunctorum, & aliorum, quæ tanquam traditiones Romanorum Pontificum Lutherani reſpuunt.

Editio Samaritana Pentateuchi non differt ab Hebraica, niſi penes characteres: teſte enim S. Hieronymo in prologo galeato Esdras novos invenit characteres, quos Judæis tradidit, antiquos relinquendo Samaritanis. Hæc editio antiquiſſima eſt; & ùt olim utilis erat, ſic modò magnæ eſſet authoritatis, ſi ad nos incorrupta perveniſſet; ſervire tamen adhuc modò poteſt ad elucidandum vulgatæ editionis ſenſum.

Editio Græca. Secunda editio eſt græca, quæ multiplex eſt: 1ma eſt ſeptuaginta interpretum, 2da Aquilæ, 3tia Symmachi, 4ta Theodotionis, 5ta & 6ta incerti Authoris, 7ma Luciani Martyris, 8va Heſichii Monachi, 9na Origeniana. Inter has eminet ſeptuaginta duorum interpretum ſeniorum Hebræorum, qui juſſu Ptolomæi Ægyptiorum Regis ſub qualibet tribu ſex, linguæ Hebraicæ, & Græcæ peritiſſimi, ſpatio ſeptuaginta duorum dierum in inſula Pharos, mirabili conſenſione, ſacras literas ex Hebraico in Græcum idioma, annis circiter ducentis quinquaginta ante Chriſtum natum tranſtulerunt. Hâc editione olim uſi ſunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ſemperque uſa eſt Eccleſia

cleſiâ Græcâ, & Latina per annos ſexcentos circiter, nec unquam fuit reprobata; modò tamen authentica non eſt, quia nec pura, nec ſuo autographo conformis, teſte S. Hieronymo in Præfatione ad Paral. ſervit tamen ad vulgatam noſtram elucidandam: cùm vero illa, utpote præcipua, authentica non ſit, nec reliquæ verſiones Græcæ pro authenticis habendæ ſunt.

Tertia editio tum veteris, tum novi teſtamenti eſt latina, quæ adeo multiplex fuit, ut innumeras hujuſmodi verſiones fuiſſe dicat S. Auguſtinus. Duæ inter has fuêre præcipuæ; una antiqua incerti auctoris, quam Italicam, ſeu latinam vocat S. Aug. communem S. Hieronymus, veterem S. Gregorius. Altera nova à S. Hieronymo confecta, qui juſſu S. Damaſi Romani Pontificis vetus teſtamentum ex Hebræo latinum fecit, & novum Græcæ Fidei reddidit, ſeu latinum ex Græco emendavit, ùt oſtendit Bellar. l. 1. c. 8. non verò totum latinum ex Græco fecit. Diu in Eccleſia fuit controverſia, quæ ex his editionibus præferenda eſſet. Tandem non diu poſt S. Gregorii tempora, editio latina confecta eſt, quæ nec nova, nec antiqua dicitur, ſed vulgata communis; quia ſcilicet aliqui libri in ea leguntur eodem modo, quo in antiqua, aliqui, quo in nova. Et hæc eſt vulgata noſtra, multorum ſæculorum uſu in Eccleſia recepta, demum ſpeciali Concilii Tridentini decreto Seſſ. 4. firmata, ut pro authentica habeatur, & nemo quovis prætextu eam rejicere audeat, vel præſumat. *Latina.*

Quarta editio eſt vernacula, ſeu linguæ non ſacræ, (ſacræ ſunt Hebraica, Græca, & Latina, *Vernacula.*

na :) poteſt autem eſſe tam multiplex , quàm multæ ſunt linguæ vernaculæ , propriæque cuivis regioni : & reipsâ fuerunt multæ , nempe Arabica , Æthiopica , Perſica , Germanica , Gallica , Hiſpanica , Polonica , Italica , Hungarica , Belgica , Hibernica ; quarum nulla ùt authentica ab Eccleſia eſt declarata. Hinc ſequitur , ſolam vulgatam noſtram latinam eſſe authenticam, & Fidei regulam ; quia ex definitione Eccleſiæ de hac ſola conſtat , eſſe verè divinam, & textui originali conformem. Quare optimè S. Aug. *Ego Evangelio non crederem , niſi Eccleſiæ me moveret authoritas.*

Nec obſtat , quòd diu poſt Gregorium , electum Pontificem Anno 590. Sixtus V. ad Pontificatum evectus Anno 1585. ediderit cum Bulla Biblia Sacra non ſatis emendata : nam non fuerunt promulgata ſaltem plenè : & in Præfatione habetur , quoad fieri potuit , pro circumſtantiis eſſe emendata : unde Fidelibus prudentem reliquit ſuſpicionem , non eſſe ab omni errore libera , adeoque nec voluit , nec velle potuit , ut omnia , prout in iis continentur , tanquam conformia originali indubitatè crederent· Quare & ſuppreſſa ſunt Biblia illa à Clemente VIII. electo Anno 1591. qui novam , & emendatiorem editionem curavit confici. Sed nec hæc talis eſt , ut ubi lectiones variant , ſive ob deſcriptorum ignorantiam , vel incuriam , abbreviationes diverſas , ob punctorum in Hebræo mutationem vel omiſſionem , debeat antiquæ vulgatæ , & à Tridentino approbatæ præferri , cùm nec hoc Pontifex intendiſſe legatur , nec varia illa lectio , de qua controvertere adhuc licet , ſit in præjudicium Fidei : non enim varietas illa eſt circa

circa aliquid magni momenti, quod vel Fidem, vel mores concernat, aut non ſit manifeſtum ex aliis Scripturæ locis. Videatur Tannerus hic d. 1. q. 7. dub. 6. à n. 164. & q. 5. dub. 2. n. 79. Similiter non obeſt Fidei, quod quidam errores vel Typographorum, vel Librariorum incuriâ in vulgata noſtra reperiantur. Hos enim ſatis notant, & corrigunt interpretes, nec ſunt alicujus momenti.

VI. Duo præterea circa vernaculas Scripturæ verſiones Eccleſia conſtituit. Primum, ne Miſſa in iis legatur: Trident. enim Seſſ. 22. cap. 8. ſic habet: *Etſi Miſſa contineat magnam populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim linguâ celebraretur.* Alterum, ne ejuſmodi in vulgari lingua Sacræ Scripturæ verſiones omnibus ſine diſcrimine legi permittantur, eò quòd, ùt habet quarta indicis regula, à Sixto V. & Clemente VIII. approbata, experimento manifeſtum ſit, plus inde detrimenti, quàm utilitatis oriri ob hominum temeritatem. *Duo vitanda.*

VII. Senſus ſacræ Scripturæ generatim duplex eſt, nempè literalis, ſeu externus, quem verba vi ſuæ inſtitutionis proximè & immediatè nobis exhibent; & ſpiritualis, ſeu internus, myſticus, & latens, quem res per verba ſignificatæ figurant, & nobis ingerunt. Hic ſubdividitur in Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum. Allegoricus eſt, quando id, quod res per verba ſignificatæ nobis indicant, pertinet ad Fidem, & Eccleſiam militantem. Tropologicus ſeu moralis eſt, quando id, quod res per verba ſignificatæ, nobis exhibent, pertinet ad mores, & officia charitatis. Anagogicus eſt, quando id perti- *Senſus Scripturæ multiplex.*

nec

net ad Eccleſiam triumphantem, & vitam, quam ſperamus, æternam. v. g. Vox: *Jeruſalem* literaliter civitatem Jeroſolymitanam terrenam, Tropologicè ſignificat animam juſti in terra peregrinantis; Allegoricè Eccleſiam militantem, Anagogicè Jeruſalem cœleſtem, ſeu cœlum. Illud Geneſis 1 mò *Fiat lux*, literaliter ſignificat lucem corporalem, quam oculis uſurpamus, Tropologicè gratiam Spiritûs ſancti, quâ anima juſtificatur, & ornatur, velut luce, diſponiturque ad actus virtutum præſertim charitatis: Allegoricè ſignificat Chriſtum, qui lux eſt hujus mundi; Anagogicè lumen gloriæ, de quo dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen.*

Hi ſenſus quatuor his verſibus ſignantur:

Littera geſta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quid ſperes, Anagogia.

His additur alius ſenſus per accommodationem, frequens apud Patres & Concionatores, quando res & verba Scripturæ accommodantur ad aliud, à Scriptura non intentum, ùt, quando Eccleſia verba illa: *Maria optimam partem elegit*: quæ propriè ſpectant Mariam, Marthæ ſororem, Mariæ Deiparæ Virgini accommodat.

Notandum hìc, non omnes illos ſenſus ſubeſſe ſingulis Scripturæ textibus: nam aliqui habent tantùm ſenſum literalem, ùt illud Machabæorum c. 1. *Alexander fecit prælia multa.* Alii tantùm ſpiritualem, quando ſcilicet literalis, aut falſus eſſet, aut abſurdus. Uti dum dicitur Judicum cap. 9. *Ierunt ligna, ut ungerunt ſuper ſe Regem.* Et Prov. 26. v. 6.

Spina

Spina naſcitur in manu temulenti. Et Iſaiæ 11. Habitabit agnus cum lupo. Item dum Chriſtus dicitur leo, vitis, agnus, &c. horum enim ſenſus literalis falſus eſſet, abſurdus verò in hoc Matthæi 5. *Si manus dextera ſcandalizat te, abſcide eam*; & aliis ſimilibus; de quibus S. Aug. Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 5. ait: cavendum eſt, ne figuratam locutionem ad literalem accipias: ad hoc enim pertinet, quod ait Apoſtolus: *Litera occidit*; *Spiritus autem vivificat.* Quod verò putant aliqui, in his, & ſimilibus ſubeſſe ſenſum literalem, non quidem proprium, ſed Metaphoricum, quæſtionem de voce faciunt: ſenſus enim literalis propriè is eſt, quem voces habent ex primævâ ſua inſtitutione.

VIII. Interpretari autem ſacram Scripturam authenticè ſolius Eccleſiæ eſt, doctrinaliter eam exponere poteſt privatus, ſed non eſt cujuſvis; verùm neceſſe eſt, ùt in ſacra Scriptura, & in Theologia etiam Scholaſtica, quæ argumenta contra depravatum Hæreticorum ſenſum ſuggerit, & Fidei myſteria exponit, bene ſit verſatus, vel ſpeciali à Deo dono ſit illuſtratus, ùt S. Catharina Senenſis, S. Thereſia, alii Sancti utriuſque ſexûs homines, quos Deus per Prophetam Joel olim indigitavit dicens: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ.* *Interpres Scripturæ.*

Dein obſervare debet ſequentia. 1mò. Ut ad id cum humili, & ſacro quodam timore, ac reverentiâ accedat: exponenda enim ſuſcipit cœleſtia Sacramenta; ſancta autem ſanctè tractanda ſunt. 2. Ut non detorqueat verba ad ſenſus ridiculos, abſonos, vel alienos: ſed

ſed ut ductu Spiritûs ſancti, cujus interpretem agit, ea revereatur. 3. Ut verba accipiat in ſenſu proprio, niſi evidens ratio, aut authoritas ad improprium, vel Metaphoricum compellat. Hanc regulam, quæ maximè locum habet in iis, quæ ad dogmata Fidei, & hiſtorias pertinent, tradunt apud Suar. in opere ſex dierum l. 1. c. 6. n. 4. Doctores, & PP. communiter, ſcilicet S. Dionyſius de divinis nominibus cap. 4. Baſilius, Nyſſenus, Aug. Beda, S. Thomas 1. p. q. 65. 66. 67. & alii Scholaſtici paſſim. 4. Ut ad proprium ſenſum eruendum conſideret tempus, locum: alios Scripturæ textus. Ex neglectu hujus regulæ erravit Arius, quia ex eo, quod Chriſtus alicubi dixerit: *Pater major me eſt*, intulit, Filium Dei non eſſe conſubſtantialem Patri: erravit Lutherus, aliique Novatores ex Apoſtolo dicente, Fidem Abrahæ reputatam eſſe ad juſtitiam, & ei, qui operatur mercedem, non imputari ſecundùm gratiam, perperam concludentes, ad juſtificationem ſufficere fidem, quæ alibi dicitur ſine operibus mortua. 5. Ne, quemadmodum monet Trid. Seſſ. 4. innixus ſuæ prudentiæ ſacram Scripturam contra ſenſum Eccleſiæ, aut unanimem PP. ſententiam detorqueat ad ſuum ſenſum. 6. Ut non ſit ignarus linguæ Hebraicæ: qui enim ex hac Scripturam tranſtulerunt in latinam, & alias linguas; ut magis inhærerent genuino textui, phraſin, modumque loquendi Hebraicum, qui magnam quandoque obſcuritatem ejus linguæ ignaris facit, retinuerunt. Hebræi, ut alia taceam, quæ videre eſt apud Tirinum in prolegomenis, non utuntur uſitatis apud nos comparationum particulis,

ticulis, *Sicut*, *ùt*, *quemadmodum*, *&c.* haſque, qui Scripturam tranſtulerunt, quandoque omiſerunt, & hinc obſcuritas v. g. hujus textûs. *Increpa feras arundinis*, *congregatio taurorum in vaccis populorum.* Cujus ſenſus eſt: increpa Principes populi Iſraëlitici, qui ferociunt, & devaſtant omnia tanquam feræ in arundineto, qui tanquam tauri multi inter vaccas, laſciviunt in populis ſibi ſubjectis.

IX. Controvertitur, an omnia, quæ continentur in ſacris literis, ſint Hagiographis à Spiritu ſancto dictata. Affirmant alii, alii cum Melchiore Cano, Bellarm. de Vega negant de naturaliter ipſis notis, quæ volunt, non eſſe inſpirata, ſed movente, & aſſiſtente Spiritu ſancto, ne quid falſum, vitioſum, & quocunque modo reprehenſibile ſcriberent, ab ipſis eſſe literis mandata. 1mò. Quia non erat neceſſe, ut Deus ipſis ejusmodi dictaret. 2. Quia ipſe S. Lucas in ſuæ Evangelicæ hiſtoriæ Præfatione promittit, ſe ſcripturum omnia, ùt audivit ex ore Apoſtolorum, qui ab initio audiverunt. Diceret autem: ùt accepi à Deo dictante, ſicut dicit S. Paulus ad Galatas c. 1. loquens de Evangelio, quod prædicabat: *Neque enim*, inquit, *ab homine illud accepi*, *neque didici*, *ſed per revelationem JESU Chriſti.* Ut ſimiliter dicunt Prophetæ, quorum hæc ſunt verba: *Hæc dicit Dominus.* Vel *factus eſt ad me ſermo Domini.* 3. S. Paulus 1. Cor. c. 7. diſtinguit præcepta, & dictata à Deo à non dictatis ab illo: nam dicit: *Præcipio*, *non ego*, *ſed Dominus.* Et paulò poſt: *Cæteris dico ego*, *non Dominus.* Quamvis hæc ipſa ejus doctrina eſſet à Spiritu ſancto, ipſi aſſiſtente: nam ſubdit paulò poſt: *Puto*

An omnia à Spiritu S.

autem, quòd ego Spiritum Dei habeam. Quando PP. dicunt, nullam eſſe in ſacris literis ſyllabam, quæ careat myſterio, quæque non habeat plures ſenſus, intelligunt de pleriſque: nam textus aliquos habere tantùm ſenſum literalem, certum eſt.

Errores X. Atque ex hactenus dictis patet, errare 1. Hæreticos, qui ſacram Scripturam ad ſenſum ſuis cupiditatibus faventem detorquent, proprio judicio perperam exponunt, claram eam ubique dictantes, cùm legentem oppoſitum doceat experientia. 2. Eos, qui negant infallibilitatem Eccleſiæ in determinandis quæſtionibus Fidei, & morum: hâc enim negatâ, negandum foret, nos certos eſſe, qui libri ſacræ Scripturæ ſint Canonici, quod exemplar ſit autographo conforme, quis ſit ſenſus genuinus textuum multorum, ac proinde non poſſe nos permulta Fide divinâ credere, ut meritò perpetua in iis infallibilitas Eccleſiæ corona omnium beneficiorum in nos Dei appellari poſſit. 3. Eos etiam Catholicos, qui Theologiam, quam ſpeculativam, & ſcholaſticam appellamus, novam dicunt, & proſcriptam cuperent. Audiant, niſi velint plus, quàm oportet, ſapere, S. Aug. l. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. *Diſputationis*, inquit, *diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in ſacris literis ſunt, penetranda, & diſſolvenda valet.* Lib. 14. de Trin. cap. 1. ait, eam eſſe, *per quam Fides ſaluberrima in nobis gignitur, nutritur, & roboratur.* Et validè: nam myſteria Fidei exponit; argumenta depromit ex S. Scriptura: definitionibus Eccleſiæ, SS. PP. & ratione, quibus Hæreticorum errores convellit, myſteria fidei propug-

pugnat. Novam dicunt ii, qui amant novum & Patribus ignotum appellare, quod ipſi ignorant, & deſpiciunt, ne videantur neſcire, quòd æſtimationem conciliare poſſet. Non nova Theologia illa, ſed novus ordo, & modus eam tradendi, iſque utiliſſimus poſterioribus temporibus, nempè Anno 1146. introduci cœptus eſt, quando Petrus Lombardi Epiſcopus Pariſienſis, PP. ſententias in quatuor libros, ſententiarum dictos, digeſſit, in quos poſtea ſcripſerunt alii, ac nominatim Scotus, ac S. Thomas, duo ſcholarum Principes, quanquam S. Thomas ordinem illum immutavit in alium, qui adhuc hodie in pleriſque Catholicis Academiis ſervatur, ut maximè commodus. Ità quoad pleraque P. Francolinus.

QUÆSTIO IV.

Quid ſit traditio, & quæ ad regulam Fidei pertineant?

Reſp. 1mò. Nomine traditionis ſtrictè, & in uſu Eccleſiæ intelligitur doctrina ſacra, à nullo hagiographo literis mandata, ſed oretenus primùm tradita, & deinceps perpetuâ ſucceſſione velut de aure in aurem transmiſsa, vel potiùs, ſi in ſenſu formali loquimur, transmiſſio talis doctrinæ, quæ ex parte Auctorum alia eſt merè divina, alia Apoſtolico-divina, alia merè Apoſtolica, alia Eccleſiaſtica: ex parte materiæ alia eſt de Fide, alia de moribus: ex parte ſubjecti, cui fit, alia particularis, alia univerſalis. Merè divina eſt, quæ provenit ab ipſo Deo docente, quales fuerunt

25. *Traditio varia.*

maximè in lege naturæ. Apoſtolico Divina eſt doctrina, ab ipſo Chriſto immediatè Apoſtolis tradita, & ad nos per ipſos transmiſſa, in ſacris tamen literis non ſignatè comprehenſa. Merè Apoſtolica eſt, quæ ab Apoſtolis, ùt Eccleſiæ Paſtoribus, aſſiſtente tamen ipſis Spiritu ſancto ad nos deſcendit. Eccleſiaſtica eſt, quæ nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſed poſtea ab Eccleſiæ Prælatis, vel à fideli populo, Prælatis conſentientibus, introducta eſt, & tandem per modum legis, vel conſuetudinis communiter recepta, vel ad nos uſque delata eſt. Univerſalis, quæ totam; particularis, quæ particularem concernit Eccleſiam. Traditio Apoſtolico-divina eſt, v. g. doctrina, quam habemus de perpetua virginitate Deiparæ, de non rebaptizandis Hæreticis, de invocatione Sanctorum, de cultu Sacrarum Imaginum, de ſeptenario numero Sacramentorum, & aliæ à Chriſto ante, & poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolis conſignatæ, quæ in ſacra Scriptura non continentur, ſunt tamen Fidei doctrina. Traditiones purè Apoſtolicæ ſunt quatuor temporum inſtitutio, Chriſmatis renovatio, annis ſingulis facienda. Eccleſiaſticæ ſunt obſervatio ſolennis quorumdam feſtorum, abſtinentia à carnibus Feriâ ſextâ, & Sabbatho, antiquus Cinerum, Palmarum, Candelarum, & ſimilium benedictionis uſus, aliaque hujuſmodi.

26. *Traditio Apoſtolico-divina eſt Fidei regula.* Reſp. 2. Ad regulam Fidei pertinent traditiones Divino-Apoſtolicæ: ſunt enim transmiſſio doctrinæ à Deo revelante traditæ, adeoque non minùs propoſitio materiæ Fidei, quàm ſacræ literæ. Has quidem negare tentant Hæretici, ſed fruſtrà; manifeſtè enim con-

convincuntur tum ex ſacra Scriptura, tum ipſorum praxi: & uſu proprio: nam 1mò Apoſtolus 2. Theſſ. cap. 2. præcipit ſervari traditiones, his verbis: *Itaque Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſivè per Epiſtolam noſtram.* Conſentiunt unanimiter SS. PP. apud Bellarm. Tomo 1mo. Controverſiâ 1mâ L. 4. Cap. 7. definivitque Synodus ſancta Nicæna, & quarta Conſtantinopolitana, & noviſſimè Trid. Seſſ. 4. Dein Hæretici nobiſcum tenent, ſymbolum Fidei, quo nobiſcum utuntur, eſſe Apoſtolicum; Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, alios Scripturæ libros, ſi non omnes, ſaltem pleroſque eſſe verè à Spiritu ſancto dictatos, non verò Evangelium Thomæ, Andreæ, Bartholomæi, quæ olim circumferebantur; celebrant nobiſcum diem Dominicum, loco Sabbathi; ſed unde hæc, niſi ex traditionibus? Et verò, an non, antequam Moyſes verbum Dei ſcripſerit, annis 2543. humanum genus traditionibus regebatur? An non Apoſtoli, antequam ſcriberetur Evangelium, quod Matthæus omnium primus, ſed non niſi octavo poſt mortem Chriſti Anno conſcripſit, traditionibus uſi ſunt, quas Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam, per quadraginta dies apparens eis; loquenſque de regno Dei, hoc eſt, de Eccleſia, eos docuit, &c.

Regulæ traditiones diſcernendi.

At inquies, unde cognoſcam, quòd aliqua traditio ſit divina, vel purè Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica? Reſp. Cognoſces ex his regulis.

1ma. Quòd traditio ſit divina, cognoſcitur tum ex definitione Eccleſiæ, quæ in hoc non minùs debet eſſe infallibilis; quàm in diſcernendis libris Canonicis à non Canonicis,

& ità in Concilio Nicæno ſecundo approbatus eſt cultus Imaginum ſacratum, tanquam traditione acceptus; tum ex eo, quod ſit unanimis conſenſus Eccleſiæ circa aliquod dogma tanquam ad Fidem pertinens; hinc ſi tota Eccleſia obſervet aliquid, quòd humanâ authoritate non potuit conſtitui, ſignum eſt, id haberi ex traditione divina: ſic poteſtas diſpenſandi in votis, & juramentis potiùs, quàm in quibuſdam aliis, ex traditione deſcendit, uti & quæ pertinent ad numerum, & ſubſtantiam Sacramentorum.

Regula 2. Apoſtolicam traditionem ab Eccleſiaſtica diſcernes ex eo, quod non conſtet de ejus initio, dicente Auguſtino L. 4. de Baptiſmo contra Donat. Cap. 24. *Quòd univerſa tenet Eccleſia, nec in Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum, certiſſimò creditur.* Signum enim eſt, quod cœperit cum Eccleſia, ſitque traditio vel Apoſtolico-divina, vel purè Apoſtolica; Juxta hanc regulam Jejunium Quadrageſimale, quamvis potuiſſet authoritate Eccleſiaſticâ poſteriùs inſtitui, quia tamen conſtanter ità ſervatum fuit, ut non poſſit hujus praxeos aſſignari initium, refundi debet in traditionem Apoſtolicam. Vide Bellarmin. Valent.

Ex his dictis ſequitur, verbum Dei ſcriptum etſi utiliſſimum ſit Eccleſiæ, non tamen prorſus neceſſarium: nam Eccleſia ab initio mundi uſque ad Moyſen illa caruit annis 2543. Eccleſia verò gentium, ex qua erant Melchiſedech, Job, ejuſque amici, Eunuchus Reginæ Candacis Actorum 8. & tot alii ex omni natione, quæ ſub cœlo, Actorum 2. pluribus ſæculis

Sacra Sriptura an neceſſaria?

culis eâdem caruit uſa ſolis traditionibus. Ex his, qui crediderunt in Meſſiam venturum; vel Majorum ſuorum, vel Judæorum traditione inſtructi de eo fuêre, beneque operati ſunt, de quo videri poteſt Forinus in Epiſt. ad Rom. Cap. 1. v. 10. Similiter Adam ſuis Filiis, & hi ſuis, atque itȧ ſucceſſivè doctrinam Fidei, & morum tradiderunt. Nec ceſsârunt traditiones, poſtquam verbum Dei conſcriptum fuit. Nam Deuteron. 32. dicitur: *Interroga Patrem tuum, & Majores tuos, & dicent tibi.* Pſalm. 77. *Quanta mandavit Patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis.* Jerem. 6. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* Jobi 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam, & ipſi docebunt te.*

QUÆSTIO V.

Quale Concilium ſuis cum definitionibus pertineat ad univerſalem Fidei Regulam?

Reſp. Ad eam pertinet Concilium Oecumenicum, ſeu univerſale legitimum in ſuis definitionibus. Ratio eſt, quia tale Concilium repræſentat univerſam Eccleſiam: hæc verò in definiendis quæſtionibus Fidei, & morum, ut jam ſuprà, & in prima parte oſtenſum eſt, eſt infallibilis. Eſt autem Concilium, græcè Synodus, ſeu Synedrion, congregatio legitima Præſulum Eccleſiaſticorum ad negotia majora Fidei, & religionis per ſententiam definienda. Dicitur 1mò legitima: ſi

27. *Concilium Oecumenicum.*

enim non legitimè convocentur, qui convocari debent, erit conciliabulum, vel conventiculum. Dicitur 2. Præſulum Eccleſiaſticorum, id eſt Epiſcoporum: hi enim ſunt Paſtores, qui pro foro in-& externo judicium ferunt in, & pro congregatione ovium ſuarum. Dicitur 3. ad majora negotia &c. quia Concilium eſt verum judicium, non mera inquiſitio, ùt volunt Hæretici, nec Patres tantùm ſuam mentem declarant, ſed verè pronuntiant ſententiam definitivam, quâ ſtandum eſt: hinc decreta Conciliorum dicuntur Canones ſeu leges, & anathema dicitur iis, qui illa non recipiunt, & obſervant. Dixi 1. *Oecumenicum*: nam nec particulare nationale, quod à primate, omnes ſuæ primatiæ, vel à Legato Apoſtolico, omnes alicujus nationis Epiſcopos, & Archi-Epiſcopos convocante congregatur; nec provinciale, quod convocatur ab Archi-Epiſcopo omnes ſuæ provinciæ Suffraganeos invitante; nec Epiſcopale, quod Epiſcopus cum ſuæ Diœceſis Clero convocato celebrat, eſt infallibile, imò particularia aliquando erràſſe conſtat. Dixi 2. *Seu univerſale legitimum*: Nam licet Occumenicum, & univerſale grammaticè idem ſint, non tamen Canonicè, & in uſu eruditorum: Oecumenicum enim hìc eſt, quod ità univerſale eſt, ut ſimul ſit legitimum.

Requiſita ad univerſale legitimum. Ut autem univerſale ſit legitimum, requiritur 1mò, ut à Romano Pontifice, vel cum ejus conſenſu convocetur, aut ſaltem ab ipſo ejus convocatio rata habeatur, uti tenent omnes Catholici. Et ratio eſt, quia Paſtoris eſt convocare oves, ovium autem Chriſti omnium univerſalis Paſtor eſt ſummus Pontifex. Convocâ-

vocârunt quidem olim Imperatores quædam Concilia ; ſed Pontifice, aut petente, aut conſentiente, aut vocationem ratam habente : cùm enim tum opulenti Pontifices non eſſent, petiêrunt, ut Imperatores convocarent Epiſcopos communibus ſumptibus, quod non fecerunt Apoſtoli, ſine conſenſu Imperatoris celebrantes Concilia. Advertendum tamen hìc, urgente neceſſitate Eccleſiæ, & Sede vacante, poſſe Epiſcopos celebrare Concilium ſine conſenſu Pontificis, hocque fore infallibile in iis, quæ requiruntur, ut præſenti neceſſitati ſubveniatur. Et idem eſt, ſi duo ſe gererent velut Pontifices, & de nullo Eccleſiæ certum eſſet ; quo caſu poſſent Epiſcopi congregati, utrumque deponere, & novum eligere. Similiter, ſi Pontifex fieret apertus Hæreticus, & pertinaciter in Hæreſi perſeveraret, poſſent Epiſcopi Concilium convocare, & declarare eum Pontificatu exci-diſſe. Ratio eſt, quia aliàs Chriſtus Eccleſiæ non ſatis providiſſet, nec ſuppeteret ratio malo medendi.

2dò requiritur, ut ex orbe Chriſtiano, quantum fieri poteſt, convocentur omnes Epiſcopi, ſic, ut nullus ex iis, qui Diœceſin habent, poſitivè excludatur, niſi fortè eſſet excommunicatus, & ab Eccleſia ſegregatus. Sufficit tamen abſolutè ad integritatem Concilii, ut ſaltem ex potioribus orbis Chriſtiani partibus minimùm aliqui adveniant, qui poſſunt ex Pontificis conſenſu cæterorum vices & vota ſupplere, ùt docet Suar. hìc d. 11. ſect. 2. num. 7. Obtinuit etiam conſuetudo, ut advocentur Cardinales, Generales Ordinum, & quidam Abbates. Vocantur quoque & alii

Theologi eruditionis, & examinis cauſâ. Hi adſunt ùt conſultores, & votum deciſivum non habent, ſed ſubſcribunt ùt conſentientes; Epiſcopi verò adſunt ùt Judices, & ſubſcribunt ùt definientes. Idem faciunt teſte Francolino Generales Ordinum, & quidam Abbates; ſunt enim Ordinum Generales velut Epiſcopi relatè ad ſuos Ordines. Adſunt quoque plerumque Imperatores & Reges ſaltem per ſuos Legatos, ſed ùt teſtes tantùm, & Concilii defenſores.

3tiò requiritur, ut Pontifex vel per ſe, vel per ſuos Legatos præſideat Concilio, vel accedat ejus approbatio, quâ hic defectus poſtea ſuppleatur, ùt in Concilio generali ſecundo & quinto factum conſtat. Quia ſupremi Paſtoris eſt, præeſſe, & moderari univerſitatem ovium.

4tò requiritur, ut à Pontifice confirmetur, etſi ejus Legati præſederint, niſi Pontifex illis ſuam mentem declarârit, & ſecundùm hanc Concilio intimatam deciſum ſit. Conſtat ex Concilio Lateranenſi 5. Seſſ. 11. Nicæno primo in Epiſtola ad Sylveſtrum. Chalcedonenſi in Epiſtola Synodali. Ratio eſt, quia Pontifex nulli poteſt ſuam communicare infallibilitatem.

Dixi 3. *In ſuis definitionibus*; nam non omnia prorſus dicta, & verba Concilii generalis ſunt infallibilia; primò enim infallibiles non ſunt rationes, diſputationes & argumenta, quibus Concilium probat ſuas definitiones; quia illa ſunt prævia tantùm diſpoſitio, quam requirit humanus diſcurſus; iis tamen non innititur definitio, ſed inſpirationi divinæ. Nec 2dò infallibiles ſunt deciſiones quæcunque peculia-

rem

rem tantùm perſonam concernentes; quia non intereſt totius Eccleſiæ, ejuſmodi declarationes eſſe infallibiles. 3tiò. Non ſunt omnia de fide, quibus definitiones Concilium fuſiùs explicat, ſed illa tantùm, quibus conſtat definitio poſtmodum in Canone expreſſa, v. g. Trid. Seſſ. 13. cap. 3. dicit, totum Chriſtum in Euchariſtia ſub qualibet parte ſpecierum panis contineri; poſtea tamen in Canone 3. reſtringit illud, & definit, totum Chriſtum contineri ſub ſingulis ſpeciei partibus, ſeparatione factà. Et hoc declaratur eſſe de Fide, non primum, etſi ſit indubitatum.

Pro uberiore notitia, & ſecuritate doctrinæ, dum Concilia in libris, vel oretenus citantur, ſubjicio hìc tabulam, quæ exhibet Concilia tum legitima, & tota approbata, tum partim, tum penitus reprobata.

Conciliorum Synopſis, ſeu Tabula ea exhibens.

Concilia Apoſtolica quinque.

I.

Primum habitum Jeroſolymis, in quo loco Judæ proditoris electus eſt Mathias Apoſtolus, Petro præſidente anno Chriſti 34.

II.

Secundum habitum ibidem eodem anno, in quo conſtituti ſeptem Diaconi, qui curam haberent pauperum.

III.

III.

Tertium Habitum ibidem, in quo definitum eſt, Chriſtianos non obligari Lege Moſaicâ, juſſi tamen ſunt abſtinere ab immolatis ſimulacrorum, à ſanguine & ſuffocato. Act. 15. Quod præceptum ad tempus tantùm latum, non concernebat Chriſtianos omnes, ſed ſolos Antiochenos, eorumque vicinos, concordiæ inter Judæos & Gentiles converſos habendæ causâ. Unde S. Paulus 1. ad Corinth. 8. eſum ejuſmodi prohibuit, ſed tantùm, ſi adſit periculum ſcandali. Lutherus ait, hoc Concilium erraſſe, eò quòd contra ſententiam Petri, verè aſſerentis, Gentiles non eſſe cogendos ad ſervanda legalia, definiverit, abſtinendum eſſe à ſuffocatis & ſanguine, ùt præceptum erat in lege veteri. Sed erravit Lutherus; quia illa exceptio, à Jacobo facta, non fuit definitio Fidei, ſed præceptum merè poſitivum ad tempus obligans, neque ei repugnavit Petrus: additur enim Act. 15. Omnes Apoſtolos in eandem ſententiam conſenſiſſe.

IV.

Quartum habitum ibidem, in quo Judæis aliquamdiu permiſſæ ceremoniæ legales.

V.

Quintum habitum in Judæa, ſed in quo loco, non conſtat. In illo ante diviſionem Apoſtolorum compoſitum eſſe Fidei ſymbolum, Patres memorant.

Con-

Concilia generalia Eccleſiaſtica, legitima & approbata.

I.

Nicænum primum.

Habitum Nicææ, Metropoli Bithyniæ anno Chriſti 325. Papâ S. Sylveſtro, & Imperatore Conſtantino Magno. Patres in eo fuerunt 318. Præſederunt, ùt Legati Pontificii, Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, & Vitus, ac Vincentius ſolum Presbyteri. Damnata eſt in illo Hæreſis Arii, Chriſti Divinitatem abnegantis, & compoſitum ſymbolum Nicænum. Hujus Concilii appendix eſt Sardicenſe poſt aliquot dein annos habitum.

II.

Conſtantinopolitanum primum.

Celebratum Conſtantinopoli anno Chriſti 381. ex mandato Papæ Damaſi, Imperatore Theodoſio ſeniore. Illi interfuêre Catholici 150. Macedoniani, ſeu Semiâriani 36. Nec Papa per ſe, nec per Legatos præſedit, confirmavit tamen, quoad res Fidei. Damnata eſt Hæreſis Macedoniorum negantium Divinitatem Spiritûs S. Firmata Fides Concilii Nicæni,

* *
*

III. Ephe-

III.

Epheſinum primum.

Habitum Epheſi, in Metropoli Aſiæ minoris, anno Chriſti 430. circiter, authoritate Cœleſtini Papæ, & operâ Theodoſii junioris convocatum. In eo præſentes fuerunt Epiſcopi 200. Præſedit Cyrillus Archi-Epiſcopus Alexandrinus, aliique Legati Papæ. Damnata eſt Hæreſis Neſtorii Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui duas in Chriſto perſonas aſtruebat, divinam unam, alteram humanam ex Virgine Maria, ideoque volebat hanc, non Deiparam, ſed ſolùm Chriſtiparam appellari, eò quòd ſolùm ejus perſonam humanam genuiſſet: contra quem errorem in Salutatione Angelica addita ſunt hæc verba: *Mater Dei.*

IV.

Chalcedonenſe.

Celebratum Chalcedone, urbe Bithyniæ anno Chriſti 451. auctoritate Leonis I. Imperatore Martiano. Patres interfuerunt 630. Præſedit Leo per Legatos, confirmavitque ſolùm definita circa res Fidei. Damnata eſt Hæreſis Eutychetis, & Dioſcori, qui unam tantùm in Chriſto naturam recipiebant.

V.

Conſtantinopolitanum ſecundum.

Celebratum Conſtantinopoli anno 553. Epiſcoporum 255. annuente Vigilio Papâ con-

convocatum ab Imperatore Juſtiniano. Papa nec per ſe, nec per Legatos præfuit; approbavit tamen per Epiſtolam. Damnavit Hæreſin Origenis, & tria Capitula, nempe doctrinam Theodori Mopſueſteni, Epiſtolam Ibæ Epiſcopi Edeſſeni, & ſcripta Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi contra S. Cyrillum, in quibus Hæreſis Neſtoriana continebatur. Francolinus ait, eſſe etiam damnatas illorum perſonas, negant id alii.

VI.

Conſtantinopolitanum tertium.

Celebratum anno 680. Epiſcopi intererant 289. auctoritate Papæ Agathonis à Conſtantino IV. convocatum. Præſederunt tanquam Legati Apoſtolici Petrus, & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus. Damnata eſt Hæreſis Monotelitarum, qui Auctoribus Theodoro Pharanitano Epiſcopo, Sergio Patriarchâ Conſtantinopolitano, & Cyro Patriarchâ Alexandrino contendebant, quòd ſicut in Chriſto unus eſt operator, & una perſona, ità ſit una ſola voluntas, nempe divina, unaque operatio. Hujus appendix eſt Synodus Trullana, ſeu quini-ſexta.

VII.

Nicænum ſecundum.

Convocatum anno 757. à Conſtantino Imperatore, & Irene ejus matre, conſenſu Adriani Papæ I. Patres interfuerunt 350. Præſederunt Legati Petrus Archipresbyter, & Petrus Abbas. Damnata eſt Hæreſis Iconoclaſtarum Leonis Iſaurici, & Conſtantini Copronymi Impe-

Imperatorum,qui ſacras Chriſti, & Sanctorum imagines omni honore ſpoliabant.

VIII.

Conſtantinopolitanum quartum.

Mandante Adriano II. Papâ convocatum anno 869. opera Baſilii Imperatoris. Interfuêre Epiſcopi 383. vel, ùt alii volunt, 102. Præſedit Papa per Legatos. In eo Photius per vim in Patriarchatum Conſtantinopolitanum intruſus, rejectus eſt,& reſtitutus Ignatius. Iconomachi iterum damnati.

Hæc Concilia habita ſunt in Oriente, ſequentia legitima in Occidente.

IX.

Lateranenſe primum.

Celebratum Romæ in Baſilica Lateranenſi anno 1122. Papâ Calliſto præſidente, Henrico V. Imperatore. Patres ſive Epiſcopi, ſive Abbates 997. Confirmata in eo Conventûs Wormatienſis concordia inter prædictum Calliſtum, & Imperatorem circa Beneficiorum collationem, & actum ad procuranda ſubſidia contra Saracenos pro recuperanda terra ſancta.

X.

Lateranenſe ſecundum.

Celebratum anno 1139. in eâdem Baſilicâ convocante, & præſidente Innocentio II. Interfuêre Epiſcopi ferè mille. Actum contra Ana-

Anacletum, & Victorem ejus ſucceſſorem, & contra Petrum de Bruis, ejusque diſcipulum Arnoldum Brixienſem, inter alia aſſerentes, Baptiſmum parvulis nihil prodeſſe, templa eſſe deſtruenda.

XI.

Lateranenſe tertium.

Celebratum Romæ 1179. Imperatore Friderico I. Præſide Alexandro III. præſentibus Patribus circiter 300. poſt extinctum Schiſma trium pſeudo Pontificum Victoris IV. Paſchalis III. & Calliſti III. 1mò ad providendum, ne ſimili Schiſmate impoſterum Eccleſia vexaretur. 2dò ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam. 3tio ad damnandos tunc in Occitania, & Aquitania Catharos, Waldenſes, & Albigenſes, qui renovârunt Hæreſin Manichæorum de duplici principio, negârunt Sacramenta, reſurrectionem corporum, &c.

XII.

Lateranenſe quartum.

Celebratum Romæ 1215. Imperatore Friderico II. Papâ Innoc. III. per ſe præſidente, ab Epiſcopis 400. Archi-Epiſcopis 70. Prælatis minoribus 800. Damnati iterum Albigenſes. Item libellus Joachimi Abbatis contra Petrum Lumbardum de Sanctiſſimæ Trinitatis unitate. Damnata quoque dogmata Almarici Pariſienſis Doctoris, docentis, nec paradiſum, nec infernum extare, nec Chriſti Corpus eſſe in Sacramento, &c.

XIII.

Lugdunenſe primum.

Celebratum Lugduni in Gallia anno 1245. ab Epiſcopis 140. Imperatore Friderico II. Præſidente Innocentio IV. Excommunicatus, & depoſitus in eo Fridericus II. Seu Barbaroſſa, decretaque expeditio in terram ſanctam.

XIV.

Lugdunenſe ſecundum.

Celebratum Lugduni ab Epiſcopis 500. anno 1274. aliis 1294 Imperatore Rudolpho, præſidente Gregorio Papâ X. Damnata Hæreſis Græcorum, qui tenebant, Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, facta quoque unio cum Græcis, maximè operâ S. Bonaventuræ. Actum ſimul de recuperanda Palæſtina.

XV.

Viennenſe.

Congregatum Viennæ in Gallia anno 1311. Imperatore Henrico VII. Papa Clemens V. præſedit, à quo ſunt Conſtitutiones, quæ Clementinæ dicuntur: interfuerant Epiſcopi 300. Damnati errores Beguardorum & Beguinarum perſimiles erroribus Quietiſtarum noſtri temporis. Extinctus Ordo Templariorum, ſic dictorum, quia Jeroſolymis habitabant juxta templum. Actum rurſus de expeditione in terram ſanctam.

XVI.

XVI.

Florentinum.

Celebratum Florentiæ in Italia anno circiter 1438. Papâ Eugenio IV. Imperatore Alberto. Præſedit Pontifex ipſe, qui Concilium convocavit rogatu Joan. Paleologi Græcorum Imperatoris. Actum contra Græcorum errores, præſente eorum Imperatore, facta unio Græcorum & Armenorum cum Latinis. Sed illi poſt reditum in Græciam ad priores errores redierunt. Subſcripſerunt Decretis 141. alii multi priùs diſceſſerunt.

XVII.

Lateranenſe quintum.

Inchoatum anno 1512. ſub Julio Papâ II. abſolutum anno 1517. ſub Leone X Imperatore Maximiliano primo. Præſedit Papa. Patres præſentes erant 114. Actum fuit contra Schiſma propagatum per Conciliabulum Piſanum. Decreta expeditio contra Turcas, ſed impedita ſeditione Lutheri.

XVIII.

Tridentinum.

Inchoatum Tridenti anno 1545. ſub Papa Paulo tertio. Continuatum Bononiæ ſub Julio tertio, tandem ſub Pio Pontifice quarto Tridenti abſolutum anno 1563. duravit igitur annis 18. Præſederunt Legati Pontificii,

ſed non ſemper iidem. Damnati errores Lutheri & aliorum Hæreticorum. Plures articuli Fidei, quàm in ullo alio Concilio explicati, reformati mores, præſertim in Clero. Subſcripſerunt 255. Multi alii finem Concilii exſpectare non potuerunt. Imperatores illo tempore fuerunt Carolus V. & Ferdinandus I.

Concilia generalia illegitima, & reprobata VII.

I.

Antiochenum.

Convocatum fuit à Conſtantio Imperatore Ariano anno 341. Interfuerunt 90. circiter Epiſcopi Ariani, à quibus condemnatus iniquè eſt S. Athanaſius. Via patefacta eſt ad evertendum Concilium Nicænum primum per quatuor ſubdolas Fidei formulas.

II.

Mediolanenſe.

Convocatum quidem à Liberio Papâ anno 355. Epiſcoporum 300. adeoque legitimè inchoatum, ſed poſtea illegitimè celebratum, coactis per vim Patribus à Conſtantio Imperatore, damnationi S. Athanaſii ſubſcribere.

III.

III.

Ariminenſe.

Epiſcoporum 600. convocatum tempore Damaſi Papæ, Imperatore eodem Conſtantio Anno 372. juxta Bellarminum; ſed Baronius & alii duo diſtinguunt Ariminenſia, legitimum unum, in quo fides Nicæna confirmata eſt; alterum illegitimum, in quo tum ignorantia linguæ Græcæ, tum fraude Arianorum, Epiſcopi etiam Catholici ſubſcripſerunt formulæ Fidei dubiæ, in qua vox *Homonſios*, id eſt, conſubſtantialis, omiſſa eſt.

IV.

Epheſinum ſecundum.

Ab Imperatore Theodoſio juniore an. 449. convocatum, Epiſcoporum 128. In hoc omnia vi & minis acta ſunt. Eutyches abſolutus, occiſus Flavianus, Epiſcopus Conſtantinopol. Unde prædatoria Synodus, & latrocinium appellari meruit.

V.

Conſtantinopolitanum.

Tempore Leonis Iſaurici Iconomachi anno 730. contra ſacras imagines convocatum. Interfuêre plerique Laici. Unde immeritò dicitur generale, ùt & duo ſequentia.

* * *

VI.

Conſtantinopolitanum.

Convocatum ſub Conſtantino Copronymo Imperatore. Ab Epiſcopis Iconomachis 338. concluſum, ut ſacræ imagines omninò abolerentur.

VII.

Piſanum.

Congregatum ab Imperatore Maximiliano primo, Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Julium ſecundum Pontificem, ſed mox reprobatum à Concilio Lateranenſi V. ſub eodem Julio, & Leone X. Non eſt Piſanum illud, quod infra dicetur dubium.

Concilia Generalia ſex partim approbata, partim reprobata.

I.

Sardicenſe.

Habitum eſt tempore Julii primi Pontificis, & Conſtantii Ariani Imperatoris anno 347. Interfuêre 300. Occidentales, & 76. Orientales Epiſcopi. Hi ſteterunt pro Hæreſi Arianâ, ſed acta eorum rejecta ſunt, illi pro Fide Catholicâ. Eſt appendix Concilii primi Nicæni. Baronius, & alii, duo Sardicenſia aſtruunt, unum legitimum à 300. Epiſcopis Catholicis

tholicis celebratum, alterum ſpurium ab 80. circiter Epiſcopis Arianis in vicinia eodem tempore coactum, ſcilicet Philippopoli.

II.
Sirmienſe.

Habitum eſt anno 356. vel, ùt vult Petavius, 351. Papâ Liberio, Imperatore Conſtantio Ariano. Editæ ſunt duæ formulæ Fidei inter ſe diſſentientes, altera Catholica, altera blaſphema. Damnata eſt Hæreſis Photini, quæ damnatio ab Eccleſia recepta eſt.

III.
Conſtantinopolitanum quini-ſextum.

Habitum eſt Conſtantinopoli anno 692. Papâ Sergio inſcio, Imperatore Juliano ſecundo ſeu Juniore. Condidit Canones centum & duos, qui adjecti ſunt Synodis quintæ & ſextæ Generalibus. Dicuntur Trullani à Trullo Palatio, in quo Concilium celebratum eſt, ex quibus aliqui tantùm poſtea ſunt recepti. Concilium dicitur quini ſextum, quia PP. illi per Canones illos voluerunt ſupplere, ùt dicebant, quinti & ſexti Concilii præcedentis defectum, quæ duo non condiderunt Canones, ùt fecerunt quatuor prima.

IV.
Francofordienſe.

Celebratum eſt anno 794. Papâ Adriano per Legatos præſidente, Carolo Magno Rege, necdum Imperatore. Interfuêre 300. circiter Epiſcopi, nulli tamen Orientales. Hinc vix meretur dici Generale. Approbatum, & confirmatum eſt quoad eam partem, in qua definitur,

tur, Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, & non tantùm adoptivum; reprobatum verò, quatenus ex errore damnavit Synodum ſeptimam, ſeu Nicænam ſecundam, quoad cultum imaginum, quaſi definiviſſet imagines Sanctorum adorandas eſſe cultu latriæ, Sanctiſſimæ Trinitati debito, quod referebat erronea verſio actorum Synodi ex Græco in Latinum; nam Conſtantinus Epiſcopus in Epiro dixerat eſſe venerandas, ſed non cultu latriæ, uti Sanctiſſima Trinitas; verſio autem habebat eſſe hoc cultu venerandas ex mente iſtius Synodi.

V.

Conſtantienſe.

Celebratum Conſtantiæ ad lacum Bodamicum. Inchoatum an. 1414. à Papâ Joan. XXIII. Alexandri V. Succeſſore, convocatum Imperat. Sigismundo. Finitum verò an 1418. ſub Martino V. Pontifice. Interfuerunt Epiſcopi 300. Prælati minores ferè 700. In hoc condemnati ſunt Wicleffus & Huſs, qui poſterior etiam vivus eſt combuſtus. Approbatum eſt à Martino V. exceptâ Seſſ. IV. & V. quæ Papam ſubjiciebant Concilio. Extinctum eſt Schiſma ratione trium ſimul Pontificum, ubi Joannes XXIII. & Greg. XII Pontificatu ceſſerunt, ab eoque dejectus Benedictus XIII. qui ſponte cedere nolebat Electus Mart. V.

VI.

Baſileenſe.

Inchoatum Baſileæ ad Rhenum anno 1431. Papâ Eugenio IV. Finitum Lauſanæ ad Lacum Genevenſem ſub Nicolao V. an. 1449. in quo Legatus Pontificius præſedit tantùm ad tempus. Elegit pſeudo Pontificem Amadæum Sabaudiæ Ducem, qui dictus eſt Felix V. Hujus acta quædam

dam, quæ concernunt Beneficia Eccleſiaſtica & Cenſuras, Nicolaus V. approbavit, non verò Decreta de authoritate Concilii ſupra Pontificem. Francolinus ait, indictum fuiſſe à Martino V. inchoatum ab Eugenio IV. ſed ab eodem poſtea diſſolutum eſſe, à congregatis tamen continuatum, & denique acta aliqua à Nicolao V. Pontif. eſſe approbata.

His accedit Piſanum dubium.

Celebratum eſt ante Conſtantienſe nempe an. 1409. ad tollendum Schiſma: nam pro veris Pontificibus ſe gerebant Petrus de Luna, dictus Benedictus XIII. Angelus Corarius, dictus Gregorius XII. nolebantque pro bono pacis, ùt in ſua electione promiſerant, Pontificatu cedere; hinc cùm alia ratio Schiſmatis extinguendi non ſupereſſet, convenerunt Piſis in Italia Cardinales utriuſque partis 23. cum tribus Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis 300. Monaſteriorum Præfectis 180. aliiſque Theologis multis, & Principum Europæ legatis, & prædictos duos Pontifices depoſuerunt, & elegerunt Alexandrum V. Hoc Concilium aliqui putant illegitimum, alii legitimum. Alexander enim numeratur inter veros Pontifices, quanquàm Schiſma non eſt extinctum, donec acceſſerit Concilium Conſtantienſe jam relatum. Cæterum hoc Piſanum Concilium non eſt confundendum cum eo, quod Innoc. II. contra Petrum Leonis antipapam, qui Anacleti II. nomen aſſumpſit, anno 1134. Piſis celebravit, nec cum eo, quod anno 1511. contra Julium II. ibi habendum indixerunt quidam Cardinales.

Concilia Particularia.

Horum habita ſunt permulta, quorum, uti

ſingula poſſunt, ità aliqua reipsâ errârunt, ut Carthaginenſe ſub S. Cypriano; Decreta tamen eorum ſunt firma, ſi aliquid ex commiſſione, & inſtructione Sedis Apoſtolicæ definiant circa Fidem, ùt fecit Arauſicanum II. & Toletanum I. tempore Leonis Papæ I. & Complutenſe tempore Sixti V. idque multò magis, ſi deciſio ad ſummum Pontificem mittatur, ab eoque confirmetur, ùt factum eſſe in Concilio Milevitano, & Carthaginenſi teſtatur S. Auguſt. Epiſt. 90. 91. & 92. Alia plura ex parte approbata ſunt, & in Eccleſia uſu recepta, inter quæ ſunt Cæſarienſe, Laodicenſe, Sirmienſe, Gangrenſe, Carthaginenſe I. & II. Arauſicanum I. & II Wormatienſe I. & II. & alia quædam V. Cabaſſutium, & ſummam Conc. Carranzæ.

Ex dictis ſequitur, univerſalem Fidei regulam conſtitui *Primò* per ſacram Scripturam, cujus tamen editio authentica, & genuinus, præſertim in obſcuris & controverſis, ſenſus ab Eccleſia ſunt requirenda. *Secundò.* Per divinas traditiones, quarum Cuſtos, & Magiſtra nobis eadem eſt Eccleſia. *Tertiò.* Per Conciliorum Oecumenicorum, & ſummorum Pontificum definitiones, quibus revelata nobis proponuntur, ſenſuſque eorum authenticè declaratur.

Subjicio his Seriem Romanorum Pontificum Chronologicam, & Alphabeticam, tum ut conſtet eorum ſucceſſio, tum ut in promptu haberi poſſit, quæ Bullæ, Decreta, Privilegia &c. ſint priora, quæ poſteriora &c.

SERIES

SERIES SUCCESSIONIS Romanorum Pontificum.

In I. Seculo.

	Anno
S. Petrus à Chriſto conſtitutus	34
S. Linus electus	67
S. Cletus	73
S. Clemens	91

In II. Seculo.

S. Anacletus	101
S. Evariſtus	110
S. Alexander	119
S. Sixtus	130
S. Teleſphorus	140
S. Hyginus	152
S. Pius I.	156
S. Anicetus	165
S. Soter	173
S. Eleutherius	177
S. Victor	192

In III. Seculo.

	Anno
S. Zephyrinus	201
S. Calliſtus	219
S. Urbanus	224
S. Pontianus	231
S. Auterus	235
S. Fabianus	236
S. Cornelius	251
S. Lucius	253
S. Stephanus	255
S. Sixtus II.	257
S. Dionyſius	258
S. Felix	270
S. Eutychianus	275
S. Cajus	283
S. Marcellinus	296

In IV. Seculo.

S. Marcellus	304
S. Euſebius	309
S. Melchiades	311
S. Sylveſter	314
S. Marcus	326
S. Julius	337
S. Liberius	352
S. Felix II.	355
S. Damaſus	367
S. Siricius	385
S. Anaſtaſius	398

In

In V. Sæculo.

	Anno
S. Innocentius	402
S. Zoſimus	417
S. Bonifacius	418
S. Cœleſtinus	425
S. Sixtus III.	432
S. Leo Magnus	440
S. Hilarius	461
S. Simplicius	467
S. Felix III.	483
S. Gelaſius	492
S. Anaſtaſius II.	496
S. Symmachus	498

In VI. Sæculo.

S. Hormisdas	514
S. Joannes I.	523
S Felix IV.	526
Bonifacius II.	527
S Joannes II.	532
S. Agapetus	535
S. Silverius	536
Vigilius	537
Pelagius	555
Joannes III.	561
Benedictus	575
Pelagius II.	579
S. Gregorius Magnus	590

In VII. Sæculo.

	Anno
Sabianus	604
Bonifacius III.	607
S. Bonifacius IV.	608
S. Deus dedit	616
Bonifacius V.	620
Honorius I.	626
Severinus	640
Joannes IV.	640
Theodorus I.	642
S. Martinus	649
S. Eugenius I.	654
S. Vitalianus	657
A Deo datus	672
Donus	677
S. Agatho	679
S Leo II.	682
S. Benedictus II.	685
Joannes V.	686
Canon	687
S. Sergius	688

In VIII. Sæculo.

Joannes VI.	702
Joannes VII.	705
Siſinnius	707
Conſtantinus	708
S. Gregorius II.	715
S Gregorius III.	731
S Zacharias	741
Stephanus II.	752
Stephanus III.	732
S. Paulus	757
Stephanus IV.	768
Hadrianus I.	772
Leo III.	795

In

In IX. Sæculo.

	Anno
Stephanus V.	816
S. Paſchalis	817
Eugenius II.	824
Valentinus	827
Gregorius IV.	828
Sergius II.	844
S. Leo IV.	847
Benedictus III.	855
S. Nicolaus	858
Hadrianus II.	867
Joannes VIII.	872
Marinus	882
Hadrianus III.	884
Stephanus VI.	885
Formoſus	891
Bonifacius VI.	896
Stephanus VII.	896
Romanus	897
Theodorus II.	898
Joannes IX.	898
Benedictus IV.	900

In X. Sæculo.

	Anno
Leo V.	904
Chriſtophorus	904
Sergius III.	905
Anaſtaſius III.	912
Lando	914
Joannes X.	915
Leo VI.	928
Stephanus VIII.	929
Joannes XI.	931
Leo VII.	936
Stephanus IX.	939
Martinus II.	943
Agapetus II.	946
Joannes XII.	955
Leo VIII.	963
Benedictus V.	964
Joannes XIII.	965
Benedictus VI.	972
Donus II.	974
Benedictus VII.	975
Joannes XIV.	984
Bonifacius VII.	985
Joannes XV.	986
Gregorius V.	997
Silveſter II.	999

In XI. Sæculo.

Joannes XVI. dictus XVIII.	1003
Joannes XVIII. dictus XIX.	1004
Sergius IV.	1009
Benedictus VIII.	1012
Joannes XX.	1024
Benedictus IX.	1033
Gregorius VI.	1045
Clemens II.	1046
Damaſus II.	1048
S. Leo IX.	1049
Victor II.	1055
S. Stephanus X.	1057
Nicolaus II.	1059

Ale-

Anno
Alexander II. 1061
S. Gregorius VII. 1073
Victor III. 1087
Urbanus II. 1088
Paſchalis II. 1099

In Sæculo XII.

Gelaſius II. 1118
Calliſtus II. 1123
Honorius II. 1128
Innocentius II. 1130
Cœleſtinus II. 1143
Lucius II. 1144
Eugenius III. 1145
Anaſtaſius IV. 1153
Hadrianus IV. 1154
Alexander III. 1157
Lucius III. 1181
Urbanus III. 1185
Gregorius VIII. 1187
Clemens III. 1187
Cœleſtinus III. 1191
Innocentius III. 1198

In Sæculo XIII.

Honorius III. 1216
B. Gregorius IX. 1227
Cœleſtinus IV. 1241
Innocentius IV. 1243
Alexander IV. 1254
Urbanus IV. 1261
Clemens IV. 1265
B. Gregorius X. 1271
Innocentius V. 1276
Hadrianus V. 1276
Joannes XXI. 1276
Nicolaus III. 1277
Martinus II. dictus IV. 1281
Honorius IV. 1285
Nicolaus IV. 1288
S. Cœleſtinus V. 1294
Bonifacius VIII. 1294

In Sæculo XIV.

Benedictus X. dictus XI. 1303
Clemens V. 1305
Joannes XXII. 1316
Benedictus XI. dictus XII. 1334
Clemens VI. 1334
Innocentius VI. 1352
Urbanus V. 1362
Gregorius XI. 1370
Urbanus VI. 1378
Bonifacius IX. 1389

In Sæculo XV.

Innocentius VII. 1404
Gregorius XII. 1406
Alexander V. 1409

Joan-

	Anno
Joannes XXIII.	1410
Martinus V.	1417
Eugenius IV.	1431
Nicolaus V.	1447
Calliſtus III.	1455
Pius II.	1458
Paulus II.	1461
Sixtus IV.	1471
Innocentius VIII.	1484
Alexander VI.	1492

In Saeculo XVI.

Pius III.	1503
Julius II.	1503
Leo X.	1513
Hadrianus VI.	1522
Clemens VII.	1523
Paulus III.	1534
Julius III.	1550
Marcellus II.	1555
Paulus IV.	1555
Pius IV.	1560
S. Pius V.	1566
Gregorius XIII.	1572
Sixtus V.	1585
Urbanus VII.	1590
Gregorius XIV.	1590

	Anno
Innocentius IX.	1591
Clemens VIII.	1591

In Saeculo XVII.

Leo XI.	1605
Paulus V.	1605
Gregorius XV.	1621
Urbanus VIII.	1623
Innocentius X.	1644
Alexander VII.	1655
Clemens IX.	1667
Clemens X.	1669
Innocentius XI.	1676
Alexander VIII.	1689
Innocentius XII.	1691
Clemens XI.	1700

In Saeculo XVIII.

Innocentius XIII.	1721
Benedictus XIII.	1724
Clemens XII.	1732
Benedictus XIV.	1740

Romanorum Pontificum Series Alphabetica.

A	Anno		Anno
Agatho	679	Benedictus VIII.	1012
Agapetus I.	535	Benedictus IX.	1033
Agapetus II.	946	Benedictus X.	1058
Alexander I.	119	Benedictus XI.	1303
Alexander II.	1061	Benedictus XII.	1334
Alexander III.	1159	Benedictus XIII.	1724
Alexander IV.	1254	Benedictus XIV.	1740
Alexander V.	1409	Bonifacius I,	418
Alexandet VI.	1492	Bonifacius II.	527
Alexander VII.	1655	Bonifacius III.	607
Alexander VIII.	1689	Bonifacius IV.	608
Anacletus	101	Bonifacius V.	620
Anaſtaſius I.	398	Bonifacius VI.	896
Anaſtaſius II.	496	Bonifacius VII.	985
Anaſtaſius III.	912	Bonifacius VIII.	1294
Anaſtaſius IV.	1153	Bonifacius IX.	1389
Anicetus	165		
Anterus	235	**C**	
B.		Cajus	283
		Calliſtus I.	219
Benedictus I.	575	Calliſtus II.	1123
Benedictus II.	655	Calliſtus III.	1455
Benedictus III.	885	Clemens I.	91
Benedictus IV.	900	Clemens II.	1046
Benedictus V.	964	Clemens III.	1187
Benedictus VI,	972	Clemens IV.	1265
Benedictus VII.	975	Clemens V.	1305

Cle-

	Anno
Clemens VI.	1334
Clemens VII.	1523
Clemens VIII.	1591
Clemens IX.	1667
Clemens X.	1669
Clemens XI.	1700
Clemens XII.	1732
Cletus	78
Cœleſtinus I.	425
Cœleſtinus II.	1143
Cœleſtinus III.	1191
Cœleſtinus IV.	1241
Cœleſtinus V.	1294
Conon	687
Cornelius	251
Conſtantinus	708
Chriſtophorus	904

D.

Damaſus I.	367
Damaſus II.	1048
Deus dedit	616
Deo datus	672
Dionyſius	258
Donus I.	677
Donus II.	974

E.

Eleutherius	177
Evariſtus	110
Eugenius I.	654
Eugenius II.	824

	Anno
Eugenius III.	1145
Eugenius IV.	1431
Euſebius	309
Eutychianus	275

F

Fabianus	236
Felix I.	270
Felix II.	355
Felix III.	483
Felix IV.	526
Formoſus	891

G

Gelaſius I.	492
Gelaſius II.	1118
Gregorius I.	590
Gregorius II.	715
Gregorius III.	731
Gregorius IV.	828
Gregorius V.	997
Gregorius VI.	1045
Gregorius VII.	1073
Gregorius VIII.	1187
Gregorius IX.	1227
Gregorius X.	1271
Gregorius XI.	1370
Gregorius XII.	1406
Gregorius XIII.	1572
Gregorius XIV.	1590
Gregorius XV.	1621

H

	Anno
Hadrianus I.	772
Hadrianus II.	867
Hadrianus III.	884
Hadrianus IV.	1154
Hadrianus V.	1276
Hadrianus VI.	1522
Hilarius	461
Honorius I.	626
Honorius II.	1128
Honorius III.	1216
Honorius IV.	1285
Hormisdas	514
Hyginus	152

I

Innocentius I.	402
Innocentius II.	1130
Innocentius III.	1198
Innocentius IV.	1243
Innocentius V.	1276
Innocentius VI.	1352
Innocentius VII.	1404
Innocentius VIII.	1484
Innocentius IX.	1591
Innocentius X.	1644
Innocentius XI.	1676
Innocentius XII.	1691
Innocentius XIII.	1721

	Anno
Joannes I.	523
Joannes II.	532
Joannes III.	561
Joannes IV.	640
Joannes V.	686
Joannes VI.	702
Joannes VII.	705
Joannes VIII.	872
Joannes IX.	898
Joannes X.	915
Joannes XI.	931
Joannes XII.	956
Joannes XIII.	965
Joannes XIV.	984
Joannes XV.	986
Joannes XVI. dictus XVIII.	1003
Joannes XVII. dictus XX.	1004
Joannes XX.	1024
Joannes XXI.	1276
Joannes XXII.	1316
Joannes XXIII.	1410
Julius I.	337
Julius II.	1503
Julius III.	1550

L

Lando	914
Leo I.	440
Leo II.	682
Leo III.	795
Leo IV.	847

Leo

	Anno
Leo V.	904
Leo VI.	928
Leo VII.	936
Leo VIII.	963
Leo IX.	1049
Leo X.	1513
Leo XI.	1605
Liberius	352
Linus	67
Lucius I.	253
Lucius II.	1144
Lucius III.	1181

M.

Marcellinus	296
Marcellus I.	304
Marcellus II.	1555
Marcus	326
Marinus	882
Martinus I.	649
Martinus II.	649
Martinus III.	881
Martinus IV.	943
Martinus V.	1417
Melchiades	311

N.

Nicolaus I.	858
Nicolaus II.	1059
Nicolaus III.	1277
Nicolaus IV.	1288
Nicolaus V.	1447

P.

	Anno
Paulus I.	757
Paulus II.	1461
Paulus III.	1534
Paulus IV.	1555
Paulus V.	1605
Paſchalis I.	817
Paſchalis II.	1099
Pelagius I.	555
Pelagius II.	579
Petrus	34
Pius I.	156
Pius II.	1458
Pius III.	1503
Pius IV.	1560
Pius V.	1566
Pontianus	231

R.

Romanus	897

S.

Sabinianus	604
Sergius I.	688
Sergius II.	844
Sergius III.	905
Sergius IV.	1009
Severinus	640
Silveſter I.	314
Silveſter II.	999

	Anno
Sylverius	536
Simplicius	467
Siricius	385
Siſinnius	707
Sixtus I.	130
Sixtus II.	257
Sixtus III.	432
Sixtus IV.	1471
Sixtus V.	1585
Soter	173
Stephanus I.	255
Stephanus II.	752
Stephanus III.	752
Stephanus IV.	768
Stephanus V.	816
Stephanus VI.	885
Stephanus VII.	896
Stephanus VIII.	929
Stephanus IX.	939
Stephanus X.	1057
Symmachus	498

T.

Telesphorus	140

	Anno
Theodorus I.	642
Theodorus II.	898

V.

Valentinus	827
Vigilius	537
Vitalianus	657
Victor I.	192
Victor II.	1055
Victor III.	1087
Urbanus I.	224
Urbanus II.	1088
Urbanus III.	1185
Urbanus IV.	1261
Urbanus V.	1362
Urbanus VI.	1378
Urbanus VII.	1500
Urbanus VIII.	1623

Z.

Zacharias	741
Zephyrinus	201
Zoſimus	417

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quid de authoritate Patrum Eccleſiæ ſit hic notandum?

Reſp. Quamvis Patrum (quo nomine hîc veniunt omnes, qui poſt Apoſtolos inſignis ſanctitatis, & doctrinæ famâ, de rebus Fidei & morum ſcripſerunt) nullus ſit, ùt jam memini in Analyſi N. 71. infallibilis; imò nec plures ſimul, utpote homines, nullâque infallibilitatis promiſſione à Deo muniti, & aliquando humani quid in ſcribendo paſſi, ùt conſtat de S. Cypriano, & de ſe fatetur S. Auguſtinus; attamen, ubi omnes in Fidei vel morum doctrina aliqua conveniunt, certum eſt, eos, Deo ſic benignè providente, non errare: aliàs enim erraret in ejuſmodi doctrina pars Eccleſiæ nobiliſſima, fideleſque facilè ducerentur in errores contra Fidem & mores. At verò, quia non ità facilè eſt Patrum ſenſum in omnibus aſſequi, & cognoſcere, an omnes in aliquo conveniant; ut in dubió ſtatuatur, quid Fide tenendum ſit, opus eſt definitione Eccleſiæ. 29. *Nullus eſt infallibilis.*

Imò lapſus multorum, qui, legendo Patres, non expenderunt expendenda, docet, hominibus ingenii ſuperbi, & pervicacis periculoſam eſſe lectionem Patrum. Id mali, ut caveát Lector PP. obſervet ſequentia. *Quomodo legendi PP.*

1*mò*. Semper præ oculis habeat ſenſum, & definitiones Eccleſiæ, & ſecundùm has illos exponat. Hoc ſi ſervâſſet Bajus, & Janſenius legendo S. Auguſtinum, non tam turpiter erráſſent.

2. Advertat, contra quos, & quâ occaſione ſcripſerint: nam errores refellendo ſæpe ſatis habebant referre ea, quæ ad Hæreticos tunc refutandos videbantur ſufficere. Quandoque etiam cum quadam exaggeratione ſcripſerunt.

3. Non ſtatim pronuntiet de vero ſenſu Patris, quem legit; ſed tunc demum, cùm in eo bene verſatus fuerit, & ſcripta inter ſe contulerit; habent namque Patres ſuos ſpeciales loquendi modos & praxes.

4. Si legat librum ab alio translatum, advertat, qualis is fuerit: an Hæreticus, ſuſpectus, vel bene Catholicus? ſunt enim qui erroribus imbuti in translatione detorquent Patrum verba in ſenſum ſuum erroneum: quem ut obtineant, quandoque textus mutilant, aut ex ſuo addendo corrumpunt: id quod fit etiam nonnunquam à citantibus Patres.

5. Caveat, ne dubia pro certis, ſuppoſititia pro Germanis alicujus Patris ſcripta legat: multa enim certis Patribus tribuuntur, quæ aut ipſorum certò non ſunt, aut an ſint, meritò dubitatur. Quæ omnia hîc referre, quia nimis prolixum foret, videri poteſt Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel Francolinus in Tyrocinio Theologico p. 2. §. 2. n. 81. Hoc quoque notandum, quod, quando in Tomis S. Aug. operum, quæ Doctores Lovanienſes in ordinem redegerunt, ponitur: *Sermo ſancti Auguſtini*: certò ſit ipſius; ſi verò ponatur tantùm: ſermo v.g. II. III. dubium ſit, an ſit S. Auguſtini: ſi autem horum nihil adſit, ſed ſint rejecti ſermones in finem Tomi certò illius non ſint.

6. Legat Patres, tanquam Doctores, majore

lore præ cæteris lumine illuſtratos, eâ, quâ par eſt humilitate, amoreque veritatis, & ſincero in ſpiritu proficiendi ſtudio.

7. Notet, quo tempore is Pater ſcripſerit, ſic enim faciliùs excuſabit fortè dicta, quæ poſt novas Eccleſiæ definitiones dicenda non eſſent. Quò ſerviet, quem ſubjicio, Index Chronologicus.

Index Chronologicus Patrum celebriorum.

Floruerunt in primo Saculo.

Anno

Clemens Romanus 92

S. Dionyſius Ariopag. 71

S. Ignatius Martyr. 71

In II. Saculo.

S Irenæus Martyr 150

S. Theophilus Ep. Antiochenus 170

In III.

Clemens Alexandrinus 204

S. Cyprianus 250

S. Gregorius Thaum. 231

S. Methodius Ep. & Mart. 285

S. Zeno Ep. & Mart. 260

In IV.

Anno

S. Ambroſius 374

S. Athanaſius 340

S. Baſilius magnus 3[illegible]0

S. Cyrillus Hieroſol. 365

S. Ephrem Syrus 363

S. Epiphanius 370

S. Gregorius Nazian. 340

S. Gregorius Nyſſen. 380

S. Hieronymus 390

S. Hilarius 355

S. Chryſoſtomus 398

S. Pachomius 340

S. Optatus Milev. 365

In V.

S. Auguſtinus 420

Anno
S. Cæſarius Aurel. 499
S. Cyrillus Alexandr. 430
S. Eucherius Ep. Lugd. 440
S. Fulgentius 500
S. Gelaſius Papa 492
S. Leo Papa I. 440
S. Maximus Ep. Taurinen. 420
S. Nilus Abbas 445
S. Paulinus Nolanus 420
S. Petrus Chryſol. 440
S. Proſper Aquitan. 460
S. Vincentius Lirenenſ. 440
S Salvianus Ep. Maſſil. 460

In VI.

S. Gregorius Magnus 600
S. Gregorius Turonenſis 596
Joannes Climacus 560

In VII.

S. Maximus Matt. 650
S. Sophronius Ep. 630
S Ildephonſus Ep. Toletan. 658
S. Iſidorus Hiſpalenſis 630

In VIII

Beda Venerabilis 731

Anno
S. Germanus Conſtanſtantinop. 720
S. Joannes Damaſcenus 731
S. Paulinus Aquilejenſis Ep. 780

In IX.

S. Eulogius Matt. 850
S. Nicephor. Ep. Conſtantinop. 811
Nicolaus Papa II. 858
S. Theodorus Studita 820

In XI.

S. Anſelmus Ep. Cantuar. 1081
S. Petrus Damiani 1060
Richardus à S Victore 1030

In XII.

S. Bernardus 1130
Hugo à S. Victore 1130
Innocentius III. 1200
Petrus Bleſenſ. 1177
Petrus Abbas Cluniac. 1130

In XIII.

S. Bonaventura 1275
S. Thomas Aquin 1265

In XV.

S. Laurentius Juſtin. 1440
S. Vincentius Ferrerius. 1410

QUÆ.

QUÆSTIO III.

In quid tandem immediatè, & ultimò Fides Theologicâ ſit reſolvenda?

Reſp. Immediatè, & ultimò reſolvenda eſt in authoritatem Dei revelantis. Tum, quia, cùm ſit virtus Theologica, debet niti Dei aliquâ perfectione tanquam motivo immediato, & ultimo; tum, quia per Fidem captivamus intellectum noſtrum in obſequium primæ veritatis revelantis, propter ipſam immediatè. Quare interroganti, cur credas, v. g. Verbi Divini incarnationem? Rectè reſpondebis; quia Deus infinitè ſapiens, & verax eam revelavit. Interroganti, unde ſcias, quòd Deus eam revelaverit? repones: hoc ut firmiter teneam, movet me Eccleſiæ Romano Catholicæ, Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ munitæ, infallibilis in rebus Fidei, & morum authoritas. Si interrogeris, cur tenes, Eccleſiam illam eſſe infallibilem in rebus Fidei, & morum? Reſpondebis, quia id Deus revelavit. Quòd autem Deus id revelaverit, ut teneam firmiter, movet me, Eccleſiæ authoritas non jam ùt munita Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ, ſic enim vitioſus fieret circulus, ſed ut omnibus veræ Eccleſiæ ſignis inſtructa, ùt nemo prudenter dubitare poſſit. Ubi patet, quòd quidem Eccleſiæ authoritas moveat ut indubitatè teneatur revelatio facta; ad aſſentiendum autem myſteriis revelatis moveat immediatè & ultimò authoritas loquentis Dei.

3°. Analyſis ſeu reſolutio Fidei.

CAPUT III.

De neceſſitate Fidei Theologicæ.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Fides actualis Theologica ſit neceſſaria ád juſtificationem, & ſalutem?

31. *Neceſſarium neceſſitate medii.* *Nota.* Poteſt aliquid eſſe neceſſarium ad ſalutem & juſtificationem vel neceſſitate medii, vel præcepti tantùm. Neceſſarium eò neceſſitate medii dicitur, ſine quo, etſi inculpabiliter ignorato, vel non adhibito, juſtificatio, & ſalus obtineri non poſſunt. Quòd ſi neceſſarium neceſſitate medii non ſit in noſtra poteſtate, dicitur neceſſarium neceſſitate medii tantum; uti eſt prima gratia actualis. Si verò ſit in noſtra poteſtate, uti eſt poſt peccatum perſonale pœnitentia, dicitur neceſſarium neceſſitate medii, & præcepti: præcepto enim, quo tenemur tendere ad noſtram ſalutem, tenemur etiam adhibere media ad illam neceſſaria. Si ejus defectus per nullum aliud ſuppleri poſſit, dicitur neceſſarium neceſſitate medii in re; ſi autem aliunde poſſit ſuppleri, dicitur neceſſarium neceſſitate medii vel in re, vel in voto. Sic ad juſtificationem neceſſarius eſt Baptiſmus, cujus efficacia ſuppleri poteſt per ejus votum, id eſt, ejus deſiderium cum actu charitatis vel contritionis perfectæ. Itaque neceſſarium neceſſitate medii eſt medium à Deo ordinatum, & indiſpenſabiliter ad conſequendam gratiam ſanctificantem, & ſalutem;

lutem requiſitum, vel in ſe vel in ejus voto, vicem ejus ſupplente. Neceſſarium eò neceſſitate præcepti tantùm dicitur, cujus omiſſio vel defectus inculpabilis non impedit juſtificationem, ſed culpabilis tantùm, ùt eſt reſtitutio rei alienæ gravis, ſumptio Euchariſtiæ, Confeſſio omnium mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum. Hoc notato.

Reſp. Fides actualis Theologica eſt, ſemperque fuit neceſſaria neceſſitate medii in re omni homini adulto perſonalis peccati mortalis reo ad juſtificationem, & ſalutem. Eſt communis, & certa ſententia: nam Apoſtolus ad Hebræos cap. 11. ait: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et Tridentinum Seſſ. 6. cap. 6 docet: *Fidem eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum & radicem omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile ſit placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Et ratio eſt, quia Deus hominem adultum peccati mortalis reum, non vult juſtificare, niſi per actus voluntatis liberos, & ſupernaturales ſe ad juſtificationem diſponat; actus autem voluntaris ſupernaturales in hac Dei providentia in homine viatore non habentur, niſi præluceat cognitio ſupernaturalis proportionata, quam Deus voluit eſſe actum Fidei ſupernaturalis Theologicæ, utì innoteſcit nobis ex PP. Conciliis, & ſacra Scriptura. Apoſtolus enim Fidem, quam requirit, ait eſſe *ſperandarum ſubſtantiam rerum, argumentum non apparentium.* Et Trident. Seſſ. 6. docet eſſe eam Fidem, *quâ excitati divinâ gratiâ liberè moventur* (juſtificandi) *in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt & promiſſa.* Quare non ſufficit Fides latè dicta, ſeu

32. *Neceſſitas Fidei ad juſtificationem.*

ſeu cognitio ex teſtimonio creaturarum; etſi conjuncta ei ſit gratia actualis, ſaltem, ſi non ſit Fides virtualis. Quod & conſtat ex damnata ab Innocentio IX. Ordine 23. de qua vide Analyſin N. 76. Congruentiam autem hujus dat Card. de Lugo de Fide Diſp. 12. Sectione 2. N. 18. Tum quia conveniens erat, ùt homo juſtificandus Deo, ad cujus honorem, & gloriam conditus eſt, ſupremum cultum deferret intellectûs ſui, hunc in obſcuris ſubmittendo illi, pioque affectu firmiter credendo veritates, humanum captum etiam excedentes in reverentiam ſupremæ veritatis, eas revelantis; tum, quia rationes omnes, quæ lumine naturali nobis innoteſcunt, nimis imbecilles erant, ut nos ſurſum attollerent, efficaciterque nos moverent ad divinum obſequium, & ad æterna inviſibiliaque proſequenda. Hinc voluit Deus totum negotium ſalutis noſtræ reducere ad ſcholam Fidei, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus, ſuis nempe ratiocinationibus tribuens initium ſalutis; ſed qui gloriatur in Domino glorietur. Quòd videtur voluiſſe Apoſtolus 1. Cor. cap. 1. ſcribens: *Quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

Dixi 1. *Homini adulto &c.* Nam cùm pueri, & perpetuò amentes capaces non ſint perſonalis peccati, nec actûs Fidei, ad juſtificationem eorum per Baptiſmum, Deus Fidem non requiſivit. Cujus, quia Beatiſſima Virgo in primo inſtanti animationis uſu rationis prædita, capax fuit; eam utique cum excellentiſſimo actu charitatis habuit pro priori naturæ

ad

ad infuſionem gratiæ. Id quod & de Angelis in via, docent plures Theologi.

Dixi 2. *In re*: nam non apparet, per quid Fides ſuppleri poſſit in hac providentia Dei, requirentis abſolutè Fidem. Ex his

. Sequitur, in hac providentia neminem poſ- 33.

Fides eſt neceſſaria ad meritum ſupernaturale.

ſe ſine Fide elicere actum, quo mereatur vitam æternam, aut propinquè ſaltem ſe diſponat ad juſtificationem. Dico: *Propinquè*: nam, an Pagani ſeu Gentiles non habeant quandoque actus ſupernaturales, quibus remotè diſponantur, controvertunt Scholaſtici: negant aliqui, affirmant alii, putantes ad eos ſufficere lumen ſupernaturale, quod vocant Fidem inchoatam, & virtualem, quo illuſtrati, & piè affecti poſſint actus honeſtos ſupernaturales inefficaces elicere, etſi ſine Fide ſtricta non poſſint aſſurgere ad actus efficaces, quibus ad juſtificationem propinquè diſponantur. Nam certum eſt, quòd *Pagani influxum habeant à Jeſu Chriſto*: quòd *Fides non ſit prima gratia, & fons omnium gratiarum*: quòd *non omnes gratiæ dentur per Fidem*, ùt patet ex damnatis Baji 5. Queſnelli 26. & 27. Poſſunt autem gratiis cooperari, actusque ſaltem inefficaces elicere, qui, an in ſe, aut tantùm quoad modum ſint ſupernaturales, examinant Scholaſtici in Tract. de Gratia.

Sufficit fides formalis implicita, quæ virtualis dicitur.

Hoc certum eſt, quòd Fideles, qui notitiam credendorum praxinque credendi habent, Fide non careant ſaltem virtuali, dum orant, peccata confitentur, honeſtè operantur; quia cum alia cognitione, quàm Fidei de remiſſione peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ, de Dei beneficentia, mercede ſupernaturali bonorum operum non ſint inſtructi, ex Fide ope-

operantur. Et quamvis honeſtatem operationis aliquando cognoſcant cognitione naturali primùm; adeſt tamen, Deo ùt Auctore ſupernaturali operante, ſimul Fides. *Nec obſtat,* quòd ſignatè & experimentaliter non tendant in authoritatem Dei revelantis; quia ſatis eſt, quòd exercitè propter illam veritates revelatas firmiter teneant, quod fit, etſi de illa reflexè non cogitent: neque enim obſcuris aſſentiuntur ſine motivo. Simile eſt in motivis credibilitatis: nam Fidelis eliciens actum Fidei præter piam affectionem habet judicium evidens credibilitatis, cùm actus Fidei aliàs prudens, & firmus eſſe non poſſet, & tamen ſæpe non reflectit ſignatè ad motiva credibilitatis, ſed ſatis eſt, quòd exercitè ſciat eſſe talia, ut prudenter de facta revelatione & veritate objecti formidare non poſſit. Viva in damnatam 22 ab Innocentio XI. num. 13. & 23. putat, certum eſſe, quòd ſufficiat, Fidem actualem præceſſiſſe, & moraliter perſeverare, ut Fidelis poſſit elicere cum auxilio divinæ gratiæ actum ſupernaturalem dilectionis Dei ſuper omnia.

QUÆSTIO II.

34\. *Fides objectivè explicita Dei exiſtentis & remuneratoris neceſſaria.*

Quæ objecta pro conſequenda juſtificatione, & ſalute neceſſariò neceſſitate medii ſint credenda Fide ſupernaturali explicita ſeu in particulari?

Reſp. 1. Pro conſequenda juſtificatione & ſalute eſt, ſemperque fuit neceſſarium neceſſitate medii Fide objectivè explicitâ credere, Deum eſſe, & bonorum operum remuneratorem

torum eſſe : ait enim Apoſt. Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit.* Nomine *Dei* venit ens ſupremum, in omni genere perfectiſſimum, principium univerſi, & Dominus omnium, ſummè ſapiens, omnipotens, providus, verax, fidelis, benignus, juſtus, æternus, immenſus : proinde audiendus, colendus, reverendus, timendus, amandus, cum fiducia invocandus : quæ Deus ſe revelando, omnia revelavit. Nomine *Remuneratoris* venit largitor præmii ſupernaturalis, ſeu vitæ æternæ inquirentibus ſe, hoc eſt, accedentibus ad eum, ei obedientibus, & ſervientibus. Dixi : *Seu vita æterna* ; quia non eſt neceſſe præmia ſupernaturalia ſub conceptu ſupernaturalitatis, rudibus incognito, credere ; ſed ſufficit, quòd credatur remuneratio æterna, quam Deus revelavit, & promiſit, quæque apprehenditur à rudibus ſub nomine communi, quod ſine Dei auxilio obtineri non poſſit. Ratio autem reſponſionis eſt ; quia Deus peccatores adultos, rationis compotes, juſtificare, & ſalvare non vult ſine libera eorum cooperatione, & diſpoſitione per Dei dilectionem, vel deteſtationem peccatorum efficacem cum propoſito ſervandi mandata ; ſine Fide autem de exiſtentia Dei non poteſt homo Deum diligere ; peccata deteſtari ; velle ſervare mandata, nec ſine Fide Remuneratoris poteſt ſpem concipere remiſſionis, & vitæ æternæ : ſine ſpe autem illa iterum aſſurgere non poteſt ad actus illos. Quare Innocentius XI. damnavit hanc 22. *Nonniſi Fides unius Dei neceſſaria videtur*

tur neceſſitate medii; non autem explicitâ remuneratoris.

35. *Quorum præterea* Hinc etiam neceſſaria eſt 1. Fides de immortalitate animæ; quia remuneratio æterna ſine immortalitate animæ concipi non poteſt; ſpectat enim maximè ad animam. 2. De eo, quòd peccata Deo diſpliceant, illaque Deus puniat: aliàs enim illa homo non deteſtabitur cum reſpectu ad Deum. 3. Quâ credat, poſſe ſe liberari à pœna æterna, & hoc per gratiam Dei; aliàs firmiter in Deo non ſperabit. Verùm de his Fides explicita ſatis habetur, quòd credatur, Deum præmiare bona opera per vitam æternam, peccata punire pœnis æternis, & ab alio, quàm ab ipſo, exſpectari non poſſe æternam felicitatem, & remiſſionem peccatorum, eumque paratum eſſe pœnitentibus illa remittere. 4. Probabiliter quoque poſt promulgatum Evangelium neceſſaria neceſſitate medii eſt Fides objectivè explicita Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis ex Decreto Dei, exigentis ad juſtificationem Fidem illorum primariorum Myſteriorum. Loquendo tamen ſpeculativè probabilior eſt negativa ſententia, quam tenet Suarez, Lugo, & alii communius: quia imprimis neceſſaria non eſt ex natura rei: credens enim, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, poteſt auxilio divinæ gratiæ adjutus aſſurgere ad peccatorum deteſtationem, ſpem veniæ, & amorem Dei ſuper omnia. Deinde non oſtenditur requiri ex Decreto Dei: nam dicitur quidem de Nomine JESU. Act. 2. *Non aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*; & Gal. 2. ait Apoſt. *Scientes, quòd non juſtificetur homo ex operibus*

bus legis , niſi per fidem JEſu Chriſti. Sed hæc intelliguntur de Fide, ut neceſſariâ neceſſitate præcepti iis , quibus Chriſtus & Sanctiſſima Trinitas ſatis proponitur , vel de neceſſitate ſaltem in voto. Sicut enim, licèt de Baptiſmo dicatur : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto , non poteſt introire in regnum Dei* , tamen ſufficit Baptiſmus in voto , quod ſuppleat Baptiſmi vim cauſativam gratiæ ſanctificantis ; ſic ſufficit votum Fidei explicitæ Incarnationis , & Sanctiſſimæ Trinitatis. Quæ Fides cùm ſit medium inſtitutum à Deo, ut poſitivè diſponamur , & per modum meriti de congruo ad Spem, Charitatem , & ſalutem obtinendam, rectè dicitur neceſſaria in voto ſupplente ejus vim , ſecus ac reſtitutio , quæ cùm non ſit medium inſtitutum ad cauſandam gratiam ſanctificantem , non dicitur neceſſaria in voto. *Nec obſtat* Trid. Seſſ. 6. dicens , quòd diſponamur ad ipſam juſtitiam , credentes , à Deo juſtificari impium per gratiam ejus , per redemptionem , quæ eſt in Chriſto JESU. Nam Trid. ibi enumerat actus, qui ſolent præcedere juſtificationem impii ; non autem docet, quòd ſemper debeant præcedere ex neceſſitate medii. Ità Suarez hìc Diſp. 12. S. 4. Lugo D. 12.

Dixi 1. *Speculativè loquendo* : nam, cùm oppoſita ſententia probabilis ſit , in praxi tenenda eſt : probabilior enim , ſi reipſa vera non eſſet , ſupplere defectum non poteſt. Unde rudis, ſi hæc Myſteria neſciat , abſolvendus non eſt ante inſtructionem , niſi in caſu neceſſitatis, dum inſtrui non poſſet. Tunc enim ſub conditione abſolvendus eſſet.

Dixi 2. *Fides explicita:* nam implicita objectivè & in communi utique neceſſaria eſt.

36. *Non tamen requiritur fides ſubjectivè explicita illorum ad meritum.* Reſp. 2. Fides neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, & ſalutem, non neceſſariò debet eſſe explicita ſubjectivè & ſignatè, quâ neceſſaria neceſſitate medii credantur reflexè, ſignanter, propter Dei teſtimonium; ſed ſufficit, quâ iſta in particulari exercitè, etſi Fides non ita experimentaliter ſe manifeſtet, credantur. Eſt communis & certa: quia ſicut certò ſufficit intentio virtualis, ſeu volitio implicita ad actus noſtros humanos, & ad Sacramentorum adminiſtrationem; ità Fides exercita & virtualis ſufficit, ut actus noſtros dirigat, & ſupernaturalitate donet, fuiſſetque nimis difficile, exigere ſemper ab homine Fidem illam explicitam; experimentaliter manifeſtam, Et niſi hoc verum eſſet, plerique rudes damnarentur ob defectum Fidei, tenerentur etiam Confeſſarii ſemper exigere ab illis Fidem illorum ſignatè explicitam, quod onus eſſet nimis grave.

Hinc Cardinalis de Lugo rectè ait, fieri moraliter non poſſe, ut, qui actus Fidei frequenter elicuerunt, circa illa Fidem ſufficientem non habeant, dum ad Sacramentum Pœnitentiæ ſe diſponunt. Neque dolor ad id neceſſarius cum propoſito elici poteſt, niſi Deum eſſe, & remuneratorem bonorum, & vindicem malorum, veniamque petentibus, & gratiam neceſſariam offerre præcognoſcant: cumque circa illa actus Fidei ſint frequentati, nec ferè niſi per Fidem ùt vera teneantur, ex ſpeciebus relictis excitatur homo ad actus illos, etſi tenues minuſque perceptibiles. Unde con-

concludit, imprudenter ſcrupulari tales, an Fidem, ſpemque ſufficientem habuerint ante Confeſſionem: neque enim dolerent de peccatis, proponerentque emendare, nec ad Confeſſionem cum ſuî confuſione accederent, niſi crederent, Deum peccatis offendi, velle ea remittere per Sacramentum, & gratiam emendandi, & vitam æternam dare, hæcque ſperarent. Nec deeſt Fides ſufficiens de Incarnatione, & Sanctiſſima Trinitate: prætterquam enim, quòd Fides de illis Myſteriis, cùm neceſſaria non ſit ex natura rei, ſed ad ſummum ex Decreto Dei, ſufficiat ante habita, moraliter perſeverans in illo, qui à Chriſto novit Sacramenta inſtituta, deeſſe moraliter non poteſt, cùm hunc teneat eſſe Dei Filium incarnatum, conceptum de Spiritu S. Quòd autem Fideles, inſtructi neceſſariis horum Myſteriorum Fidem frequentem eliciant, dubitari non poteſt: formando enim crucem, credunt Sanctiſſimam Trinitatem: venerando Crucifixì imaginem, vel effigiem, Chriſtum credunt, utì & adorando Euchariſtiam: & recitando Orationem Dominicam vitam æternam credunt, dum regnum Dei petunt ſibi advenire: credunt remiſſionem peccatorum, dum ea ſibi dimitti rogant: credunt neceſſitatem gratiæ, dum petunt non induci in tentationem. Item dum recitant Salutationem Angelicam, credunt Incarnationem ex Maria Virgine, &c. Dum verò Symbolum Apoſtolorum recitant, credunt omnia neceſſaria explicitè credenda neceſſitate medii, ùt patet illud expendenti. Neque vel ſuſpicari quis poteſt, Apoſtolos, à Spiritu S. illuminatos, in ea formula quidquam

eorum omiſiſſe, quæ credenda ſunt, ut non ignorentur.

Quid dicendum, ſi puer baptizatus utens dein ratione, moriatur ſine inſtructione?

Dices. Quid, ſi quis baptizatus puer, adeptus uſum rationis, moreretur, antequam eſſet inſtructus de Fide Dei Remuneratoris, aut raperetur à Barbaris, ignarus remunerationis æternæ, aut immortalitatis animæ: aut adeptus uſum rationis, putaret, ſe ad cœlum venire non poſſe, eò quòd filius Carnificis ſit: aut ſi ſurdus inſtrui non poſſet de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis? Reſp. Ad benignam Dei, volentis omnes ſalvos fieri, providentiam ſpectat, providere, ut exiſtens in gratia non moriatur ſine Fide neceſſaria. Suarez putat, exiſtentes in gratia, & necdum inſtructos annumerari infantibus: alii putant, Fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem, non juſtificatis, & communi modo obtinendam per actus Spei & Charitatis. Alii reſpondent: vel talis morietur paulò poſt uſum rationis adeptum, & annumerabitur infantibus: vel diu vivet jam præditus uſu rationis, & non erit diu ſine peccato mortali: quia mortalia omnia ſine Fide diu vitari moraliter non poſſunt: vel vivet mediocri tempore, & Deus providebit. Qui & ſurdum illuminabit, & non damnabit innocentem. Idem eſt de eo, qui putaret, ſe non poſſe ſalvari ob parentelam ſuam coram mundo infamem.

Ex dictis liquet, quòd gravis Parochis & parentibus incumbat obligatio, inſtruendi ſuos, ne ob ignorantiam juſtificationis beneficium & ſalutem non conſequantur.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quænam ſint neceſſariò credenda, & ſcienda neceſſitate præcepti ſpecialis?

37. *Ex ſpeciali precepto tenemur non negare fidem vel externè.*

Certum eſt primò, dari præceptum Speciale Fidei, ſeu obligans ex honeſtate ejusdem, tum negativum, quo tenentur adulti, rationis compotes, ſub mortali nunquam internè diſſentire, aut dubitare de objecto Fidei ſufficienter propoſito, tanquam à Deo revelato; vel Fidem exteriùs negare; tum affirmativum, quo tenentur quandoque elicere actum Fidei internum, Fidemque externè profiteri. Prima pars conſtat ex lumine naturæ; quia diſcredere quidquam, quod tanquam à Deo revelatum ſufficienter proponitur, aut de eo dubitare, vel exteriùs negare eſt gravis irreverentia, in primam veritatem. Eſt enim Deum exercitè reputare fallibilem, vel fallacem, vel eum tanquam talem externè profiteri. Quod repugnat lumini naturæ. Unde Chriſtus Matthæi 10. ait: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Pars ſecunda conſtat ex Scriptura: nam 1. Joannis 3. dicitur: *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus.* Et Marci 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et Lucæ 9. ait Chriſtus: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua.* Unde Innocent. XI. damnavit hanc Ordine 16. *Fides non cenſetur cadere ſub ſpeciale præceptum ſecundùm ſe.* Et ratio eſt, quia authoritas ſumma Dei exigit, ut credan-

tur tum generatim omnia, quæ ipſe revelavit, tum ſpeciatim neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, tum alia, quando explicitè proponuntur, ut obſequium intellectûs noſtri ipſi præſtemus, eumque tanquam infallibilem, & omnis veritatis fontem, obſcura credendo, profiteamur, & hinc tenemur credenda diſcere. 2. Certum quoque eſt, quòd ex præceptis aliarum virtutum non rarò ſit obligatio. Fidei tum eliciendæ, tum profitendæ, quando nempe illæ obligant, & ſine Fide exerceri non poſſunt. His præmiſſis

38. *Et credere neceſſaria neceſſitate medii.* Reſp. 1. In lege gratiæ tenemur omnes ex præcepto ſpeciali Fidei, tum naturali, tum poſitivo, credere explicitè neceſſaria neceſſitate medii; quia ex lege naturæ tenemur tendere ad ſalutem, adeoque adhibere media, abſolutè ad eam conſequendam neceſſaria, inter quæ eſt Fides explicita eorum, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, aitque Chriſtus: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Quod maximè valet in credendis neceſſariò neceſſitate medii; tum ex præcepto ſpeciali poſitivo Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis, reliquaque contenta in Symbolo Apoſtolorum, ſaltem quoad ſubſtantiam, & ſenſum, ità ut de ſingulis interrogatis quis poſſit reſpondere; quia ex præcepto Fidei tenemur ſaltem credere ſubſtantialia Chriſtianæ Religionis. Talia autem ſunt dicta Myſteria, & reliqua contenta in Symbolo Apoſtolorum, compoſito, ut Fideles haberent brevem credendorum ſummam, quà ſe Chriſtianos profiterentur, & juvarentur facilè, ut credenda non ignorent. In illo contenta dicuntur credenda ex præcepto ſpeciali Fidei; quia proponuntur

non

non ùt operabilia, ſed ſimpliciter, ùt tenenda tanquam vera. Dixi: *Saltem quoad ſubſtantiam, & quoad ſenſum*; quia circumſtantias v. g. temporis, quòd Chriſtus reſurrexerit tertiâ die, vel perſonæ, ſub qua paſſus eſt, ſcire putant multi, non cadere ſub præceptum grave, utì nec ut Symbolum memoriâ teneatur eo ordine, quo recitari ſolet, modò ſciantur ſatis in eo contenta ad illa explicitè credenda: ſed cùm ea vix aliter rudes percipiant, quàm, ut per Symboli verba ſignificantur, periculoſum eſt, id neſcire de memoria; unde pœnitens, niſi illud de memoria teneat, obligandus eſt, ut addiſcat.

Reſp. 2. Ex præceptis aliarum virtutum ſcienda ſunt, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam, ùt Oratio Dominica, in qua continentur ſperanda, & petenda, decem præcepta Dei, Sacramenta ſaltem, quæ quis tenetur, aut vult ſuſcipere, neceſſariaque ad illa dignè ſuſcipienda diſpoſitio, ùt ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, Euchariſtia. Denique ſcienda ſunt præcepta Eccleſiæ, reliquaque, quæ ad cujusque ſtatum, aut officium pertinent: ſingula enim præcepta obligant ad ſuî cognitionem, ſine qua obſervari non poſſunt. Unde patet, parentes, & Parochos obligari, ut doceant ſuos, quæ pertinent ad vitam Chriſtiano dignam. 39. *Scienda vi aliarum virtutum.*

QUÆSTIO IV.

Quandonam obliget præceptum ſpeciale Fidei internæ ?

40. *Fides eliciendа ſæpiùs in vita.* Reſp. Obligat ad Fidem ſæpiùs in vita eliciendam : nam 1. Cor. 16. dicitur : *Vigilate & ſtate in Fide* , quibus ſignificatur vigilans permanentia in Fide. Et ratio eſt 1. Quia , ùt dicitur Hebræ. 10. *Juſtus ex Fide vivit.* Unde , ſicut eſt obligatio ſæpiùs ſumendi cibum , ut vita corporis conſervetur ; ità eſt obligatio ſæpius eliciendi Fidem , ut vita conſervetur ſpiritualis animæ. Ratio eſt 2. Quia Deo debemus non minus obſequium intellectûs noſtri , quàm reliquarum potentiarum , cùmque ſæpiùs proponantur revelata à Deo , irreverentia foret illa non credere. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc 17. *Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.* Et hanc 65. *Sufficit illa Myſteria* (SS. Trinit. & Incarn.) *ſemel crediſſe.*

Et determinatis temporibus. Quoties autem obliget præceptum Fidei ſpeciale , (nam alia præcepta obligant ad Fidem eliciendam , quando urgent , & obſervari non poſſunt ſine Fidei actu) determinari non poteſt. Juxta communem TT. obligat 1mò ſub initium usûs rationis , dum quis ſufficienter inſtructus obligationem credendi advertit ; quia tunc homo tenetur auctorem ſuum agnoſcere per intellectûs & voluntatis ſubmiſſionem. 2. In articulo mortis ; quia tunc tempus magis urget ſuum agnoſcendi creatorem , & ſe illi ſubmittendi. 3. Quando quis poſt Fidem negatam , aut lapſum in hæreſim ad Fidem

Fidem redit, ut ſic peccatum ſuæ infidelitatis plenè retractet. 4. Quando urget gravis tentatio, quæ ſine actu Fidei videtur non poſſe vinci; quia præceptum Fidei obligat, ut perſeveremus in Fide, quanquam tentationes præſertim à ſcrupuloſis & anxiis ordinariè meliùs vincantur, eas contemnendo, mentem ad alia vertendo, vel eliciendo actum charitatis, quàm eliciendo Fidem cum perturbatione.

Quòd verò timorati huic præcepto facilè ſatisfaciant, conſtat ex dictis: neque enim abit dies, quin ſæpiùs actus Fidei eliciant: ùt dum manè, veſperi, ante & poſt menſam orant, formant crucem. audiunt Sacrum, &c. cùm enim ejusmodi agenda vix aliunde ſciant, niſi ex Dei revelatione, dubitari non poteſt, quin credant propter Dei revelantis authoritatem Fide exercitè formali, vel virtuali; ut tamen Fides cum majori merito eliciatur, curandum, ut fiat ex humili & affectuoſa reverentia erga primam veritatem. *Facilè ſatisfit præcepto*

QUÆSTIO V.

Quandonam ſit obligatio Fidem externè profitendi?

Reſp. Eſt obligatio Fidem externè profitendi. 1. Quotieſcunque Profeſſionis omiſſio continet vilipenſionem, aut deſpectum authoritatis divinæ; vel tacitam etiam præfert Fidei negationem; quia jure naturæ tenemur Dei honorem tueri, & ejus authoritati cultum deferre, nempe non erubeſcere. 2. Tenetur adultus rationis compos, dum Baptiſmum 41. *Sex potiſſimũ temporibus.*

ſuſcipit, aut Fidem Catholicam amplectitur, Fidem externè profiteri. Patet ex praxi Eccleſiæ, neminem recipientis; niſi præviâ Fideî profeſſione. Et meritò, quia oportet membra corporis moralis viſibilis, unione viſibili copulari, quæ unio conſiſtit in externa profeſſione Fidei Eccleſiæ. 3. Baptizatus in infantia tenetur, ubi ad uſum rationis pervenerit, Fidem externè profiteri: huic autem obligationi ſatisfacit, dum Sacra Chriſtiana frequentat, aut ſignis utitur diſtinctivis Catholici ab Acatholicis. 4. Apoſtata dum ad Fidem redit. 5. Ad externàm Fidei profeſſionem ex præcepto Eccleſiæ tenentur omnes promoti ad Parochias intra duos menſes; aliàs fructus non faciunt ſuos Trident Seſſ. 24. cap. 12. Item promoti ad Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium, Patriarchæ, Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, promovendi Doctores & Magiſtri, Profeſſores liberalium artium, Theologiæ, Juris-prudentiæ, Medicinæ, Grammaticæ. Conſtat hoc ex variis Conciliis, & Decretis Pontificum. 6. Fides externè profitenda eſt, quando id exigit charitas proximi, ùt ſi id ad ejus converſionem, confirmationem in Fide neceſſarium ſit, aut alioquin alii in errore confirmarentur, aut ſcandalizarentur: Finis enim præcepti eſt Charitas. Ex his deduces.

42. *Peccata contra præceptum fidem externè profitendi.*

Primò. Nullo in caſu, ùt ſuperiùs inſinuavi, licet Fidem exteriùs negare ſive expreſsè, ſive tacitè, & interpretativè; quia illa negatio eſſet mendacium pernicioſum in re graviſſima, injuriaque gravis in ſupremam veritatem: eſſet enim præferre exteriùs, Deum eſſe mendacem, aut fallibilem, adeoque negare ſupremam Deo veritatem: quare ſicut in contem-

ptum

ptum cedit Domini, ſi ſervus, ubi honor ejus id requirit, nollet agnoſcere eum; ità hic. Unde quamvis liceat aliquando occultare Fidem, id tamen non licet, quando ſilentium, aut occultatio meritò habetur pro negatione, aut erubeſcentia Fidei. Utì habetur per ſe loquendo, ſi quis à ſuperiore poteſtate de Fide in ejus odium interrogatus; ſilentio ſuo illam diſſimularet. Conſtat ex Damnata 18. ab Innocent. XI. quæ ſic habet: *Si à poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ùt Deo & Fidei glorioſum conſulo, tacere, ùt peccaminoſum, per ſe non damno.* Ratio eſt: quia licèt Tyrannus, aut alius Superior publicus non habeat poteſtatem in odium Fidei interrogandi de Fide, vel lege, ſub qua quis vivat; id tacere tamen cedit in contemptum primæ veritatis, & cultus ei debitus ſubtrahitur: cùm publica poteſtas non cenſeatur contemni. Hinc nec erubeſcentia, nec timor mortis excuſat. Oritur autem hæc obligatio non ſolùm ex charitate, ne alii vacillent, ſed etiam ex præcepto Fidei tum negativo, tum affirmativo, quo obligamur ad illam profitendam, quoties ex taciturnitate per ſe ſequitur aliorum vacillatio, aut Dei vilipenſio: id quod & verum eſt, ſi interrogareris à perſona privata, & ex tuo ſilentio honor Dei aut proximus pateretur: tum enim per accidens obligaret præceptum Fidei: ſecùs ſi publica poteſtas interrogaret non in odium Fidei, ſed ùt inimicum detegeret, vel ob alium finem, & nec per accidens ſequeretur vilipenſio Dei, aut proximi ſcandalum. Idem eſt, ſi interrogaret perſona privata præſertim vilis: tunc enim dici poſſet: quid ad te? Quòd ſi Princeps Acatholicus generali edicto mandaret, ut omnes Catholici ſe ſiſtant, & mani-
ſeſtent

ſeſtent religionem ſuam, nullus per ſe loquendo teneretur ſe prodere; quia nemo tali edicto propriè interrogaretur: unde non cedit in contemptum iſta occultatio.

2. Peccat contra Fidem, qui externè etiam tantùm thus adolet idolo, frequentat cœnam hæreticam, communicat cum Hæreticis in ſuis ceremoniis, & precibus; ſecus ſi his adeſſet tantùm ùt ſpectator, idque palam appareret.

3. Peccat, qui interrogatus à Calviniſta, an ſit reformatæ, vel an Lutheranæ, aut Evangelicæ religionis? reſpondet affirmativè; quia licèt ſit veræ Evangelicæ, & reformatæ quoad aliqua in modo vivendi à Trid. religionis; circumſtantiæ tamen in eo caſu determinant reſponſum, ut ſignificet eſſe Lutheranum, vel Calviniſtam. An aliàs quandoque liceat uti verbis ambiguis ad diſſimulandam Fidem; dubium eſt, negant aliqui, eò quòd videatur pati Dei honor. Affirmant Suarez, Laym. Caſtrop. modo adſit gravis cauſa, nec ideo negetur Fides ob circumſtantias, ad id determinantes, nec patiatur proximus, ſicque tantùm permittatur error in audientibus; ſed hæc

4. peccat contra Fidem, qui hæreticum miniſtellum agnoſcit pro vero Parocho, vel Eccleſiæ Miſtro, utì qui contrahit matrimonium coram eo ritu religioſo v. g. benedicente nuptiis, utente formâ, quâ ſignificatur, eum eſſe verum Eccleſiæ miniſtrum, vel ab eo tribui firmitatem matrimonio; quia ſic communicat cum eo in ceremoniis falſæ religionis; ſecus foret, ſi ex cauſa tantùm politica, rituque merè profano aſſiſteret, v. g. ut conſtaret de matrimonio contracto, ut proles cenſeretur legitima. Et ob hanc cauſam vocati jam copulati conjuges ad Magiſtratum Acatholicum licitè comparent, etſi Catholici ſint. La Croix l. 6. p. 3. n. 775.

5.

5. Peccat contra Fidem, qui hæreticum ſepelit more Catholico, aut tali ſepulturæ adeſt, quia hæreticus agnoſceretur fuiſſe in vera religione. Licet tamen intereſſe convivio nuptiali hæreticorum, iis bene precari, comitari ad ſepulturam eorum, quia eſt merè politicum: ſuſcipere eorum infantes in Baptiſmo, quia non eſt niſi profiteri, hæreticum eſſe miniſtrum Baptiſmi ſufficientem, modò abſit ſcandalum & periculum perverſionis, quo ceſſante licet quoque in Germania Hæreticorum intereſſe concioni, & famulis Catholicis ſuos Dominos comitari ad eorum templa, quando ſine gravi damno nequeunt ſubterfugere, quia ſciunt Hæretici, quòd Catholici ad ſuas conciones veniant, ut improbent, & famuli ſic præſtare velint obſequium tantùm politicum Dominis.

An liceat ex gravi cauſa deferre infantem ad miniſtrum Acatholicum, ut ab eo baptizetur, ſpectandæ ſunt circumſtantiæ, & conſuetudo: quæ ſi tales eſſent, ut is agnoſceretur veræ Eccleſiæ miniſter, non liceret, ſecus ſi non agnoſceretur niſi ſufficiens miniſter Baptiſmi. Vide p. 4. n. 105.

6. Quamvis Catholicus occultus inter Hæreticos ad grave damnum vitandum, quod incurreret, ſi agnoſceretur, poſſit die vetito comedere carnes appoſitas ſine mentione religionis, cùm hoc non ſit per ſe ſignum hæreſeos; ſi ex circumſtantiis tamen fieret ſignum negatæ Fidei; non liceret, ùt ſi Hæretici ex odio Fidei dicerent: videamus, an inter nos ſit aliquis Papiſta, & in hujus ſignum comederent carnes, Catholicus ſimul comedens peccaret contra Fidem. Rectè quoque notat Lugo hic Diſp. 14. N. 106. Non licere Catholico veſci carnibus coram Hæreticis, quan-

quando ſcitur eſſe Catholicus, & leve tantum timetur incommodum, v. g. irriſio, quæ potiùs eſt illi honori, vel facilè poteſt declinari v. g. dicendo, ſe jam magis affici ad cibos eſuriales, ſtomacho debili nocere carnes; ſi grave autem eſſet incommodum, dicendum eſſet, hìc & nunc Eccleſiam non obligare.

7. Peccat contra Fidem, qui utitur veſtitu ordinato ad ſignificandam falſam religionem, ſecùs ſi eſſet ſignum indifferens, & merè politicum, utì habitus Mandarinorum apud Chinenſes, & veſtis Turcica: nam Turcæ & Perſæ ad Fidem converſi veſtes non mutant.

8. Si Rex Acatholicus præciperet, ut Catholici adeant cum Acatholicis ad templum eorum, & precibus intereſſent, nullius mali metu id licitè adirent, quia obediendo urgenti præcepto oſtenderent ſe exercere actionem religioſam, quatenus à Rege præcipitur, atque ità in Sacris communicarent cum Hæreticis. Lugo de Fide d. 14. n. 178.

9. Licitum eſt fugere tempore perſecutionis, quia hæc eſt quædam virtualis confeſſio Fidei, & portio martyrii. Prævit in hoc nobis Chriſtus, & Apoſtoli. Imò fuga aliquando eſt præcepta, ut ſi quis meritò timeret, lapſurum ſe, aut eſſet ad Fidelium utilitatem neceſſarius, quam dein procurare poſſet; Paſtor tamen tempore perſecutionis cum detrimento ſuorum ſpirituali fugere licitè non poſſet. Vide La Croix L. 2. N. 55.

CAPUT

CAPUT IV.

De peccatis Fidei oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint peccata Fidei oppoſita?

Reſp. Peccata Fidei oppoſita ſunt primò infidelitas privativa, & poſitiva. 2dò. Omiſſio actûs Fidei præcepti. 3. Negatio Fidei etiam merè externa, ejuſque non Confeſſio, aut diſſimulatio, quando præceptum Fidem confitendi obligat. Infidelitas autem purè negativa in ſe formaliter peccatum non eſt. Ratio primæ partis eſt, quia infidelitas privativa eſt culpabilis vel voluntaria carentia Fidei, ſeu carentia Fidei in eo, qui potuit, & debuit habere Fidem; infidelitas autem poſitiva, eſt error voluntarius in Fide, ſeu contra Fidem, ſive is ſit dubium vel formido voluntaria; ſive judicium. Ratio 2dæ & 3tiæ partis eſt, quia, quando præceptum Fidei eliciendæ, vel profitendæ, aut non occultandæ obligat; peccatur contra Fidem, ſi non obſervetur. Ratio quartæ partis eſt, quia infidelitas purè negativa eſt inculpabilis, & involuntaria carentia Fidei, adeoque peccatum non eſt, etſi pœna ſit peccati originalis. Hinc Pius V. damnavit hanc Bajanam 68. *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Aliqui quamcunque carentiam fidei omnis vocant infidelitatem privativam, eò quòd fides utpote neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem ſit debita ineſſe; ſed cùm, ubi eſt ignorantia invincibilis, non ſit debitum proximum habendi fidem,

43. *Infidelitas duplex.*

dem, non poteſt eſſe quæſtio niſi de nomine, certumque eſt, carentiam fidei aliam eſſe culpabilem, aliam inculpabilem.

Peccata contra fidem mortifera ſunt. Porrò peccata contra fidem ſunt omnia per ſe loquendo mortalia: nam infidelitas privativa eſt voluntaria omiſſio medii ad ſalutem neceſſarii, & reverentiæ Deo debitæ in re gravi, contemptuſque interpretativus: poſitiva autem continet contemptum primæ veritatis plerumque virtualem ſaltem; quia recuſatur ei dicenti credere. Quòd ſi poſitivè infidelis directè contemneret, vel vilipenderet Dei authoritatem, eſſet contemptus formalis peccatumque graviſſimum: omittens denique actum fidei hìc & nunc præceptum, aut fidem occultans, dum occultatio prohibita eſt, in re gravi agit contra præceptum Dei. Formalis autem malitia peccati contra fidem conſiſtit in actu voluntatis imperantis, vel recipientis actum contrarium, aut non imperantis actum fidei, cùm deberet. Unde peccatum contra fidem eſt omnis transgreſſio libera præcepti fidei.

QUÆSTIO II.

Quomodo dividatur Infidelitas poſitiva?

44. *In tres ſpecies.* Reſp. Infidelitas poſitiva, quæ modò datur, dividitur in tres quaſi ſpecies, nempe in paganiſmum, judaiſmum, & hæreſin: hæc diviſio etſi non ſit exacta ad leges Dialecticæ, communiter tamen, licet non eodem modo explicetur, ab omnibus admittitur. Paganiſmus eſt error voluntarius, & culpabilis negantis Chriſtum mundi Reptorem veniſſe, & venturum: vel ſecta, negans Chriſtum veniſſe, & venturum. Judaiſmus eſt error

error voluntarius recipientis Chriſtum venturum, ſed negantis modò veniſſe: vel ſecta negans Chriſtum veniſſe, profitens tamen venturum. Hæreſis eſt error voluntarius confitentis Chriſtum veniſſe, ſed negantis unum, vel plura, quæ credenda ſunt. Unde Pagani ſunt, qui nec Chriſtum Deum hominem veniſſe Redemptorem mundi, nec venturum tenent. Dicuntur Pagani, quia gentiles, qui tempore Conſtantini magni noluerunt fidem Chriſti ſuſcipere, excluſi ſunt à malitia, & juſſi manere in pagis; Judæi verò ſunt, qui credunt Meſſiam venturum, ſed necdum adveniſſe; hæretici autem, qui credunt Chriſtum Redemptorem mundi veniſſe, ſed non credunt omnia credenda. Horum omnium error ſi culpabilis ſit, dicuntur infideles formales; ſi inculpabilis, materiales tantùm.

Dixi 1mò. *Infidelitas poſitiva quæ modò datur*: nam Judaiſmus ante Chriſti adventum erat vera Religio. Dixi 2dò. *Dividitur in tres quaſi ſpecies;* quia Paganiſmus, Judaiſmus, & hæreſis prout opponuntur Fidei præciſè, non diſtinguuntur ſpecie morali: malitia enim conſiſtit in eo, quòd contemnatur authoritas Dei dicentis, & Eccleſiæ proponentis. Differunt tamen ſpecie prout includunt ritus & ceremonias ſibi proprias; nam Paganiſmus includit idololatriam; Judaiſmus ſuperſtitionem, cultum Dei abrogatum, circumciſionem tanquam adhuc neceſſariam, alioſque circa Deum errores; Calviniſmus, uſum Sacramenti Euchariſtiæ invalidi, Deum facit authorem peccati &c. Ex his fit

Primò. Sub Paganiſmo quaſi ſpecies continentur Atheiſmus, gentiliſmus, & Mahometiſmus; etſi enim Mahometani recipiant Meſſiam promiſſum in lege, natum eſſe ex Maria Virgine; 45. *Contenta ſub Paganiſmo.*

negant tamen eſſe Deum, & Redemptorem mundi, & licèt admittant Pentateuchum Moyſis, non tamen admittunt ùt Judæi, ſed ùt approbatum à Mahomete.

2dò. Catechumenus adhærens v. g. Lutheraniſmo eſt hæreticus, etſi non in omni rigore, quia necdum baptizatus; per Baptiſmum autem propriè introitur ad Fidem Chriſti.

3tiò. Deficiens à fide ſemel ſuſcepta, pertinet ad eos, ad quos deficit.

4tò. Dubium, vel formido deliberata in fide pertinet ad eam ſpeciem, ad quam quis propendet.

5tò. Negans veritatem ſibi privatim à Deo revelatam infidelis eſſet; ad nullam tamen ex prædictis ſpeciem pertineret; quia diviſio illa facta eſt per oppoſitionem ad fidem univerſalis Eccleſiæ, revocari tamen poſſet ad unam ex prædictis, vel ratione ſubjecti, vel objecti.

QUÆSTIO III.

Quid ſit hæreſis formalis ſtrictè accepta. & in ſenſu Eccleſiæ?

46. *Hæreſis formalis.* Reſp. Eſt error intellectûs voluntarius & pertinax contra aliquam fidei veritatem in Chriſtiano. Unde ad hæreſin tria requiruntûr. 1mò ex parte intellectûs judicium erroneum contra fidem, ſeu directè oppoſitum alicui veritati revelatæ, & ùt tali ſufficienter propoſitæ. Nec ſufficit mera apprehenſio. Unde hæreticus non eſt, nec incurrit pœnas Eccleſiaſticas, contra hæreticos latas, qui fidem tantùm exteriùs negat abſque judicio interno, fidei contrario, quamvis talis in foro externo cenſeatur hæreticus, & graviter

viter peccet. 2dò. Ex parte voluntatis libertas & pertinacia; quia ſine libertate error peccatum non eſt, adeoque nec hæreſis formalis; ſine pertinacia autem vi vocis hæreſis formalis non reputatur; quia hæc non patitur ſecum affectum efficacem credendi debitè Deo, ideoque expellit fidem. Eſt autem pertinacia hæreſis deliberata & efficax voluntas diſſentiendi veritati revelatæ, & ſufficienter propoſitæ per Eccleſiam, vel aliam generalem fidei regulam, vel eſt tenacitas judicii proprii de objecto credendo contra ſenſum Eccleſiæ, vel regulam fidei generalem, quo paratus eſt non recedere ab errore ſuo. 3. Ex parte ſubjecti Baptiſmus, & fidei profeſſio, quanquam ut quis coram Deo ſit hæreticus, Baptiſmus non requiritur, ſed tantùm in foro Eccleſiæ ad pœnas ſubeundas, cùm nemo ſit Eccleſiæ ſubditus, niſi per Baptiſmum. Itaque error in fide dicitur hæreſis formalis à malitia formali, circumſtantiis perſonæ, temporis, &c. Ex his reſolves

47. *Quis ſit hæreticus formalis? & quis materialis tantùm?*

Primò. Hæreticus eſt etiam homo baptizatus, qui poſitivè ſeu affirmativè dubitat cum pertinacia de aliquo objecto fidei; quia is judicat illud, licèt ſufficienter propoſitum, ut à Deo revelatum, non eſſe certum, adeoque licèt non neget objectum revelatum, negat tamen ejus certitudinem, id quod involvit certam hæreſin, quia negatur ſumma divinì teſtimonii veritas, vel Eccleſiæ in proponendis rebus fidei infallibilitas; at, qui negativè dubitat, ſeu ſuſpendit conſenſum; quia hìc & nunc objectum non eſt ſufficienter propoſitum, vel quia hìc & nunc non eſt obligatio poſitivè credendi, & applicat intellectum aliis, non quidem ex metu errandi, ſed quia v. g. ſcrupulis aut tentationibus vexatur, hæreticus non eſt, ùt patet; ſi verò conſenſum ſuſpendat pro-

pter motiva retrahentia in contrarium, eſt formalis hæreticus, quia ſaltem æquivalenter judicat Myſterium revelatum eſſe incertum, aut Eccleſiam in proponendo non eſſe infallibilem; ad hæreſin autem ſufficit quodvis judicium erroneum contra fidem cum pertinacia.

2dò. Nemo eſt formalis hæreticus, quamdiu paratus eſt judicium ſuum Eccleſiæ ſubmittere, aut neſcit contrarium teneri ab Eccleſia vera; licèt ex ignorantia culpabili errorem teneat, & ità contra fidem peccet; quia deeſt pertinacia. Idem dic de eo, qui per ignorantiam affectatam ex ſolo tædio diſcendi errat contra fidem, ſecus eſſet, ſi ignorantia eſſet affectata ex contemptu Eccleſiæ, ſeu voluntate non credendi, etſi ſciretur, teneri aliter ab Eccleſia; vel quia judicat eſſe parvi momenti, quæ Eccleſia proponit, nam adeſſet error pertinax. Idem dicendum de eo, qui non vellet judicium ſuum ſubmittere, niſi argumentis priùs convincatur. Imo & de eo, qui pertinaciter negaret, quòd erroneè putat eſſe ab Eccleſia definitum, cùm definitum non eſſet: nam pertinaciter teneret Eccleſiam eſſe fallibilem in ſuis definitionibus.

3. Simplices, qui pertinaces non ſunt, ſed parati errorem ſuum deponere, quem habent contra fidem, etſi peccent ſæpè mortaliter ob culpabilem inquirendi negligentiam; Non ſunt tamen Hæretici formales, nec caſum reſervatum hæreſis incurrunt. Cæterùm in Germania, ubi Hæretici vivunt Catholicis permixti, etſi ſimpliciores aliqui poſſint eſſe Hæretici materiales tantùm, & à peccato contra fidem excuſari ſaltem ad tempus; alii tamen non excuſantur, quia ordinariè ſciunt ſe ſentire contra Eccleſiam Catholicam, quam vident in doctrina, ritibuſque

ſacris

ſacris concordem fuiſſe ante ſuam ſectam, & conſtantem manere non ignorant; agnoſcunt ſanctiorem paſſim duci à Catholicis vitam, aliaque ex quibus veritas Catholicæ relucet Eccleſiæ. Unde fiunt inexcuſabiles, ſi magis non inquirant, & exponant ſe periculo damnationis. Hæc etiam ſimplicium magna miſeria eſt, quòd lapſi in mortale, ùt fieri illis valde pronum eſt in laxa ſua doctrina, & blaſphemâ, quâ imbuti exiſtimant, nihil prodeſſe bona opera, non poſſe ſervari mandata Dei, ſufficere fiducialem fidem in Chriſtum ad ſalutem, quòd inquam lapſi remedio Sacramenti pœnitentiæ deſtituti ſint; aſſurgere autem ad actum perfectæ charitatis, aut contritionis hominibus mundo deditis, ſit difficillimum, imò nec modum eliciendi doceantur, nec conentur, putantes ad ſalutem ſufficere ſolam fidem, ſicque plerique æternum pereant. Accedit, quòd Hæreticus formalis non tantùm careat habitu fidei, ſed ſecundùm communem TT. nullum actum fidei ſupernaturalis habeat: Fides enim ſupernaturalis debet procedere ex toto corde, id eſt, authoritatem Dei appretiare ſuper omnia in omnibus, quidquid in contrarium occurrat; hoc autem non facit diſſentiens deliberatè uni veritati revelatæ, adeoque nec credit alia, quia revelata ſunt, & hinc Deus Hæreticum privat habitu fidei; quia nempe excludendo motivum fidei ſe ineptum reddit ad credendùm fide ſupernaturali, etſi naturali juxta Oviedum credere poſſit. Et idem eſt de Spe, & Charitate. Quanquam neceſſe non eſt, ut omnis actus virtutis Theologicæ ſuper omnia, ipſi ſecundùm quid tantùm contraria, appretiet ſuum motivum, ſed ſufficit, quòd appretiet illud ſuper omnia ſimpliciter contraria.

Sic poteſt ſtare actus Charitatis cum veniali, & actus fidei ſtare cum aliquali periculo apprehenſo dubii, vel formidinis, quòd non ſatis repellatur, circa aliam veritatem.

4. Hæreſis formalis eſt peccatum graviſſimum poſt Dei formale odium; quia contemptus eſt authoritatis Divinæ, & vilipenſio primæ veritatis, oppoſita præſtantiſſimæ poſt Charitatem virtuti: Fides enim excellentius obſequium, & cultum præſtantiorem Deo defert, quàm Spes ex mente S. Th. Differt ab Apoſtaſia, quæ eſt totalis defectio à Fide, & ideo extenſivè gravior. Porro habitus Fidei amittitur per ſolam hæreſin formalem, & Apoſtaſiam, quæ accidentaliter tantùm differt ab hæreſi; non verò per alia peccata contra fidem, quia ſola hæreſis directè opponitur fidei, & non ſtat cum affectu efficaci debitè eredendi Deo.

Quando habitus fidei amittatur.

CAPUT V.

De poteſtate Eccleſiæ in Infideles, communicatione cum iis, & pœnis Hæreticorum.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit penes Eccleſiam, & Principes Chriſtianos poteſtas infideles adducendi ad Fidem, eos corripiendi, & tolerandi?

48\. *Prædicare poteſt.*

Reſp. 1mò. Eſt penes Eccleſiam poteſtas, & jus ubique prædicandi Evangelium, ùt conſtat

ſtat ex Scriptura : nam Chriſtus , qui totum mundum ſuo ſanguine redemit Matthæi ultimo , dixit Apoſtolis , & in iis eorum Succeſſoribus : *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra , euntes ergo docete omnes gentes.* Et Marci ultimo : *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ:* Ratio autem eſt , quia cùm Fides ſit neceſſaria ad ſalutem , noluit Chriſtus paſſionem ſuam fruſtrari effectu ſuo , & efficaciâ ; & ſicut omnes redemit , ſic voluit , ut omnibus eſſet poteſtas ſe agnoſcendi , & fruendi redemptionis beneficio.

2. Non poteſt tamen Eccleſia directè cogere non Baptizatos ad Fidem ſuſcipiendam ; quia ejus poteſtas ſpiritualis ad ſolos , per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſos , ſe extendit , uti docet Trid. Seſſ. 14. cap. 2. ex Apoc. 1. ad Corinth. cap. 5. *Quid mihi de illis , qui foris ſunt , judicare ?* Nec poteſt id directè Princeps Sæcularis ; quia ejus poteſtas tantùm extendit ſe ad bonum civile , naturale, politicum ; non verò ad res Fidei & religionem , niſi in quantum ab Eccleſia id ei permittitur. Poteſt tamen Princeps ſæcularis eos indirectè compellere intendendo etiam eorum converſionem , v. g. privando eos favoribus, privilegiis, officiis indebitis , puniendo eorum delicta intra terminos juſtitiæ graviùs , tributa juſta majora imponendo , illis præferendo fideles &c. Poteſt quoque Eccleſia vi & armis cogere Principes infideles , ne impediant Evangelii Prædicationem , aut ſubditos ſuos , quominus Chriſti doctrinam audiant , & ſuſcipiant ; quia cùm jus ad id habeant , licet vim vi repellere , & contra injuriam ſe intueri. 49.

Non baptizatos directè cogere non poteſt.

50. *Poteſt baptizatos.* 3. Poteſt Eccleſia infideles Baptizatos cogere directè ad Fidem, & cætera officia Chriſtiana obſervanda; quia per Baptiſmum ſubjecti ſunt Eccleſiæ jurisdictioni.

51. *Omnes cogi poſſunt ad legem naturalem ſervandam* 4. Infideles ſubditi etiam non baptizati cogi poſſunt & debent à Principe ſuo ad ſervandam legem naturæ; quia hâc omnes tenentur, cui quia Ritus Judaici de ſe non repugnant, etſi adverſentur nunc Fidei veræ, hinc tolerantur. Poſſunt quoque illi cogi, ut audiant prædicationem Evangelii relictâ dein eis libertate Fidem ſuſcipiendi; quia audire eſt honeſtum, & utile gubernationi politicæ, ipſiſque infidelibus.

52. *Hæreſis tolerari quomodo poſſit?* 5. Licet Superiori quandoque hæreſin tolerare; quia inde mala quandoque minora proveniunt, quàm ex repugnantia; moraliter tamen & practicè vix unquam licet ſubditis Hæreticis omnem credendi libertatem indulgere, aut hæreſin pacto in perpetuum permittere; quia Superior tenetur hæreſin extirpare, quoad commodè poteſt in ſuis ſubditis; hoc autem non poſſet, ſi pacto perpetuò ſe ad eam tolerandam obligaret. Quamvis de ea toleranda ad tempus paciſci quandoque liceat. An infidelium infantes liceat invitis parentibus baptizare, dicetur p. 4. à n. 110.

QUÆSTIO II.

An liceat cum Infidelibus communicare?

53. *Quæ communicatio interdicta?* Reſp. Non licet cum iis communicare in eorum ritibus, ſacrificiis, orationibus, cultu ſuperſtitioſo; quia talis communicatio eſt quædam

dam exterior profeſſio, & approbatio falſæ Religionis, ac proinde virtualis negatio veræ Fidei; at in Civilibus, ſecluſo periculo perverſionis & ſcandali, licet ex prima ad Corinth. cap. 10. *Si quis vos vocat Infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate.* Jure tamen Canonico vetitum eſt omnibus Chriſtianis cum Judæis habitare, comedere, in balneis lavari, ipſis famulari, medicinam ab iis (niſi timoratorum conſuetudo alicubi aliud obtineat) accipere, publica officia eis committere, idque ob Religionis Chriſtianæ dignitatem, & perverſionis periculum ex converſatione cum Judæis, qui Chriſtianis præ cæteris adverſantur, & Chriſtum ſolent blaſphemare. De Hæreticis vitandis dixi, ubi de Cenſuris p. 1.

QUÆSTIO III.

Quibus liceat diſputare, aut agere de rebus Fidei cum Hæreticis?

Reſp. 1. Jure naturali prohibitum eſt publicè vel privatim cuilibet indocto etiam Clerico de rebus Fidei diſputare cum Hæreticis, inquia, cùm indoctus non poſſit Fidem rectè tueri, & objectiones ſolidè diluere, diſputatio Hæreticos in errore confirmaret, & res Fidei contemptûs & minoris æſtimationis periculo exponeret. Unde indoctus dicat: Sufficit mihi, Catholicos in doctrina Fidei eſſe unanimes, habere doctrinam ſanctam, conſtanter traditam ab Apoſtolorum temporibus, cùmècontrario ſectæ oppoſitæ ſint novæ in ſua doctrina difformes, & inconſtantes, ùt 54. *Non licet indocto.*

 mun-

mundo & ipſis conſtat; Et dein in nullam controverſiam ſe trahi permittat.

Nec coram indoctis cum periculo eorum. 2. Illicita eſt diſputatio coram Catholicis indoctis de articulis Fidei, de quibus nunquam audierunt controverti, ob periculum, ne audientes falſa argumenta vacillent: nam cùm res Fidei ſint obſcuræ, argumenta in contrarium faciliùs apprehenduntur, quàm illorum ſolutiones, cum periculo nutandi, ubi nunquam antè nutârunt. Excipe, niſi ſimpliciores ab Hæreticis vexati defenſione indigerent.

Ordinariè nulli Laico. 3. Omnibus Laicis Lege Eccleſiaſticâ cap. 2. de Hæreticis in 6. prohibita eſt diſputatio publica & privata cum Hæreticis de rebus Fidei; quia ordinariè eſt periculum, ne diſputatio cedat in vilipenſionem Fidei, vel ſpiritualem Fidelium ruinam: ſed hæc prohibitio locum non habet in caſu neceſſitatis, ùt ſi Hæreticus perverteret Fideles, non adeſſet Clericus doctus, adeſſet verò doctus Laicus. Imò tunc lege naturali, & divinâ teneretur conſulere ſaluti proximi, & reverentiæ Fidei. Prohibitio quoque non urget in caſu magnæ & evidentis utilitatis. Imò putatur lex in locis, ubi Hæretici graſſantur, abrogata quoad privatas, & familiares conferentias: illæ enim in curribus, navibus, ab iter agentibus, & in menſis abſque ſcrupulo fieri ſolent, ſciuntque hoc, nec contradicunt Prælati. Manet tamen obligatio legis naturalis, ubi periculum eſt, ne quis Fidelis vacillet, aut Fides vilipendatur.

Quando liceat publica diſputatio? 4. Licita eſt diſputatio publica de rebus Fidei: ubi adſunt hæ conditiones: *Prima.* Debet diſputaturus accedere firmus ipſe in Fide animo confutandi errores. *Secunda.* Debet

ità

ità eſſe inſtructus, ut argumenta proponere, & objectiones ſolvere poſſit ad captum auditorum, alioquin diſputatio cedet in contemptum Fidei, & periculum perverſionis ſimplicium, qui putant, illam cauſam eſſe meliorem, quæ plauſibiliter defenditur. *Tertia.* Diſputatio non inſtituatur coram idiotis de articulis, de quibus nunquam audiverunt controverti. *Quarta.* Non convitiis, ſed argumentis res agatur, Hæreticique ad formam ſyllogiſticam aſtringendi ſunt, ne pro more ſuo extra rem vagentur, & locus declamandi tantùm illis concedatur; quia verò vim ſyllogiſticam declinant, magnâ opus patientiâ, ne ſtomachus moveatur cum cerebro, & diſputatio in clamoſas altercationes abeat.

6. Quomodo cum Hæretico privatim agendum ſit, dixi in Neo-Conf. à num. 197. & 204. ſervientque dicta ſuperiùs à num. 9. & num. 15. *Quomodo cum privato privatim agendum?*

Pro quo tamen notandum 1. Cum privato, ubi non apparet ſpes fructûs, non agatur de falſitate ejus Religionis, niſi is diſcurſum incipiat, ſicque ſilentium foret in contemptum Fidei: nam alioquin Hæreticus fortaſſis materialis tantùm evadet formalis, & graviùs peccabit in multis, ſed hujuſmodi hortandi ſunt, ut Deo ſæpè ſupplicent pro lumine, ut agnoſcant neceſſaria ad ſalutem, vitent peccata, lapſi eliciant dolorem ob Deum offenſum, &c. Spes autem converſionis ratò in iis eſt, qui Principibus Acatholicis ſubjecti uxores habent, & liberos, ſuisque poſſeſſionibus, ſi ſuam Religionem deſerant, coguntur cedere. 2. Ubi ſpes converſionis apparet, cum eo agatur manſuetè, diſcurrendoque veritas Religionis Catholicæ

tholicæ exponatur, oſtendendo, tum, quòd unicá tantùm poſſit eſſe vera, & à Deo profecta Religio, tum, quòd ea ſit ſola Romano-Catholica, utpote ſola inſignita veræ Eccleſiæ characteribus; tum, quòd vera Religio habere debeat Judicem controverſiarum, uti dictum ſuprà. Hunc autem non eſſe niſi in Eccleſia Catholica. His poſitis facilè erit illi reſpondere ad textus Scripturæ, ſi quos afferat. Ad quos & dici poteſt, unde ſciat, illos eſſe textus veræ Scripturæ, à Spiritu ſancto dictatæ? 3. Demum moneatur, ut jam dixi, ut à Deo lumen petat, &c.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſint pœnæ Hæreticis à Jure communi ſtatutæ?

55. *Septem potiſſimùm ſunt.* Reſp. Sunt ſequentes. *Prima.* Excommunicatio major latæ ſententiæ, Pontifici reſervata. *2da.* Irregularitas, quam probabiliter tantùm contrahit Hæreticus notorius, & contractam transmittit ad filios, & nepotes, ſi in hæreſi moriatur. *3tia.* Infamia perpetua, propter quam etiam filii arceantur ab officiis publicis civilibus, & Eccleſiaſticis; nec admittuntur in teſtes. Incurritur à notoriis tantùm & ſecundùm aliquos contra Suar. poſt latam ſententiam. *4ta.* Privatio omnis præhabitæ dignitatis Eccleſiaſticæ, Beneficii, & Officii, nec non habilitatis ad illa. Quoad Beneficii privationem incurritur per aliquos poſt latam ſententiam. *5ta.* Privatio Juris communitatis, & aſyli, ſepulturæque Eccleſiaſticæ. *6ta.* Confiſcatio bonorum non vinculatorum. *7ma.* Libe-

Liberatio ſubditorum ab obedientia, ſi Superior ſit Hæreticus nominatim excommunicatus. Pro his tamen praxis locorum eſt ſpectanda. Nam in quibusdam Germaniæ locis Hæretici à ſuis ſepeliuntur in communi Catholicis cœmiterio.

DISSERTATIO II.

DE

Spe Theologica, & Peccatis illi oppoſitis.

CAPUT I.

De Quiditate, & Objecto Spei Theologicæ?

QUÆSTIO I.

Quid ſit Spes Theologica?

RESP. Spes Theologica eſt virtus ſupernaturalis, quâ deſideramus, & innixi virtuti auxiliatrici Dei promittentis certa cum fiducia exſpectamus à Deo æternam beatitudinem, & media ad illam obtinendam neceſſaria. Eſt autem duplex, nempe habitualis, & actualis. Habitualis eſt habitus ſupernaturalis, elevans voluntatem ad deſiderandam & cum certa fiducia exſpectandam æternam beatitudinem, & media. Actualis eſt actus voluntatis effi- 56. *Definitio, & diviſio.*

cax

cax; quo iſta deſideramus, & certa cum fiducia exſpectamus: ſeu, eſt fiduciale deſiderium beatitudinis, & gratiæ. Hinc patet, quòd actus ſpei actibus duobus æquivaleat: nam eſt deſiderium beatitudinis, & fiducia, ſeu erectio animi contra difficultates, in proſecutione beatitudinis occurrentes, fundata in auxilio & promiſſionibus divinis.

Dixi autem 1. *Spes Theologica*: nam, quæ pro motivo ultimato habet honeſtatem aliquam, vel bonitatem purè creatam, ùt, ſi quis appetat gratiam, vel remiſſionem peccatorum præcisè, quia ſibi bonam, actus ſpei Theologicæ non erit; quia hæc niti debet perfectione aliquâ divinâ, tanquam motivo ſuo immediato, & ultimo.

Honeſtas illius.

Dixi 2. *Eſt virtus ſupernaturalis*, id eſt, naturæ indebita ordinans ſuum ſubjectum ad beatitudinem & vitam æternam. Et hinc eam præcedere debet actus Fidei, eſtque honeſta: nam, licèt per eam ſibi homo Deum appetat poſſidendum, in eo tamen non ſiſtit ſpes, ſed hominem diſponit ad Deum amandum amore benevolentiæ perfecto: cumque homo cognoſcat per Fidem, Deum eſſe majus bonum ſuum, quàm ſit ipſe ſibi, appretiat Deum ſuprà ſe. Quare actus ejus primarius eſt affectivè & appretiativè firmiſſimus, quia tendit in bonum, ſuper omnia appetibile, ſui ſubjecti, nititurque motivo firmiſſimo, ſicque ſperantem conſtituit, ut ipſo ſtante desereret potiùs omnia, cum poſſeſſione ſummi ſui boni incompoſſibilia, quàm hoc ipſum. Non eſt tamen actus charitatis, ſed amor, ùt vocant, concupiſcentiæ, quia eſt appetitus boni proprii ùt talis.

Dixi

Dixi 3. *Quâ deſideramus* : ſperare enim eſt bonum arduum proprium, abſens, poſſibile, futurum ſaltem probabiliter deſiderare efficaciter cum erectione animi contra difficultates, in conſecutione illius occurrentes, potentes impedire.

Dixi 4. *Innixi Dei promittentis virtuti auxiliatrici* ; quia, cûm per vires naturæ beatitudinem ſupernaturalem conſequi non poſſimus, nec de mediis ad eam neceſſariis nobis providere, Dei nitimur auxiliis, qui media, & cooperantibus in finem, promiſit beatitudinem.

Dixi 5. *Certa cum fiducia exſpectamus* ; quando enim bonum, quod deſideratur, non poteſt obtineri niſi alieno auxilio, ad ſpem requiritur fiducia in illo, dicimurque bonum futurum exſpectare ab ipſo.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit objectum materiale Spei Theologicæ?

Reſp. Primarium objectum ejus materiale eſt Deus poſſidendus, ſeu quatenus ſummum bonum noſtrum eſt, & ejus beatifica poſſeſſio. Secundarium ſunt media à Deo ordinata tum ſupernaturalia, quæ & quatenus ad beatitudinem vel neceſſaria ſunt, vel conducunt, ùt gratia habitualis & actualis, exercitia virtutum, remiſſio peccatorum, reſurrectio corporis noſtri, ejusque glorioſæ dotes, tum naturalia, quatenus per bonum uſum, adjuvante gratiâ Dei, ad ſalutem conducere poſſunt. Uno verbo, omnia, quæ continentur in Oratione Domini-

57. *Ejus objectum materiale.*

minica, objectum ſunt materiale ſpei. *Ratio eſt*; quia objectum primarium eſt illud, propter quod reliqua appetuntur: hoc autem eſt finis ultimus, qui eſt Deus poſſidendus; ſecundarium verò, quod propter finem appetitur; hæc verò ſunt media, pertinetque ad eandem virtutem tendere in finem propter ſe, & in media propter finem, eſtque amor finis, amor mediorum ſaltem virtualis.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit motivum ſeu objectum formale Spei Theologicæ?

58. *Actus illius primarii, & ſecundarii.* *Nota.* Actus Spei Theologicæ alii ſunt primarii & principales, alii ſecundarii & minùs principales. Primarii ſunt, quibus beatitudinem, & media neceſſaria à Deo promiſſa ſperamus certa cum fiducia nixi promiſſione Dei; ſecundarii ſunt, quibus vel tendimus inefficaciter in beatitudinem, aut in media, à Deo non promiſſa, vel timemus à beatitudine excludi, averſamur carentiam ejus, ùt nobis malam, ideoque peccata deteſtamur; tales actus ſunt amor ſimplex, & inefficax deſiderium finis ultimi, & electio mediorum, ad illum conducentium, gaudium de illis inventis, odium, timor, & deteſtatio mali, quatenus impeditivi finis, vel mediorum; dolor de difficultate finis, de toleranda adhuc privatione ejus, de carentia medii alicujus, vel excellentis virtutis: hi enim actus verſantur aliquo modo circa objectum materiale ſpei ex amore bonitatis Dei reſpectivæ, & ad eandem virtutem pertinet proſequi ſuum bonum, & aver-

averſari malum oppoſitum. Unde, ſicut paſſim aliæ virtutes poſſunt per tales actus tendere in ſua objecta; ſic videtur tendere poſſe ſpes Theologica. quanquam ſpes actualis magis propriè dicta ſit tantùm actus ejus primarius, qui ſimul dicit erectionem animi, ſeu certam fiduciam nixam promiſſione Dei cum intentione efficaci finis. Hoc notato

Reſp. 1. Motivum, ſeu objectum formale ſpei Theologicæ, quoad actus ejus primarios, adæquatum eſt beatitudo ſupernaturalis, quatenus nobis conveniens, ſeu bonitas Dei reſpectiva, tum virtus Dei auxiliatrix nobis præparata, & quodammodo per divinas promiſſiones obligata. *Ratio eſt*; quia ſpes Theologica dicit deſiderium efficax beatitudinis cum fiducia certa; adeoque moveri debet aliquâ Dei perfectione, quæ eſt bonitas Dei reſpectiva; & erigi ad fiduciam certam virtute auxiliatrice; cùm beatitudinem non niſi Dei auxilio conſequi poſſimus. 59. *Motivum ſpei quoad actus primarios.*

Conſiſtit autem virtus Dei auxiliatrix in Dei omnipotentia & fidelitate nobis per promiſſionem oblata & obfirmata. Si enim per fidem nobis proponamus, Deum omnipotentem promiſiſſe nobis cooperantibus vitam æternam, mediaque præparâſſe, & dare paratum, inſuperque in promiſſis implendis fideliſſimum eſſe, nihil deeſt ad ſperandum actu firmiſſimo, certâque cum fiduciâ, quantum eſt ex parte Dei. Fatendum tamen, quòd ſpei, ùt eſt virtus Theologica, motivum principale ſit bonitas Dei reſpectiva, & virtus Dei auxiliatrix tantùm modificet actum ejus, ut ſpes dici poſſit: ſicut enim Fides virtus Theologica dicitur, quia tendit in Deum ùt primam veritatem, charitas

verò, quia tendit in Deum ùt ſummum bonum propter ſe amabile ſuper omne bonum; ſic ſpes virtus Theologica dicitur, quia tendit in Deum, ùt ſummum bonum nôſtrum. Hinc tenet Suar. motivum ſpei, ùt eſt virtus Theologica, eſſe ſolam Dei bonitatem reſpectivam.

Dixi: *Quantum eſt ex parte Dei*; nam ſpes non importat fiduciam abſolutè certam ex parte noſtrî, quia non ſumus certi de noſtra conſtanti cooperatione, & perſeverantiâ finali, ad ſalutem neceſſariâ, nec hæc nobis promiſſa eſt: *Neſcit* enim *homo, utrum odio, an amore dignus ſit; ſed omnia in futurum reſervantur incerta.* Eccleſ. 9. Hinc monet Apoſtolus ad Philippenſes 2. *Ut cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur.*

60. *Quoad actus ſecundarios.* Reſp. 2. Motivum formale ſpei Theologicæ quoad actus ſecundarios, v. g. quibus ſperamus aliqua non promiſſa, eſt tum omnipotentia, tum infinita ejus benignitas, liberalitas, & miſericordia: his enim moveri poſſumus interveniente oratione, ad ſperandum etiam bona, conducentia quidem ad beatitudinem, quæ tamen bona à Deo aut non ſunt, aut non ſciuntur promiſſa; & quanquam iis Dei attributis non moveamur ad fiduciam tam certam, quàm ubi interpoſita eſt Dei promiſſio, moveri tamen auxiliante gratiâ Dei ad fiduciam etiam magnam poſſumus, proponunturque ſæpè à Scriptura ad hanc in nobis excitandam. Quò & conferre poteſt, ſi quis perpendat Chriſti merita, & ſatisfactiones nobis oblatas, multaque Dei beneficia hactenùs nobis collata, qui non volet, illa eſſe irrita, modò nos non deſimus obligationi, & officio noſtro. Atque ita magna cum fiducia ſperare poſſumus magnum illud do-

num

num perſeverantiæ finalis, quod etſi de condigno ſecundùm dicta de merito P. 1. mereri non poſſimus, poſſumus tamen de congruo, & ſuppliciter illud exorare, etſi non infallibiliter mereri, an autem, & quâ ratione poſſimus id orando infallibiliter impetrare, exponit ſuarde merito c. 38. à n. 14.

Petes. Qualis timor procedat ab habitu ſpei? Reſp. Diſtinguendum eſt: nam timor (loquor de timore, quo aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur) oritur ex amore boni, cujus privatio timetur: & dividitur in humanum, ſervilem, filialem, & initialem. *Quis timor à ſpe?* Humanus eſt, quo quis ità timet malum temporale, quod poteſt ab hominibus infligi, ut malit Deum offendere, quàm illud incurrere. Hic, utpote ex mala radice ortus, ad ſpem non pertinet. Servilis eſt, quo homo timet pœnam ſive temporalem, ſive æternam, à Deo infligendam: Eſtque alius ſimpliciter ſervilis, alius ſerviliter ſervilis. Serviliter ſervilis eſt, quo quis magis timet pœnam, quàm culpam, ſeu Dei offenſam, ità conſtitutus, ut, ſi pœna timenda non eſſet, peccaret. Et hic quoque, quia inordinatus nec à ſpe, nec ab alia virtute procedit.

Simpliciter ſervilis eſt, quo quis timet pœnam, à Deo infligendam, moderatè, & ſecundùm rectam rationem, v. g. æternam damnationem ſuper omne aliud malum phyſicum, non tamen ſupra malum morale, ſeu peccatum. *Servilis ſimpliciter.* Hic timor procedit ex amore Dei non quidem adhuc dilecti ſuper omnia propter ſe, attamen ſuper omnia dilecti, ùt ſummum bonum damnationem timentis eſt, poteſtque à charitate imperari; à ſpe autem procedit elicitivè. *Ratio* hujus eſt, quia ejusdem vir-

tutis eſt amare bonum, & fugere malum ſub ratione, oppoſita rationi, ſub qua amat bonum: v.g. charitatis eſt amare bonum Dei, etiam extrinſecum, quia Deo bonum eſt, & fugere malum oppoſitum, nempe peccatum, quia illi malum eſt: Cùm itaque à ſpe elicitivè procedat amor beatitudinis ſupernaturalis, ab eadem pariter procedit timor privationis ejuſdem. *Confirmatur.* Timor ſervilis ad eam ſpectat virtutem, ad quam ſpectat amor, ex quo naſcitur; atqui timor ille naſcitur ex amore ſpei, ùt jam dixi: non enim timetur privatio beatitudinis, niſi quia beatitudo amatur: nam nemo timet eſſe miſer, niſi quia amat eſſe beatus. Hic timor creſcente charitate decreſcit quidem ſecundùm anxietatem, quia creſcente charitate, creſcit ſpes & fiducia; non decreſcit tamen timor ſervilis ſimpliciter quoad ſubſtantiam, quatenus nempe fugit privationem beatitudinis: ſed quò magis quis Deum amat, & deſiderat beatitudinem, eò magis horret excludi ab ea.

Dixi: *Sub ratione oppoſita rationi, ſub qua amat bonum*; quia fuga, & timor mali, quod non excludit bonum virtutis, ad eam virtutem non pertinet. Hinc timor præcisè pœnæ ſenſûs vel alterius à Deo mali, ab habitu ſpei non procedit, ſed pro motivo habet diſconvenientiam cum natura.

Non verò filialis. Timor filialis eſt, quò timetur culpa, ùt offenſa & malum Dei eſt: dicitur filialis, quia filiorum eſt timere offenſam patris. Dicitur etiam caſtus; quia animas Deo tanquam ſponſo conjungit, inducitque ad ſervandam ei fidem, ſicut unio amoris conjugis cum viro inducit ad ſervandam ſtudiosè caſtitatem conjugalem.

galem. V. S. Th. 2. 2. q. 19. a. 3. O. Timor Filialis alius eſt perfectus, qui utpote magis depuratus, timet culpam unicè, quia eſt malum Dei. Hic reperitur in magis provectis, in virtute, præſertim Charitate, alius reſpectivè Imperfectus, qui timet culpam propter Dei offenſam, ùt malum ejus, & propter pœnam. Hic timor repetitur in incipientibus, diciturque initialis. Uterque procedit à Charitate ſaltem primariò, initialis tamen à Spe ſimul. Eſt & alius timor, quo quis, perpensâ infinitâ Dei Majeſtate, & ſuâ vilitate, ſacro quodam horrore ſe retrahit à liberiore cum Deo converſatione, vel accedit cum ſacro quodam horrore: & hic non à Spe, ſed ab humilitate oritur, & timor reverentialis dicitur.

CAPUT II.

De Proprietatibus, & neceſſitate Spei Theologicæ.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint proprietates Spei Theologicæ?

Reſp. Quòd ex parte ſua ſit certiſſima tum extrinſecè, tum intrinſecè, & affectivè firmiſſima. Certiſſima autem extrinſecè eſt, quia nititur Fide divinâ, quâ certiſſimè proponuntur motiva ſolidiſſima ſperandi, & aſſurgendi contra difficultates, quæ in proſecutione beatitudinis occurrunt; intrinſecè verò, quia nititur Dei auxiliatrice virtute omnipotente, nobis obligatâ per promiſſionem fidelem. 62. *Certitudo, & Firmitas.*

tutis eſt amare bonum, & fugere malum ſub ratione, oppoſita rationi, ſub qua amat bonum: v.g. charitatis eſt amare bonum Dei, etiam extrinſecum, quia Deo bonum eſt, & fugere malum oppoſitum, nempe peccatum, quia illi malum eſt: Cùm itaque à ſpe elicitivè procedat amor beatitudinis ſupernaturalis, ab eadem pariter procedit timor privationis ejuſdem. *Confirmatur*. Timor ſervilis ad eam ſpectat virtutem, ad quam ſpectat amor, ex quo naſcitur; atqui timor ille naſcitur ex amore ſpei, ùt jam dixi: non enim timetur privatio beatitudinis, niſi quia beatitudo amatur: nam nemo timet eſſe miſer, niſi quia amat eſſe beatus. Hic timor creſcente charitate decreſcit quidem ſecundùm anxietatem, quia creſcente charitate, creſcit ſpes & fiducia; non decreſcit tamen timor ſervilis ſimpliciter quoad ſubſtantiam, quatenus nempe fugit privationem beatitudinis: ſed quò magis quis Deum amat, & deſiderat beatitudinem, eò magis horret excludi ab ea.

Dixi: *Sub ratione oppoſita rationi, ſub qua amat bonum*; quia fuga, & timor mali, quòd non excludit bonum virtutis, ad eam virtutem non pertinet. Hinc timor præcisè pœnæ ſenſûs vel alterius à Deo mali, ab habitu ſpei non procedit, ſed pro motivo habet diſconvenientiam cum natura.

Non verò filialis. Timor filialis eſt, quò timetur culpa, ùt offenſa & malum Dei eſt: dicitur filialis, quia filiorum eſt timere offenſam patris. Dicitur etiam caſtus; quia animas Deo tanquam ſponſo conjungit, inducitque ad ſervandam ei fidem, ſicut unio amoris conjugis cum viro inducit ad ſervandam ſtudiosè caſtitatem conjugalem.

galem. V. S. Th. 2. 2. q. 19. a. 3. O. Timor Filialis alius eſt perfectus, qui utpote magis depuratus, timet culpam unicè, quia eſt malum Dei. Hic reperitur in magis provectis, in virtute, præſertim Charitate, alius reſpectivè Imperfectus, qui timet culpam propter Dei offenſam, ùt malum ejus, & propter pœnam. Hic timor reperitur in incipientibus, diciturque initialis. Uterque procedit à Charitate ſaltem primariò, initialis tamen à Spe ſimul. Eſt & alius timor, quo quis, perpensâ infinitâ Dei Majeſtate, & ſuâ vilitate, ſacro quodam horrore ſe retrahit à liberiore cum Deo converſatione, vel accedit cum ſacro quodam horrore: & hic non à Spe, ſed ab humilitate oritur, & timor reverentialis dicitur.

CAPUT II.

De Proprietatibus, & neceſſitate Spei Theologicæ.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint proprietates Spei Theologicæ?

Reſp. Quòd ex parte ſua ſit certiſſima tum extrinſecè, tum intrinſecè, & affectivè firmiſſima. Certiſſima autem extrinſecè eſt, quia nititur Fide divinâ, quâ certiſſimè proponuntur motiva ſolidiſſima ſperandi, & aſſurgendi contra difficultates, quæ in proſecutione beatitudinis occurrunt; intrinſecè verò, quia nititur Dei auxiliatrice virtute omnipotente, nobis obligatâ per promiſſionem fidelem.

62. Certitudo, & Firmitas.

L 3 Dixi

Dixi *Ex parte ſua :* nam, ùt jam memini ſuprà, ex parte noſtra defectibilis eſt, cùm Deo nobis auxiliante deeſſe poſſimus. Hinc ſalus noſtra nobis incerta. Demum Spes eſt affective firmiſſima, dicente Apoſtolo Hebr. 6. *Confugimus ad tenendam propoſitam Spem, quam ſicut anchoram habemus animæ firmam ac tutam.* Et Trid. Seſſ. 6. cap. 13. *Tametſi in Dei auxilio firmiſſimam Spem collocare, & reponere omnes debent.* Et ratio eſt, quia, cùm objectum formale Spei ſit virtus Dei auxiliatrix ſummè efficax & omnipotens, nobis per promiſſionem fideliſſimam quodammodo obligata, meretur ſummam adhæſionem, & ſuper omnia firmam; virtus autem Theologica objecto ſuo formali adhærere debet ſecundùm ſuum meritum.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo Spes Theologica ſit neceſſaria ad juſtificationem, & ſalutem?

63. *Neceſſitate medii & præcepti.* Reſp. Eſt neceſſaria neceſſitate medii non ſolùm ad juſtificationem peccatoris adulti, ſed etiam neceſſitate præcepti tum negativi, tum affirmativi ſpecialis, per ſe obligantis non ſolùm adultos peccatores, ſed etiam juſtos. *Probatur pars 1ma :* nam illud eſt neceſſarium neceſſitate medii ad juſtificationem peccatoris adulti, quo etiam inculpabiliter non habito velut medio, juſtificatio non obtinetur, atqui talis eſt Spes : nam Trid. Seſſ. 6. cap. 6. ad juſtificationem peccatoris adulti per Sacramentum prærequirit actum Fidei, & Spei. *Fiden-*

Fidentes, inquit, *ſibi Deum per Chriſtum propitium fore, illum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Et ibidem cap. 7. *Hanc Fidem ante Baptiſmi Sacramentum petunt Catechumeni ab Eccleſia ex Apoſtolorum traditione, cùm Fidem petunt vitam æternam præſtantem, quam ſine Spe & Charitate Fides præſtare non poteſt.* Seſſ. 14. cap. docet, attritionem, ſi voluntatem peccandi excludat *cum Spe veniæ*, diſponere ad juſtificationis gratiam, in Sacramento pœnitentiæ impetrandam. Ratio ex Suarez eſt; quia, qui voluntate propriâ per mortale receſſit à Deo, in naturæ corruptæ infirmitate, non poteſt ſine Spe aſſurgere ad actus pro juſtificatione neceſſarios, quibus efficaciter ſe convertat ad Deum, velitque abnegatâ concupiſcentiâ, ejus mandata ſervare. *Probatur 2da pars*: nam lumine naturæ patet, illicitum eſſe deſperare, Deo promittente auxilium, de ſalute: aut præſumere de miſericordia Dei noſtram cooperationem requirentis; vel poſitivè vilipendere beatitudinem, nobis præparatam. Atque hæc præcepto negativo prohibentur, quia ſunt quidam contemptus Dei.

Pars tertia conſtat ex Analyſi N. 77. ubi ab Alexandro VII. damnata ordine prima hæc propoſitio expoſita eſt: *Homo nullo unquam natæ vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, Charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Et ratio eſt, quia admodum indecens eſt, hominem nunquam, vel raro deſiderare pervenire ad finem ſuum ultimum, erigendo animum adverſùs difficultates, ad quas ſuperandas Deus nobis ſuum auxilium obtulit; proinde honeſtas Spei exi- *Propoſitio damnata.*

git, ut frequententur ab homine per vitam ipſius actus.

QUÆSTIO III.

Quando præceptum Spei per ſe, & per accidens obliget?

64. *Per ſe obligat.* Reſp. Præceptum Spei negativum obligat per ſe ſemper, & pro ſemper. Patet, quia deſperare de ſalute adhuc obtinibili, præſumere de miſericordia Dei, contemnere beatitudinem: ſemper inhoneſtum, & intrinſecè malum eſt. Deſperare enim repugnat fidelitati, omnipotentiæ & miſericordiæ Dei; præſumere repugnat modo, quo à nobis Deus vult ſperari. Deinde præceptum affirmativum per ſe & ratione honeſtatis, Spei propriæ obligat 1mò. Quando homo uſum rationis adeptus, & ſufficienter inſtructus, advertit obligationem tendendi in ſuum finem ultimum. 2. Dum quis verſatur in periculo deſperandi, niſi Spes animum confirmet: nam præceptum non deſperandi obligat ad media, Spei conſervandæ neceſſaria. 3. In periculo mortis: quia tunc præcepta, præſertim quæ Deum pro objecto immediato habent, maximè urgent, eſtque Spes tunc neceſſaria ad tentationes ſuperandas. 4. Sæpius in vita, quia decet hominem non rarò actualiter tendere in finem ſuum ultimum. Satisfaceret tamen præcepto Spei, qui ex motivo charitatis fiduciale deſiderium beatitudinis eliceret, quando præceptum urget; is enim eſſet actus perfectior eminenter in ſe continens actum Spei.

Per accidens. Demum per accidens obligat præceptum affir-

affirmativum Spei. 1mò. Quando eſt obligatio eliciendi actus virtutum, qui ſine actu Spei poni non poſſint, ùt ſunt pœnitentia, oratio &c. 2. Quoties urget contra aliam virtutem tentatio, quæ ſine actu Spei ſuperari non poteſt. 3. Quando peccator adultus vult juſtificari: ſine Spe enim, uti dixi, non poteſt homo in ſtatu naturæ lapſæ aſſurgere ad efficacem ſupernaturalem averſionem à peccatis, & converſionem ad Deum.

CAPUT III.

De peccatis Spei oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint peccata Spei Theologicæ oppoſita?

Reſp. Peccata illi oppoſita ſunt deſperatio, præſumptio de miſericordia Dei, incuria ſalutis cum animi comparatione ſemper fruendi terrenis pro beatitudine, omiſſio actûs Spei, quando præceptum per ſe obligat. *65. Quatuor.*

QUÆSTIO II.

Quid ſit Deſperatio?

Reſp. Deſperatio eſt libera, plenaque diffidentia obtinendi beatitudinem propter apprehenſam ejus difficultatem, vel impoſſibilitatem. Hæc diffidentia ſi procedat ex judicio hæretico, v. g. Deum non poſſe, aut non velle ſalvare, aut non præparâſſe media ſufficientia *66. Deſperatio duplex.*

ad ſalutem, erit deſperatio hæreticalis: ſecus poteſt eſſe ſine hæreſi, ut ſi procederet ex judicio de ſolo facto, v. g. ex hoc nunquam parcet mihi Deus: nunquam ritè me diſponam ad veniam peccatorum conſequendam, atque ità animum deſpondeat. Quare pœnitens de deſperatione ſe accuſans examinandus eſt, ex quo judicio deſperaverit, ut intelligatur, an ſimul adfuerit malitia hæreſis. Quomodo deſperabundus ſit excitandus, dixi in Neo-Conf. N. 237. & 238.

QUÆSTIO III.

Quid ſit præſumptio Spei oppoſita?

67. *Fit duplici modo.* Reſp. Eſt inordinata fiducia à Deo obtinendi beatitudinem aliter, ac ipſe ordinavit. Eſt autem inordinata 1. Si quis innitatur propriis viribus, ùt ſi ſperet conſequi beatitudinem viribus naturæ. 2. Si quis inordinatè innitatur omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei; ùt ſi ſperet beatitudinem ſine bonis operibus, ùt Calviniſtæ faciunt; vel ſine meritis & gratia Chriſti; vel ſi quis perſeverans in peccatis, tam facilem veniam ſperaret, ac ſi nunquam ferè peccâſſet, aût ob Dei clementiam & bonitatem audaciùs peccaret, vel differret pœnitentiam uſque in finem vitæ facilitate veniæ inductus. De hoc vide Neo-Conf. N. 207.

68. *Sunt mortalia.* Atque hæc peccata Spei oppoſita omnia ſunt mortalia. 1. Deſperatio quidem ex toto ſuo genere, quia repugnat immediatè perfectioni divinæ, ſcilicet omnipotentiæ vel fidelitati divinæ. 2. Præſumptio autem ex genere ſuo, quia contemnit aut excludit auxilium Dei: ſi tamen

tamen quis ſperaret, ad quæ ſcit, ſe non eſſe in hac Dei providentia elevatum; v. g. gratiam ſimilem illi, quam habuerunt maximi Sancti, poſſet eſſe tantùm veniale, uti & juxta Bonæſpei, ſi moveretur bonitate Dei ad peccandum venialiter; ſecus tamen, ſi illa moveretur ad peccandum mortaliter, quia abuſus eſſet gravis. 3. Incuria dicta ſalutis, quia eſſet contemptus bonitatis Dei reſpectivæ. 4. Omiſſio Spei, quando urget præceptum, quia eſſet omiſſio rei gravis: ſi tamen per accidens eſſet obligatio, non præceptum Spei, ſed aliud violaretur, v. g. pœnitentiæ, aut alterius virtutis, quæ hìc & nunc exigeret actum Spei, uti, ſi urgeret gravis tentatio contra caſtitatem, quæ ſine actu Spei videretur non poſſe ſuperari.

Porrò deſperatio eſt peccatum levius quàm odium Dei; quia hoc opponitur bonitati Dei abſolutæ; gravius tamen quàm præſumptio; quia propiùs opponitur Deo ſecundùm ſe, quàm præſumptio: Deo enim ſecundùm ſe magìs convenit miſereri, quàm punire.

Hinc mortale eſt 1mò, ità adhærere rebus terrenis, ut interpretativè quis paratus ſit, relicto cœlo, illis perpetuò frui, ſi poſſet, etſi cùm id fieri non poſſe ſciat, adhuc aliquo modo deſideret beatitudinem. 2. Ex diffidentia quadam de gratia & bonitate Dei optare ſe natum nunquam eſſe, aut annihilari. 3. Diffidere planè de futura emendatione vitæ ſuæ, malæque conſuetudinis valdè radicatæ, quâ ſalus impediatur. 4. Sæpiùs & liberiùs peccare, quia facilè eſt confiteri, & obtinere veniam. 5. Differre pœnitentiam in finem vitæ, ſibique blandiri, tunc ſatis adhuc maturum eſſe.

§ 69. *Corollaria.*

eſſe. 6. Nunquam velle efficaciter poſſeſſionem Dei. 7. Abjicere animum de conſequenda ſalute, veniâ peccatorum, auxiliis gratiæ. Ratio eſt, quia hæc ſimiliaque repugnant divinæ bonitati, miſericordiæ, vel potentiæ, aut providentiæ, ac ordinationi graviter.

70. *Habitus Spei quando amittatur.* Habitus tamen Spei non tollitur per omne peccatum Spei oppoſitum; ſed tantùm per deſperationem formalem, & ea, quæ conjuncta ſunt cum infidelitate formali, vel odio efficaci ſalutis; quia deſperatio formalis, & odium efficax ſalutis excludit motivum Spei; & Fide pereunte per infidelitatem, Spes quoque perit; quia Fides eſt fundamentum Spei, & hujus motivum debet proponere. An habitus Spei ſit perfectior habitu Fidei, non convenit: Spes enim magis conjungit Deo, Fides majus illi præſtat obſequium, ut dixi alibi.

DISSERTATIO II.

De Charitate Theologica.

CAPUT I.

De Quidditate, & Objecto Charitatis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Charitas Theologica?

71. *Amor multiplex.* *Nota 1mò.* Amor genericè acceptus eſt motus appetitûs in bonum, ſeu affectio voluntatis,

tis, quâ adhæret bono, quia bonum eſt: ſic acceptus dividitur in amorem ſimplicem, deſiderium boni, & gaudium. Similiter dic de odio, quod genericè acceptum eſt averſio appetitûs, ſeu voluntatis à malo, ùt tali: ſeu actus, quo â malo receditur, quia malum eſt. Dividiturque in odium ſimplex, fugam, & triſtitiam. De quibus dictum eſt in Tractatu de actibus humanis.

2*dò*. Amor alius eſt Charitatis, ſeu benevolentiæ, & amicitiæ; alius Spei & concupiſcentiæ. Amor benevolentiæ eſt, quo volo alteri bonum; quia ipſi bonum eſt, motus vel ipſius, vel alterius, ad quem aliquo modo ſaltem pertinet, bonitate. Amor amicitiæ eſt amor benevolentiæ mutuus, manifeſtus & communicativus bonorum cum quadam ſimilitudine naturæ: unde non omnis amor benevolentiæ eſt amor amicitiæ: nam poſſum alteri velle bonum, v. g. ſanitatem, quia ipſi bona, abſque eo, quod velim ei communicare mea bona. Et Deus ſæpè peccatori confert gratiam ex amore benevolentiæ, & ſuâ bonitate: omnis autem amor amicitiæ eſt amor benevolentiæ. Amor concupiſcentiæ eſt, quo volo mihi vel alteri bonum, quia mihi bonum eſt. Amori benevolentiæ opponitur odium inimicitiæ, quo volo alteri malum, quia ipſi malum eſt; amori concupiſcentiæ opponitur odium abominationis, quo inordinatè alteri volo malum, non quia ipſi malum eſt, ſed quia mihi aut meis bonum eſt.

3*tiò*. Ex amore oriuntur reliqui affectus tum appetitûs ſenſitivi, tum voluntatis, quorum undecim paſſim numerantur, de quibus dixi p. 1. n. 4. His notatis.

Reſp.

72. *Charitas quid* Reſp. Charitas eſt virtus ſupernaturalis Theologica, qua Deum propter ſe ſuper omnia diligimus, nos ipſos autem, & proximos, ſicut nos ipſos, propter Deum. Charitas actualis eſt amor benevolentiæ, quo Deum ſuper omnia, nos ipſos verò & proximos propter Deum diligimus. Charitas habitualis eſt habitus, per ſe infuſus, elevans voluntatem ad amandum ſuper omnia Deum propter ſe, & nos, & proximum propter Deum. Quòd ſit habitus infuſus diſtinctus à Spiritu ſancto, nunc eſt certa ſententia contra Magiſtrum Sententiarum, qui in primo Sententiarum Diſt 17. putavit ipſum eſſe Spiritum ſanctum, qui immediatè per ſe ipſum ſine habitu actum amoris in nobis operetur: nam Rom. 5. dicitur: *Charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Et Trid. Seſſ. 6. Cap. 7. ait: *Juſtificationem hominis fieri, dum Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, nobiſque inhæret.*

QUÆSTIO II.

Quid ſit Objectum Charitatis Theologicæ materiale?

73. *Eſt Deus & proximus.* Reſp. Objectum Charitatis materiale *cui* primarium eſt Deus, ſecundarium nos ipſi & proximi noſtri: Objectum autem materiale *quod* primarium eſt Deus, omneſque ejus intrinſecæ perfectiones, ſecundarium ſunt bona creata cætera, quatenus ad ampliorem extrinſecam Dei gloriam deſervire poſſunt. Ratio 1mæ partis eſt, quia Deus digniſſimus eſt, ut ad illum propter ſe ultimatò omnia referantur, &

& in ipſo eſt primaria ratio motiva amandi, quæ in creaturis, velut per quandam umbram participata, relucet. Ratio 2dæ partis eſt, quia per charitatem nobis, & proximis volumus bonum propter Dei bonitatem, ut nempè Dei æſtimatio & gloria augeatur. Ratio 3tiæ partis eſt, quia Deus, ejuſque perfectiones primarium, reliqua creata bona ſecundarium ſunt bonum, quod Deo favere, de quo gaudere, gratulari, in quo complacere nobis poſſumus ob bonitatem Dei. Unde objectum materiale Charitatis ſecundarium ſunt bona tum ſupernaturalia, tum naturalia, quatenus ſerviunt ad Dei cognitionem, æſtimationem, laudem, & gloriam. Et eatenus poſſumus amate etiam exiſtentiam Dæmonum, non tamen peccata; quia hæc non per ſe, ſed per accidens tantùm, & occaſionaliter ſerviunt ad Dei gloriam.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit objectum formale Charitatis Theologicæ, & quæ perfectio?

Nota. Perfectum dicitur, quod habet omnia, quæ ei conveniunt, & ineſſe debent ſecundùm rationem ſuam, & ſtatum. Duplex autem eſt perfectionis modus naturalis ſcilicet & moralis. Naturaliter perfectum eſt, quod habet in ſe omnia, quæ poteſt, & debet habere juxta naturam ſuam, ità ut nihil nec minima pars deſit. Moraliter perfectum eſt, quod omnes virtutes habet, & exercet, quæ illi conveniunt juxta vitæ ſuæ rationem ſingularem. Unde perfectio naturalis conſiſtit in col-

74. *Quid ſit perfectum, pulchrū bonum?*

collectione omnium, quæ rei ſecundùm ſuam naturam conveniunt; moralis verò, quæ alio nomine Sanctitas dicitur, in cumulo omnium virtutum, earumque exercitio ſecundùm vitæ ſuæ rationem. Perfectum dicitur pulchrum, quatenus aptum eſt recreare corporis vel mentis aſpectum; dicitur bonum, quatenus aptum eſt movere, & afficere, & ad ſe per amorem trahere voluntatem, jam verò, cùm Dei natura exigat omnem perfectionem poſſibilem, omnemque virtutem, eamque infinitam, quæ in ſubjecto ſuo non ſupponit imperfectionem, Deus eſt infinitè ſapiens, infinitè potens, juſtus, ſanctus, fortis, liberalis, benignus, clemens, miſericors, manſuetus, patiens, longanimis, æternus, immenſus, immutabilis, &c. vel potiùs ipſa ſapientia, omnipotentia, charitas, clementia, ſanctitas, &c. neque enim perfectio moralis Dei eſt à Deo, ſicut à creaturis ſeparabilis, ſed eidem identificata, non ſecus ac perfectio naturalis: atque hinc Deus eſt infinitè pulcher, perfectus, bonus & amabilis propter ſe ſuper omnia creata & creabilia; & pleno jure dicitur omne bonum, cui quò magis per virtutes aſſimilamur, eò magis ſancti, perfecti, pulchri & amabiles evadimus. Hoc notato

75. *Bonitas Dei abſoluta eſt primarium*

Reſp. 1. Objectum formale motivum, ſeu *propter quod* charitatis Theologicæ eſt bonitas abſoluta increata Dei, ſeu eſſentia & perfectio omnis infinita Dei, quatenus illi bona eſt. *Ratio eſt;* quia propter illam Deus dignus eſt amore benevolo ſuper omnia. Quare, uti charitas in genere eſt amor benevolentiæ, quo proſequimur alienam perſonam propter aliquam ejus bonitatem, per quam digna eſt amo-

amore, & bono tali volito; ita Charitas Theologica eſt amor benevolentiæ, quo Deum proſequimur propter divinam ejus bonitatem, per quam dignus eſt amore, boniſque volitis supèr omnia. Quæ bonitas cùm infinita ſit, charitas divina menſuram, ſeu medium objectivum non habet, nec plus amari poteſt, quàm mereatur Deus, cujus tum quælibet perfectio, tum perfectio in omni genere, quia reddit eum ſuper omnia amabilem; hinc motivum ſufficiens Charitatis Theologicæ eſt, tum quælibet particularis perfectio divina, ùt divina, & infinita, modò per Fidem proponatur, ſique apprecietur Deus ſuper omnia, ſufficit amor, ſic procedens, ad juſtificationem ſecundùm dicenda, tum perfectio omnigena, quâ Deus in omni genere ſuper omnia pulcher, bonus & amabilis eſt propter ſe amore efficaci. Quod addo, quia eadem Dei bonitas abſoluta eſt objectum formale ſub quo, quatenus affectu ſimplici benevolo à charitate attingibilis: cùm enim charitas divina tendat in objectum formale ſuum ſine omni reſpectu ad delectabilitatem & utilitatem propriam (etſi ſpes comitari poſſit) ut eò pertingat, debet objectum formale ſuum attingere per affectum ſimplicem, eumque benevolum, ut actu perfectiore attingibile ſit. Dixi in reſponſione: *Bonitas Dei abſoluta*, quâ nempe Deus in ſe, & quâ ſibi bonus eſt: nam ſi bonitas Dei conſideretur, & ab amore attingatur ut nobis bona, eſt objectum formale ſpei ſecundùm dicta n 59.

Petes. Qui ſunt noſtri proximi? Reſp. Sunt omnes beatitudinis capaces, ac 1. Chriſtus quà homo, Beatiſſima Virgo, boni Angeli, 76. *Proximi.*

Beati omnes, utpote ſingulares amici Dei, & beatitudinis, non tantùm capaces, ſed etiam participes. 2. Animæ Purgatorii. 3. Viatores omnes, juſti & injuſti, amici & inimici, quia ſunt beatitudinis capaces, poſſumuſque, moti bonitate Dei, illis bene velle, gratulari, gratificari, ut Deus ab iis ametur, laudetur, glorificetur, ejuſque regnum augeatur, &c. quia ob ſummam bonitatem ſuam dignus eſt. Dæmones autem, & damnati reliqui non ſunt noſtri proximi, quia incapaces, propter immutabile decretum Dei, vitæ ſupernaturalis, ratione cujus poſſint amari cum Deo per modum unius. Poſſumus tamen iis favere exiſtentiam, quatenus conducit ad manifeſtandas Dei perfectiones. Poſſumus quoque dolere de eorum damnatione, quatenus amplior Dei agnitio, reverentia, honor & laus impeditur. Non licet tamen illis favere malum, quia illis malum eſt: hoc enim eſſet odium inimicitiæ, de ſe intrinſecè malum; unde nec poſſumus illis majorem pœnam optare; nec falſa crimina imponere.

Dices. Amoris ùt ſic eſt ferri in bonum amantis: quia nemo afficitur ad bonum nullo modo ſuum; ergo charitas debet ferri in Deum, ùt bonum amanti. Reſp. Licet amoris ſit ferri in bonum amantis, vel ſub ratione honeſti, utilis, vel jucundi, aut delectabilis; poteſt tamen ſine reſpectu ad utilitatem, vel jucunditatem propriam ferri in bonum ſub ratione honeſti: Deo autem vel maximè convenit honeſta diligibilitas ratione ſuî; adeoque hunc ſic amare conveniens eſt amanti.

77. *Eſt virtus per-* Reſp. 2. Charitas eſt virtus perfectiſſima, eaque unica ſpecie infimâ. *Ratio 1mæ partis eſt,*

eſt ; quia producit actus perfectiſſimos, attingit Deum ſecundùm latitudinem perfectionis ſuæ modo perfectiſſimo, illum ſubjecto ſuo ob meritum amoris objectivum infinitum, omnibuſque creaturis abſolutè præferendo, & appretiando ſuper omnia poſſibilia ; transfert creaturam in Deum ; ob cujus ſolius gloriam ultimatò creari potuit ; expellit peccata, facit conſortem divinæ naturæ ; bonaque Dei nobis communia ; imperativè implet omnia præcepta, eſt finis omnium virtutum, & forma extrinſeca, quia perficit eas in ratione virtutis, redditque de condigno meritorias. Atque hinc Regina virtutum appellatur. *Ratio 2dæ partis eſt ;* quia unicum habet ultimatum objectum formale & principale, nempe rationem boni increati, propter ſe ſuper omnia amabilis, quam charitas, ùt virtus Theologica, reſpicit, & proſequitur, ſive illud bonum ſit ſapientia, ſive benignitas, ſive clementia, ſive alia quæcunque perfectio, aut perfectiones omnes ſimul. *fectiſſima, & unica ſpecie infimâ.*

78. *Secundarium illius objectum gloria extrinſeca Dei.*

Dixi : *Objectum formale ultimatum, & principale ;* nam, quamvis nos, moti Dei bonitate abſolutâ, velimus, & conemur procurare ipſi gloriam extrinſecam, ùt finem *qui*, & non ùt medium ; non eſt tamen illa motivum primarium, ſed ſecundarium tantùm : nam invenit voluntatem jam motam abſolutâ Dei bonitate. Sicut, ſi velim Petro ſanitatem, quia vir doctus, & magnæ virtutis eſt ; movet quidem voluntatem bonitas ſanitatis, ſed ùt motivum duntaxat ſecundarium : nam bonitas Petri jam antè movit voluntatem, ut proſecutivè ſe conjungat cum Petro ; bonitas autem ſanitatis illam motam bonitate Petri invenit,

moveatque, ut affectivè ſe cum ſanitate conjungat, qui eſt motus ſecundarius; quia non amaretur Petro ſanitas, niſi voluntas eſſet jam mota ejus bonitate.

Si dicas. Poſſum mihi velle bonum, etſi non movear meâ bonitate; ergo & poſſum velle bonum alteri, etſi non movear ejus bonitate, conſequenter poſſum actu charitatis Deo velle gloriam extrinſecam, etſi non movear ejus bonitate: ſicque bonitas Dei increata non erit objectum formale motivum omnis actûs Charitatis Dei. Reſp. Neg. Conſ. Ad me amandum, & volendum mihi beatitudinem in communi, ſum ex natura mea determinatus, & primus motus voluntatis eſt amor beatitudinis in communi; hinc, ut me amem, non eſt opus moveri me meâ bonitate; ut autem amore benevolo velim alteri bonum, non ſum ex mea natura determinatus, hinc indigeo, ùt motivo, ejus bonitate, quæ ſit amoris benevoli motivum primarium.

CAPUT II.

De formali effectu, & actibus Charitatis, horumque efficaciâ.

QUÆSTIO I.

An Charitas Theologica fundet filiationem adoptionis divinam in homine, veramque amicitiam Deum inter & hominem.

79. Reſp. Affirmativè: nam 1. Joan. cap. 3. dici-

dicitur : *Videte , qualem Charitatem dedit nobis Pater , ut filii Dei nominemur & ſimus ?* Joann. 1. *Quotquot eum receperunt , dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Joann. 15. *Vos amici mei eſtis , ſi feceritis , quæ præcipio vobis.* Dein Trid. Seſſ. 6. cap. 6. ait : *Peccator , dum juſtificatur , ex inimico fit amicus Dei.* Id quod amanter explicatur apud Ezechielem cap. 16. v. 8. ubi ità Deus animam alloquitur : *Eras nuda , & confuſione plena , & pertranſivi per te , & vidi te , & ecce tempus tuum tempus amantium , & expandi amictum meum ſuper te , & operui ignominiam tuam , & juravi tibi , & ingreſſus ſum pactum tecum , & facta es mihi.* Quibus verbis ſignificat Deus , quòd deſponſet per juſtificationem ſibi animam , & amicam faciat ; tranſit per eam , & videt eam illuſtrando , & trahendo ad ſe gratiæ auxiliis ; amictum ſuper eam expandit , exornando gratiâ ſanctificante & charitate ; operit ignominiam , delendo peccatorum maculas ; jurat illi promittendo perpetuam amicitiam , niſi illa reſiliat ; pactum init illam obligando , ut mandata , & leges amicitiæ ſervet , & nunquam recedat ; quod & ipſa admittendo gratiam oblatam exercitè , ſaltem interpretativè ſpondet ; fit amica , quia promittitur amor mutuus , & bonorum invicem communicativus. Ratio autem reſponſionis eſt : quia amicitia ſita eſt vel in mutuo , ſaltem tacito , inter duos vel plures , ſpecialem vitæ ſimilitudinem habentes , fœdere amoris perpetui , manifeſti , reciproci , communicativi invicem bonorum ob dignitatem perſonæ amatæ , vel in quaſi jure mutuo ad talem amorem , nato ex tali fœdere ; tale autem fœdus , & jus fundat

Fundat amicitiam, & filiationem Dei

habitualis charitas : nam hanc infundendo homini Deus facit hunc divinæ conſortem naturæ ſibique amabilem , & ſe obligat ad eum amandum , bonaque illi ſua communicanda , & homo viciſſim obligat ſe tacitâ & interpretativâ (quis enim talem dignitatem ſuſcipere paratus non ſit?) promiſſione ad Deum , quem lege naturæ amare tenetur , redamandum , ſeque illi communicandum , fitque per habitum charitatis aptus ad Deum amandum amore ſupernaturali benevolo & amicitiæ : ſive jam habitus charitatis realiter ſit diſtinctus , ùt tenet S. Thom. à gratia ſanctificante ; ſive identificatus , ùt vult Scotus : ſi enim dicas primum : jam amicitia inter Deum & hominem fundabitur in gratia , ùt formâ dignificante , & amabilem conſtituente ; in habitu autem charitatis , ùt reddente aptum ad amandum amore amicitiæ. Si dicas 2dum , utrumque præſtabit charitas ; etſi non ſine ſpeciali favore Dei , hominem recipientis in amicum. Atque hinc patet , cur charitas per omne peccatum mortale amittatur. Hoc enim conſtituit inimicum Dei ; illa verò vel conſtituit amicum Dei, vel radicatur in gratia , amicum conſtituente, adeoque, hâc pereunte. perit. Id, quod quoque fidei & ſpei habituali , utpote in gratia radicatis , contingeret connaturaliter , niſi Deus miſericorditer eos habitus conſervaret , ut homo lapſus principia habeat reſurgendi.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quinam ſint Actus Charitatis eliciti, & imperati, eorumque Gradus, & Proprietates?

Reſp. 1. Actus Charitatis eliciti ſunt ſequentes. 1mus, & præcipuus eſt amor benevolentiæ, & amicitiæ gratuitus & efficax, quo Deum diligimus ſuper omnia propter ſe. Dixi 1. *Amor benevolentiæ*; quia per actum Charitatis Deo bene volumus, favemus ipſi perfectiones ſuas intrinſecas infinitas, & bona extrinſeca, ùt laudem, amorem, gloriam à nobis & omnibus creaturis. Dixi 2. *Amicitiæ*; quia per actum Charitatis perfectum Deo, ſincerè nos redamanti, volumus nos & bona noſtra propter ſe, ſeu quia eſt omne bonum, ens univerſaliter perfectum, ideoque digniſſimus omni laude, gloriâ, honore; Et Deus nos redamat amore benevolentiæ communicativo bonorum ſuorum. Non eſt tamen amicitia æqualitatis; ſed dignationis ex parte Dei. Dixi 3. *Gratuitus*, id eſt, ſine reſpectu utilitatis, commodi & delectationis propriæ. Dixi 4. *Efficax*; quia Charitas perfecta otioſa non eſt, ſed movet ad procurandum Deo bonum, laudem, amorem, gloriam, & impediendum malum, ùt ſunt peccata propria & aliena. Dixi 5. *Propter ſe*, id eſt, bonitatem ſeu perfectionem ſuam in omni genere infinitam. Dixi 6. *Super omnia*, puta appretiativè; quia per actum perfectæ Charitatis affectivè adhæremus, & æſtimamus Deum ità, ut parati ſimus potiùs amittere omnia, quæ cum ejus amicitia pu-

80. *Primus, eſt amor, benevolus.*

gnant ; quàm ab ipſo recedere , velimuſque amare eum , etſi nec præmium ſperandum , nec pœna timenda eſſet : unde , licèt ſtare poſſit cum ſpe retributionis : motivum tamen adæquatum ejus in actu primo eſt bonitas Dei abſoluta , etſi non ſit opus comparatione , nec ſpem & timorem excludere ſemper expediat.

Tres ejus gradus.

Habet autem hic actus Charitatis tres gradus. Primus eſt , cùm illo Deus ſic ſuper omnia diligitur , ut reſpuantur omnia bona , quæ retineri vel obtineri non poſſunt ſine gravi offenſa Dei & diſſolutione amicitiæ ejus. Hic actus , cùm ſit ſimpliciter dilectio Dei ſuper omnia , & ex toto corde , excludatque affectum ad omne lethale peccatum , ſufficit ad juſtificationem , & præceptum dilectionis Dei implendum : veniale enim non eſt receſſus à Deo , ſed ſtat cum acceſſu ad eum , & cum ſtatu habituali neceſſario ad conſervandum habitum Charitatis. Secundus eſt , qui ſic amantem conſtituit , ut paratus ſit quodlibet malum pati , quàm leviter Deum offendere. Hic ad perfectionem neceſſarius eſt. Tertius eſt , cùm per illum homo paratus eſt ad omnia , quæ novit Deo eſſe gratiora. Unde excludit etiam imperfectiones , vel actualiter , dum actu exiſtit , vel habitualiter , dum antè extitit , & moraliter perſeverat. Poteſt porrò unus in quocunque ex tribus illis gradibus altero eſſe intenſior.

Secundus eſt gaudiū.

Secundus actus Charitatis eſt gaudium , gratulatio , exultatio de bonis Dei , propter ipſum : cùm enim amor ſit inclinatio amantis in amatum , amantem cum amato conjungat , & in eum transformet , dum perfectus eſt,

ut æſtimet amatum velut unum ſecum, amans Deum gaudet de infinitis ejus perfectionibus, gloriâ ejus in- & extrinſecâ, deque iis ipſi gratulatur.

Tertius actus eſt deſiderium, ſeu zelus, quo *Tertius*
deſiderantur, & quæruntur bona Dei extrinſeca *eſt zelus*
adhuc abſentia, ut converſio animarum, pro- *gloria*
fectus in virtutibus, & quidquid ad amplio- *Dei.*
rem Dei gloriam ſpectat. Item quo quis aſpirat ad majorem Dei amorem.

Quartus eſt dolor, & odium, fuga, deteſta- *Quar-*
tio peccatorum. 5tus timor, ne à Deo ſepa- *tus eſt*
remur, aut bona Dei non obtineantur. Ratio *fuga*
eſt; quia hi actus omnes poſſunt niti motivo *peccati.*
charitatis. Idem dic de audacia, ira, & deſperatione, v. g. boni conſequendi, ubi cognoſcitur, non eſſe ex voluntate Dei. Dixi: *Actus eliciti*: Nam actus imperati charitatis ſunt actus aliarum virtutum omnium: hos enim, cùm Deo placeant, imperare poteſt omnes imperio perfecto, id eſt, ad eos ponendos voluntatem ex ſua vi inclinare ſine motivo alterius virtutis, cùm contineat perfectionem omnem actûs imperandi.

Reſp. 2. Proprietates & effectus amoris Dei 81.
ſunt ſequentes: Primus unio amantis cum Deo *Proprie-*
amato: amans enim Deum exit à ſe affectivè, *tates*
ſeque illi conjungit, & vult intimè eſſe præ- *amoris.*
ſens. Secundus mutua, & conſtans inhæſio, ità ut amans cogitatione & affectu ſit in amato, & amatus in amante. 3tius eſt Extaſis, quâ amans ponitur quaſi extra ſe, ut mente & affectu, quaſi ſuî & omnium oblitus, totus ſit in amato, de ejus bonis cogitet, delectetur, gaudeat. 4tus eſt frequens amati Dei memoria cum gaudio, alloquio, gratiarum

actione, adoratione &c. Amans enim cupit cum amato eſſe unum, quod cum nequeat eſſe realiter, unionem quærit per converſationem, colloquia &c. juxta illud 1. Joan. 4. *Deus Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Id eſt, manet in Deo velut bono ſuo, & Deus in eo velut amante, operando in eo perfectam charitatem &c. Effectus amoris ſunt præterea facere quidquid dilecto placere, & vitare quidquid diſplicere cognoſcitur. Unde dixit Chriſtus Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum*, id eſt doctrinam, *ſervabit.* Item: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Hinc qui ſinceré amat Deum, operatur magna, & parva reputat; operatur multa, & reputat pauca; non fatigatur laboribus, non frangitur jejuniis, ipſam vitam pro Deo profundere non horret amor, ignis eſt, nunquam dicit: ſufficit. Amore Dei libenter patitur à bonis & malis; benefacit omnibus; nihil infert mali; non effert ſe ſuper alios; mavult ſubeſſe, quàm dominari aliis; non invidet; non quærit ſe; non ulciſcitur injurias; non judicat temerè; non gaudet de malo proximi, ſed ejus bonis congaudet &c. dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt; Charitas non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non inflatur, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Præterea ſincera Charitas urget continuam mortificationem paſſionum, ſenſuum, voluntatis, intellectûs, expiationem peccatorum, profectum in virtutibus,

bus, ut anima reddat ſe Deo quàm ſimillimam, ocyus perveniat ad ejus viſionem, & fruitionem perpetuam, idque unicè propter gloriam Dei. Atque ex his quiſque facilè colliget, quantum in amore Dei profecerit.

QUÆSTIO III.

An amor Dei ſuper omnia propter ſe dilecti, & contritio charitate perfecta juſtificet peccatorem extra Sacramentum, quamprimum exiſtit?

Reſp. Affirmativè. Eſt communis, & certa 82.
contra Bajum, Janſenium, & quoſdam eo- *Senten-*
rum Sectatores, qui tenuerunt per illos actus *tia affir-*
ordinariè non juſtificari peccatorem, priuſquam *mativa*
Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiat, vel mors *certa.*
immineat. Reſponſio noſtra probatur 1mò ex Scriptura: nam Proverbiorum 8. dicit Deus: *Ego diligentes me diligo.* Et Chriſtus Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* 1. Joan. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Natus autem non eſt ex Deo, qui non habet gratiam juſtificantem. 1. Petri cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Probatur 2dò ex Trid. quod Seſſ. 14. cap. 4. ſimpliciter dicit, quòd contritio charitate perfecta reconciliet hominem cum Deo, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiat. Probatur 3tiò authoritate Pontificum, nam Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. damnârunt hanc 31. Baji propoſitionem: *Charitas perfecta, & ſincera,*

quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & Fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in Pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Et hanc 71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto Sacramentum ſuſcipiendi conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis aut martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Ratio autem eſt: quia actus Charitatis & contritionis perfectæ eſt converſio perfecta peccatoris ad Deum; tali autem converſioni tribuit Deus vim juſtificandi. Conſtat tum ex Deut, cap. 4. ubi dicitur: *Si quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris eum.* Tum ex Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit.* Hæc valebant in veteri lege, cur non in nova? Unde ad juſtificationem non requiritur in tali actu certa duratio, vel intenſio; quia ſine his eſt vera converſio ex toto corde ad Deum, eſt verus actus Charitatis & Contritionis. Confirmatur ex SS. PP. nam S. Aug. Tr. 5. in Epiſt. Joan. ait: *Si quis in corde ſuo inveniat Charitatem, ſecurus eſt, quia tranſiit de morte ad vitam.* Tr. 9. in Joan. *Timor medicamentum eſt, Charitas ſanitas eſt.* S. Chryſoſt. hom. 2. in Timoth. *Cuncta ſcelera, quæ pacem perturbant, ubi Charitas fuerit, ſolvuntur.* Similia habet S. Greg. in lib. 1. Reg. cap. 3. S. Leo Epiſt. 19. & alii PP.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An actus Charitatis, ut extra Sacramentum juſtificet, debeat eſſe depuratus à Spe, & timore pœnæ?

Reſp. Negativè. Eſt communis omnium contra Le Drou de attritione Diſp. 4. cap. 3. §. 2. & paucos hodie ejus ſequaces, qui, ut ſententiam negantem, attritionem ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam ſufficere, tueantur, eò redacti ſunt, ut negent Charitatem juſtificantem extra Sacramentum ſtare poſſe cum timore pœnæ, cum Spe, omnique actu, ùt vocant, intereſſato. 83. *Sententia negativa videtur certa.*

Concluſio noſtra probatur 1mò: Actus Charitatis ſimpliciter dictus juſtificat extra Sacramentum, ùt conſtat ex Scriptura, & probatur teſtimoniis quæſtione præcedente relatis. Atqui actus Charitatis non depuratus à Spe, & timore pœnæ, ſed cum iis conjunctus, aut etiam cum actu Spei, identificatus eſt actus Charitatis ſimpliciter dictus: ergo. Min. probatur: nam amans Deum ſuper omnia propter ſe, ſive ſimul ſperet beatitudinem, & veniam peccatorum, pœnamque timeat, ſive non; præfert Deum ſibi, omnibuſque cum amicitia Dei incompoſſibilibus. Quod quid eſt aliud, quàm Deum ſimpliciter amare perfectè, & ſuper omnia? Confirmatur 1mò. Qui ſive uno ſive actu diſtincto ſimul admittit malitiam gravem & levem, ſimpliciter, & perfectè offendit Deum: ergo à pari. 2dò. Qui actu minùs intenſo Deum amat propter ſe ſuper omnia, per-

perfectè & ſimpliciter amat Deum, ergo ſimiliter.

Probatur Concluſio 2dò. Juxtà Trid. Seſſ. 14. Cap. 4. Contritio, ſi ſit Charitate perfecta, juſtificat extra Sacramentum; atqui conjuncta cum ſpe & timore poteſt eſſe charitate perfecta: nam charitate perficitur ex eo, quod ex motivo charitatis Dei ſuper omnia dilecti procedat: ſicut enim ſi quis ex motivo obedientiæ, & religionis interſit Sacrificio Miſſæ, actum ponit religione perfectum; ità hic. Confirmatur: Innocent. XII. Anno 1699. die 17. Martii, damnavit has Cameracenſis propoſitiones: 1mam: *Datur habitualis ſtatus amoris, qui eſt charitas pura ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe.* 2dam: *In ſtatu viæ contemplativæ ſive unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei.* 3tiam: *Purus amor ipſe ſolus conſtituit notam viam interiorem, & tum evadit unicum principium, & motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt.*

Probatur Concluſio 3tiò. Si actus Charitatis perfectæ deberet eſſe depuratus à ſpe, & timore pœnæ, ſeu eos actus adjunctos non habere; ergo ut quis eliciat actum, quo juſtificetur, aut præcepto Charitatis ſatisfaciat, debet excludere motivum ſpei & timoris, ſi adſit, & ſollicitè cavere, ne actus Charitatis procedat ſimul ex motivo ſpei, aut hujus vel timoris actus adſit; quia præcepto Charitatis non ſatisfit, niſi per actum perfectum: conſequens eſt falſum; ergo & antecedens: nam id Eccleſia nunquam docuit, nec habetur ejus declaratio: cùm nec P. P. nec Concilium, nec ullus Theologus alicujus nominis allegari poſſit,

ſit, qui id docuerit. Imò Theologi paſſim monent, id ſuadendum non eſſe rudibus, & minùs in virtute provectis: quia, inquiunt, cùm natura lapſa ſit admodum infirma, Deusque convenienter ordini naturæ ordinariè primò ad actum Spei moveat, quàm ad actum Charitatis: foret ille actus ſublimis Charitatis, ſpe excluſâ, rudibus, & peccatoribus moraliter impoſſibilis, eſſentque in periculo non eliciendi actum Charitatis, imò peccandi, cùm experientia doceat etiam non peccatores, quòd quandoque animus vacillet, ſi dicant: ſi nec præmium ſperandum, nec eſſet pœna timenda, vellem tamen amare Deum propter ſe. Hoc Chriſti Vicarius ſciens non declaravit hactenus, actum Charitatis juſtificantem, & quo præcepto ſatisfiat, debere non habere adjunctum actum Spei & timoris; debuiſſet autem declarare; quia ad eum pertinet docere, quomodo præcepta implenda ſint, & errores pernicioſos proſcribere.

Confirmatur ex abſurdis, quæ ex oppoſita ſententia conſequuntur: nam ſi vera eſſet, imò Plebeji, rudes, & peccatores, ſpectatâ præſenti naturæ lapſæ infirmitate, gratiâ ordinariè duntaxat conferri ſolitâ, extra Sacramentum ad juſtificationem pervenire non poterunt: eſt enim illis moraliter impoſſibile, ad actum tam ſublimem, & ab omni amore ſuî etiam honeſto depuratum aſſurgere, per conſequens ante legem Chriſti, quando lapſis in mortale non erat aliud juſtificationis medium, quàm actus Contritionis & Charitatis perfectæ, pauciſſimi juſtificari, & ad remiſſionem peccatorum pervenire potuerunt. Quod eſt parum piè ſentire de miſericordia, & providentia

dentia Dei. Imò Sacerdos lapſus in mortale, carenſque copiâ Confeſſarii, obligatus tamen hìc & nunc ad celebrandum, celebrare vix poterit: quomodo enim ſibi fidet, quòd habeat amorem Dei tam purum, contritionemque tam perfectam, ut non ſubſit deſiderium veniæ, & beatitudinis, ùt ſibi bonæ. 2dò. Plebeji, & rudes vix unquam poterunt ſatisfacere præcepto Charitatis Dei, & proximi; quia ad hoc debent Deum & proximum diligere amore ſimpliciter perfecto, qualis non eſt ſecundùm illam ſententiam, niſi depuratus ab omni ſpe & timore. 3. Moribundi, qui ſub finem vitæ tenentur elicere amorem Dei perfectum, non poterunt jam morbo fracti ſatisfacere ſuæ obligationi, præſertim rudes peccatores, & imperfecti, faciuntque malè, qui illos ad ſpem excitant, quia exponent eos periculo non aſſequendi actum perfectæ Charitatis, ad quem tenentur. 4. Martyres, qui plerique Spe gloriæ ſe ad tormenta, mortemque pro Chriſto ſuſtinendam animârunt, & ab aliis animati ſunt, non habuerunt in fine vitæ actum perfectæ Charitatis. 5. Beati in cœlo perfectè Deum amantes non poterunt deſiderare Reſurrectionem, & gloriam Corporis, ut ſibi bonam, gaudere de Deo poſſeſſo ût ſuo fine ultimo; beatiſſima Virgo in continuo Dei amore perfecto non potuit ſperare beatitudinem, ùt ſibi bonam, deſiderare conjungi ſuo fini ultimo, ùt ſummo ſuo bono. Ex quibus videtur ſententia Le-Drou &c. non habere ſpeciem veræ probabilitatis.

Probatur 4tò ex S. Thoma, de cujus mente videtur dubitari non poſſe: nam 2. 2. q.

17.

17. a. 8. O. ſic habet : *Amor quidam eſt perfectus, quidam imperfectus: perfectus amor eſt, quo quis amatur ſecundùm ſe, utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum, & hic ad Charitatem pertinet, quæ inhæret Deo ſecundùm ſe; imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundùm ſe ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat :* Subſumo : atqui qui amat Deum ex motivo Charitatis, amat Deum ſecundùm ſe : ergo amat amore perfecto, ſive ſpes, vel timor adſit, ſive non ? In 2. 2. q. 19. a. 10. O. ait : *Quantò aliquis magis diligit, tantò pœnam minùs timet, primò quidem, quia minùs attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna : ſecundò quia, qui firmiter inhæret, magis confidit de præmio, per conſequens minùs timet de pœna*, ergo creſcente charitate creſcit fiducia. 3tiò. Q. 24. a. 8. quærit, an Charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta ? & charitatem perfectam dividit tripliciter. *Prima*, inquit, *eſt, quæ actu ſemper fertur in Deum, & hæc eſt charitas patriæ, atque perfectiſſima. Secunda, quæ homo ſtudium ſuum deputat ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermiſſis aliis, præſenti vitæ non neceſſariis ; & hæc non eſt communis omnibus. 3tia, quâ habitualiter cor ita ponitur in Deo, ut ſcilicet nihil cogitet, nihil velit, quod dilectioni divinæ ſit contrarium.* Subſumo, atqui actus, quo quis deſiderat per fruitionem conjungi Deo, tanquam ſummo ſuo bono, non eſt dilectioni Dei contrarius, ſed potiùs ordinat hominem ad diligendum Deum charitate perfectiſſimâ.

Probatur 5to argumento ad hominem : juxta adverſarios actus perfectæ charitatis, juſti-

ficativus extra Sacramentum, poteſt ſtare cum peccato veniali, ergo poteſt ſtare cum actu ſpei & timoris. Probatur conſequentia: actus ſpei & timoris diſponit hominem, ut inhæreat Deo, per eos movetur à Spiritu ſancto, ut ſe ad Deum perfectè convertat, peccatum autem veniale diſponit ad recedendum à Deo; ergo ſi poteſt ſtare cum tali actu charitatis peccatum veniale, poterit & ſtare ſpes, & timor ſupernaturalis.

Nihil obſtat ex S. Thoma.

84. *Dices 1mò.* Ex S. Thoma 2. 2. q. 19. a. 8. O. *Charitas alia eſt perfecta, alia imperfecta, nam ut timor initialis* (quo timetur offenſa ſeu culpa & pœna) *habet ſe ad filialem* (quo timetur ſola offenſa Patris) *ſic Charitas imperfecta ad perfectam.* Reſp. Alia eſt perfecta, alia imperfecta abſolutè, & quoad ſubſtantiam N. quoad ſtatum perfectiorem accidentalem, ſeu gradum, & comparatione ad perfectiorem C. Nam ibidem ait S. Th. perfectum & imperfectum non diverſificant ſubſtantiam rei. Itaque S. Th. per Charitatem imperfectam intelligit minùs perfectam quam Q. 24. in O. dicit eam, quâ habitualiter cor ità ponitur in Deo, ut nihil cogitet, vel velit, quod divinæ dilectioni ſit contrarium, quæ licèt ſit comparativè imperfecta, minuſque pura & perfecta quàm Charitas patriæ, & Charitas non omnibus communis, quâ omnibus miſſis præſenti vitæ non neceſſariis, homo ſe deputat cultui divino; eſt tamen Charitas perfecta ſimpliciter, utpote Deum propter ſe præferens omnibus, & participat idem nomen ſimpliciter, ſicut vinum vilius & nobilius, calor magìs & minùs intenſus &c. Deinde S. Th. 2. 2. q. 24. a. 9. O. tres diſtinguit gra-

gradus Charitatis : primi ſtudium eſt, recedere à peccatis , & reſiſtere concupiſcentiæ adhuc forti ; ſecundi eſt concupiſcentiâ jam magis domitâ , intendere profectui in virtutibus ; tertii principale ſtudium eſt , inhærere Deo , & illo frui. In triplici hoc gradu Charitas ſimpliciter dicta & ſecundùm ſubſtantiam eſt perfecta , etſi puritate & perfectione diſtinguantur , nulla tamen ordinariè ſine ſpe eſt , & timore, hortante Apoſtolo : *Cum timore ſalutem veſtram operamini* , qui ad Philipp. 3. necdum ſe perfectum fatetur , & caſtigavit corpus ſuum , ne cum aliis prædicaverit , ipſe reprobus efficeretur. Dixi *Ordinariè* : nam poſſet quis per extraordinariam Dei gratiam ad tam ſublimem gradum charitatis aſcendere, ut oblitus proprii commodi , & tanta in Deum fiducia præditus nihil timeret , nisi offenſam Dei , & tàm alta perfectio inquit Card. Bellarminus l. 3. cap. 2. de gemitu columbæ, fuit in Virgine Deipara , S. Joan. Baptiſta, Apoſtolis Domini , & quibuſdam eximiis amicis Dei, ſed ùt plurimum juſti & pii homines non caruerunt timore Gehennæ , id quod patet ex Pſalmis de Davide , & aliis Sanctis ex eorum vita , & ſcriptis.

Dices 2. 1. Joan. 4. dicitur : *Timor non eſt in Charitate , ſed perfecta Charitas foras mittit timorem ; quoniam timor pœnam habet , qui autem timet , non eſt perfectus in Charitate.* Reſp. Timor inordinatus , & ſerviliter ſervilis non eſt in Charitate , ſed eum foras mittit perfecta Charitas C. Timor ordinatus & ſanctus non eſt in charitate, ſed eam foras mittit charitas perfecta N. vel ſubdiſtinguo : Charitas in gradu viatorum perfectiſſi- 85.

Charitas foras mittit timorem inordinatum.

mo, tranſeat: in gradu minùs perfecto N. Dixi: *Tranſeat:* quia timorem filialem & caſtum foràs non mittit. Timor ſerviliter ſervilis vel affectum ad peccatum, vel habituale peccatum adjunctum habet, hunc quoad ſervilitatem expellit Charitas. Timor ille pœnam habet, quia cruciat, perturbat, pugnando cum affectu ſerviendi concupiſcentiæ; Charitas autem quietat, ejiciendo illam perturbationem, ſique ad gradum perveniat puri amoris, expellit etiam timorem pœnæ, ùt habet S. Th. q. 19. a. 8. ad 2. Audiatur S. Auguſt. Epiſt. 120. cap. 21. *Timor,* inquit, *non eſt in charitate, quia perfecta charitas foràs mittit timorem, ſed illum ſervilem; hunc charitas foras mittit, quem delectat iniquitas; etiamſi proponatur impunitas.*

86. *Quis operetur ùt ſervus, vel Mercenarius?* *Dices*, 3. Qui operatur ex timore pœnæ, operatur ùt ſervus, & qui ex ſpe præmii, ùt Mercenarius: atqui hæc non ſtant cum actu charitatis; ergo. Reſp. Qui operatur ſimul ex amore benevolo, & filiali operatur primariò ùt amicus, & ſecundariò ùt ſervus, & mercenarius: is enim non amat niſi Deum, ad quem ſe ordinat Spe, & Charitate velut duplici alâ elevatus. Hinc Trid. Seſſ. 6. cap. 16. ait: bene operantibus proponenda eſſe præmia vitæ æternæ, nec ideo Mercenarii erunt, præſertim ſi ſimul operantur ex benevolo Dei amore: Mercenarius enim, juxta S. Th. q. 19. a. 4. ad 3. eſt, qui operatur propter bona temporalia ſine amore Dei benevolo: vel qui operatur propter bona, quæ pereunt præmianti; non verò qui operatur propter finem ſuum ultimum, in quem tendere debet, bonumque, quod Deo præmianti non perit.

Dices

Dices 4. Poteſt quidem ſtare cum actu charitatis juſtificante timor, & ſpes in diverſis actibus, ſed non in eodem. Reſp. Inane effugium: nam homo erga Deum eodem modo ſe habet per actum unum, qui ſit Spei & Charitatis, quo ſe habet per actus Spei & Charitatis diſtinctos, ut patet; ſi ergo in uno caſu ſit ritè diſpoſitus, erit & in altero.

CAPUT III.

De Præcepto Charitatis.

Certum eſt, quòd actus Charitatis ſit neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem extra Sacramentum conſequendam neceſſarius, quodque ad eum aliàs quoque per accidens ſit obligatio, dubium non fuit: putarunt tamen aliqui relati in Analyſi N. 77. non eſſe obligationem vi præcepti ſpecialis: de quo hic, & ejus obligatione agendum.

QUÆSTIO I.

An detur præceptum ſpeciale Charitatis, per ſe obligans, & quando obliget, tum per ſe, tum per accidens?

Reſp. 1mò. Datur ſpeciale Charitatis præceptum, per ſe, ſeu ex honeſtate illi propria graviter obligans ad amandum Deum amore benevolentiæ efficaci, appretiativè ſuper omnia, propter ſe. Conſtat ex Scriptura Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 10. dicente: *Dili-* 87. *Præceptum ſpeciale Charitatis.*

ges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et ratio eſt, quia dilectio Dei ſuper omnia propter ſe, utpote honeſtiſſima, creaturam rationalem maximè decet, eſtque neceſſaria ad honeſtè vivendum. Neque à Deo alio fine homo creari potuit, quàm ut eum agnoſcat, revereatur, colat, & diligat: proinde præceptum etiam naturale eſt, & neceſſarium, cumque materia ſit graviſſima, graviter obligat. Neque Chriſtus apud S. Joan. dicens: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*: illud præceptum excludit; cùm Matthæi 22. dicat, hoc eſſe maximum; ſed ſignificare voluit, quòd obſervantia mandatorum ſit ſignum dilectionis Dei.

88. Reſp. 2. Hoc præceptum per ſe obligat 1mò. Quando homo uſum rationis adeptus, habet ſufficientem notitiam Dei, ùt infinitè propter ſe amabilis ſuper omnia, obligationiſque ejus & modi. Ratio eſt, quia recta ratio dictat, tum Deum eſſe propter ſe ſuper omnia diligendum, omniaque in eum, tanquam finem cui ultimum, referenda eſſe. Unde quando dicitur, quòd obliget 1mo inſtanti uſûs rationis, hoc eſt intelligendum moraliter, ità ut non eo ſtatim inſtanti quis teneatur actum elicere, ſed ut non diu differat: neque ità, ut teneatur ſtatim, atque adeptus eſt uſum rationis ſufficientem ad peccatum mortale: quia moraliter eſt impoſſibile, ut homo primo inſtanti uſûs rationis habeat ſufficientem notitiam objecti, naturæ & obligationis, amoris Dei ſuper omnia propter ſe: eſt enim hic actus præſtantiſſimus, quem rudes vix percipiunt, poſtquam diu ſunt inſtructi. Et quis noſtrûm meminit, ſibi ſub initium uſûs rationis

Obligat ſæpe per ſe.

nis

nis occurriſſe obligationem diligendi jam Deum ſuper omnia propter ſe ? 2. Per ſe obligat in articulo & periculo proximo mortis; cùm enim tunc homo juditetur reverſurus ad Deum ſuum, à quo creatus eſt, ut æterno amore cum illo conjungatur; æquum eſt, ut per amorem perfectum ad illum ſe referat, cui æterno amore in cœlo conjungi deſiderat. Accedit, quòd homo incertus ſit, an ſit ritè baptizatus, ritè abſolutus; ergo tenetur medium facile, & ſecuriſſimum adhibere. 3. Per ſe obligat & aliàs ſæpius in vita: exigit enim id ſumma Dei dignitas, & rectus naturæ ordo; neglectuſque amoris Dei ad longum tempus argueret aliquem contemptum Dei, ad ſui amorem tot hominem beneficiis provocantis. Unde Deut. 6. poſtquam dictum eſſet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Subditur: *Eruntque verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens & conſurgens.* Dixi: *Sæpius in vita*: Nam quoties determinatè ſit obligatio, adhuc incertum eſt. Certum eſt ex declaratione Eccleſiæ, quòd non ſufficiat ſemel in vita; aut dum tenemur juſtificari, & aliam viam non habemus: nec tantùm intra quinquennia ſingula teneamur ex vi præcepti Charitatis actum dilectionis elicere: imò nec videtur ei ſatisfacere, qui per annum eum negligeret.

Reſp. 3. Præceptum dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe obligat per accidens 1mò. Quando actus Charitatis hìc & nunc judicatur neceſſarius ad vincendam gravem tentationem 89. *Quandoque per accidens.*

nem. 2. Quando hic & nunc aliud præceptum ſine eo ſervari non poteſt, ùt ſi Sacerdos exiſtens in mortali, & copiam Confeſſarii non habens, teneretur celebrare Miſſam, vel Sacramentum adminiſtrare: tunc enim teneretur ad perfectam contritionem. 3. Per accidens tenemur non diu differre actum Charitatis; quia alia præcepta ſine ea diu ſervari non poſſunt omnia; attamen ſic eliciendo dilectionis actum etiam ſatisfit præcepto, per ſe obliganti.

QUÆSTIO II.

Ad quid præceptum Charitatis Dei univerſim obliget, & quomodo in hac vita impleri poſſit?

90. *Obligat ad fugienda peccata.* Certum eſt, quòd obliget non ſolùm ad actum dilectionis Dei ſæpius eliciendum in hac vita, vitandumque odium Dei, & peccata illius actibus ſpecialiter oppoſita; ſed etiam ad fugiendum quodcunque peccatum mortale: nam licèt præcepta aliarum virtutum ex ſpeciali honeſtate peccata prohibeant ſibi oppoſita; omne tamen mortale repugnat Charitati: quia eſt totalis receſſus à Deo, renuntiatioque amicitiæ ejus. Quæritur hìc 1mò, an omnes actiones noſtras teneamur ponere ex motivo, ſeu affectu dilectionis Dei ſuper omnia? Ratiò dubitandi videri poteſt: quia Deut. 6. Matth. 22. Luc. 10. Marci 12. jubemur Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ mente, ex totis viribus, ex tota fortitudine, ex tota virtute. 2. An poſſimus perfectè in hac vita legem Charitatis implere? negat

negat enim id S. Aug. L. de Spiritu & Literâ cap. ultimo. 3. Quomodo, & à quibus facilè impleri poſſit?

Reſp. 1. Non tenemur, omnes omninò actiones ſingulatim ex motivo, vel affectu perfectæ charitatis ponere, ſed ſufficit, quòd operemur ex motivo honeſto: dumque Præceptum charitatis per ſe, vel per accidens obligat, eliciamus actum perfectæ charitatis, omniaque tum generatim referamus in Deum, & maneamus in habituali dilectione ejus. Conſtat ex declaratione Eccleſiæ: nam Alexander VIII. damnavit hanc Baji 10mam: *Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum merè, ut cœleſtem gloriam obtineat, non eſt recta, nec placens Deo.* Et hanc 11mam: *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* Et ratio eſt: quia actus procedentes ex motivo honeſto aliarum virtutum, ſunt boni (ùt evidens eſt) & laudabiles; ſunt inchoata Dei dilectio, noſque, præſertim, ſi ſupernaturales ſint, in Deum ordinant, ſecundùm dicta n. 54. P. 1. 91.

Non tamen, ut omnia fiant ex charitate perfecta.

Nec obſtant verba præcepti: quia verba: *Ex tota anima, tota mente, &c.* adduntur ad majorem ejus energiam & impreſſionem; nihilque aliud exigunt, quàm ut Deum diligamus ex toto corde, id eſt, appretiativè ſuper omnia propter ſe; in ejus dilectione maneamus, moraliter perſeverante: dumque præceptum urget, omnia generatim referamus in Deum, parati ex amore benevolo ejus, omnibus potiùs carere, quàm ab illo recedere, nihil cogitare, loqui, agere, deſiderare, concupiſcere, quod ab illo ſeparet.

92. *Poteſt in hac vita im pleri ſecundùm ſenſum literalē.* Reſp. 2. Poteſt hoc Præceptum à nobis in hac vita impleri perfectè ſecundùm ſenſum literalem, non ſecundùm anagogicum: quia poſſumus Deum in hac vita diligere, quantum fert hìc conditio noſtra, ex toto corde, ſeu appretiativè ſuper omnia propter ſe, nullam partem cordis relinquentes diabolo, ſeu peccato mortali. Et hoc eſt præceptum implere ſecundùm ſenſum literalem: nam hoc tantùm præcipitur. Non poſſumus tamen Deum diligere amore Beatorum in Cœlo, qui eſt amoris noſtri præmium, & præcepti finis, perque amorem noſtrum ſignificatur futurus, ſubque Præceptum non cadit: quod non conſummabitur, niſi in Cœlis. Et hoc ſenſu intelligendus eſt S. Aug. de Spiritu & Literâ, dicens, hoc præceptum in hac vita à nobis compleri non poſſe: quia coronis ei hìc imponi non poteſt, quæ eſt amor beatificus. Eodem ſenſu dixit, non poſſe hìc à nobis impleri Præceptum: *Non concupiſces*; ſed nos eò tendere, ut in Cœlo impleatur, nempe ſecundùm ſenſum Anagogicum: nam ſecundùm ſenſum literalem præcipitur tantùm, ut prava deſideria conemur mortificare, & domare, eòque conari poſſumus in hac vita: ſecundùm Anagogicum verò ſenſum innuitur conatus, ut nulla in nobis ſint talia deſideria; quod non præcipitur, ut hìc impleatur, ſed præſentis luctæ erit merces in Cœlo.

93. *Et facilè à juſtis timoratis impleri poteſt.* Reſp. 3. Præcepto dilectionis Dei facilè ſatisfacient Fideles timorati, ſcientes eum elicere, & cum aliqua reflexione operantes; quia concomitanter eliciunt eam, favendo Deo ſuas perfectiones, gaudendo de illis, deque honore, qui illi exhibetur: optando, ut nullus eum offen-

offendat, omnes eum ament, colant, obſervent ejus mandata, operando bene, quia ſcitur Deo id placere, orando devotè, ut ſanctificetur nomen ejus, fiat ejus voluntas, &c. Ad hos actus ſæpè conari debemus, inquit Viva, ſed citra anxietatem; cùm vix poſſit accidere, ut vir timoratus Præcepto huic non abundè ſatisfaciat. Id quod maximè de iis verum eſt, qui ſunt in dilectione Dei habituali, ſeu antè habitâ, & non retractatâ. At peccatores, licèt poſſint habere actus Charitatis imperfectos, qui non apprecient Deum ſuper omnia, & non procedant ex motivo Charitatis in tota ſua latitudine, adeoque non excludant voluntatem omnem peccandi, non ità facilè tamen elicient actus perfectos, quibus Præcepto ſatisfaciant; v. g. poteſt quis ſibi complacere in bonitate Dei, poteſt deſiderare, ut ab omnibus honoretur, quia dignus eſt; orare, quia hoc ipſi placet: velle in futurum ſervire Deo, quia ipſe id meretur; abſque eo, quòd apprecier eum ſuper omnia, nuncque propter ipſum efficaciter velit vitare peccatum v. g. luxuriæ; poteſt velle vitare peccata graviſſima, v. g. odium Dei, & blaſphemiam, quin velit vitare minùs gravia. Ratio horum eſt: quia voluntas poteſt motivo, licèt de ſe univerſali, nolle moveri univerſaliter; ſed reſtrictè ſolùm, & pro ſua libertate adhærere uni objecto malo, quamvis ex motivo bonitatis divinæ recedat ab alio v. g. à mortali omni, non tamen ab omni veniali, &c. Sicut poteſt quis ex amore Dei velle dare eleëmoſynam, non tamen velle fieri Religioſus. An actus Charitatis inefficaces ſint ab habitu Charitatis, & ſupernaturales, controvertunt

AA.

AA. Viva de Fide d. 4. q. 3. concluſ. 3. tenet, cùm honeſti ſint, poſſe eſſe ſupernaturales, præſertim in juſtis. Vide La Croix de Pœnit. n. 758. Sed, quidquid ſit de hoc, per actus illos inefficaces Præcepto Charitatis non ſatisfit. Atque ex his patet, teneri Parentes, & Paſtores inſtruere, & docere ſuos modum eliciendi actus dilectionis Dei ſuper omnia.

QUÆSTIO III.

An detur Præceptum ſpeciale diligendi proximum actu etiam interno? quomodo, & ad quid obliget?

94. *Datur præceptum ſpeciale.* Reſp. 1. Datur præceptum ſpeciale, diligendi proximum actu non tantùm externo, ſed etiam interno, & amore benevolentiæ propter Deum, ſicut nos. Conſtat ex Matth. 22. Ubi, poſtquam dictum eſſet, Deum diligendum eſſe ex toto corde; hocque eſſe primum & maximum mandatum, additur: *Secundum ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Et 1. Joan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Dilectio autem eſt affectus voluntatis, quo volumus bonum perſonæ amatæ. Hinc Innocent. XI damnavit has Propoſitiones: Decimam: *Non tenemur diligere proximum actu interno & formali.* Undecimam: *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Ratio autem eſt: quia ſine actu interno dilectionis proximi nec pax, nec

nec juſtitia, nec debita conjunctio inter membra Reip. rationalis ſervari poteſt.

Dixi 1. *Præceptum ſpeciale*, id eſt, obligans ratione honeſtatis propriæ: dictat enim lumen naturale, honeſtum eſſe, proximo velle, quæ volumus nobis fieri; & ſervandam eſſe pacem & unionem inter membra Communitatis, quæ ſervari non poteſt ſine mutua dilectione.

Dixi 2. *Diligendi proximum*; quo nomine veniunt omnes, beatitudinis adhuc capaces, ſecundùm dicta, ſive amici ſint, ſive inimici, dicente Chriſto Matt. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos.* Proinde tenemur, nullo excepto, omnes illos diligere amore benevolentiæ in univerſali; in particulari verò determinatè aliquando hos, quibus hìc & nunc opitulari debemus, vel in quos odium deponi non poteſt, niſi in particulari actu interno diligantur.

Dixi 3. *Propter Deum*: hoc eſt, quia ad Deum pertinet, eſt imago ejus, eſt ab eo creatus, eſt redemptus, eſt capax Deum poſſidendi, amandi, glorificandi; quia id Deo, ſummo bono, & amato placet: atque ideo debemus illi favere, optare, procurare bonum: amare enim proximum propter propriam utilitatem actûs non eſt Charitatis proximi.

Dixi 4. *Sicut noſmetipſos*, id eſt, ſimili amore, ſeu vero, ſincero, ſolido; bona ipſi optando, & pro viribus, ubi opus fuerit, procurando, mala nolendo, & ubi opus fuerit, avertendo. Neque particula *Sicut* æqualitatem, ſed ſimilitudinem ſignificat: diciturque Præceptum de diligendo proximo ſimile, non æquale

æquale mandato de diligendo Deo : quia proximus ex eodem motivo , quo Deus diligendus eſt , eique favenda bona , quorum ad Dei gloriam capax eſt. Porrò dicitur : Diliges proximum , ſicut te ipſum ; & non dicitur: Diliges te & proximum : quia , licèt ex lege naturali teneamur nobis ipſis velle procurare bonum propter Deum, nos perficere , ut Deus per nos, & in nobis reſplendeat, & glorificetur; attamen, quia naturaliter inclinamur ad amandum nos , id neceſſe non erat in lege poſitiva exprimere. Quanquam & hoc ſatis exprimitur, dum jubemur , proximum diligere , ſicut noſmetipſos. Menſura dilectionis proximi datur à Chriſto Domino Matth. 7. dicente : Omnia , quæcunque vultis , ut vobis faciant homines, & vos facite illis, &c.

95. *Affirmativum ſæpè in vita obligat.* Reſp. 2. Hoc Præceptum, ùt affirmativum eſt , obligat ad actum internum dilectionis proximi ſæpiùs in vita eliciendum ; & ad exercendum externum , ſeu effectivum amorem , qui conſiſtit in opitulatione proximi tum ſpirituali, tum corporali , ſine quo actus internus proximum vix juvabit. Unde dicitur 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo , neque linguâ , ſed opere & veritate :* amare enim eſt velle bonum ; & facere, cùm potes ; proximi neceſſitatibus ſuccurrere , onera portare ; quorum occaſiones cùm ſint frequentes , moraliter impoſſibile eſt, ut , qui Chriſtianè vivit , huic Præcepto non ſatisfaciat : nam is habet animum ſuccurrendi proximo , ubi id neceſſarium erit , orat pro proximo , offenſas remittit , &c. Dumque Deum amat, favendo omne illi bonum ; ſaltem implicitè proximo vult ſalutem. Sicut dum proximum amat propter Deum, hoc ipſo Deum amat.

amat. Qui verò animo eſt inhumano, reflectere debet ad hanc obligationem: ſi enim diu differat hanc proximi dilectionem, per ſe loquendo, peccat mortaliter.

Reſp. 3. Ut verò hoc Præceptum negativum eſt, vetat pro quovis tempore omne odium, omneſque actus, amori benevolentiæ oppoſitos, ne ſcilicet proximo unquam velimus, optemus, inferamus malum ſpirituale; nec etiam temporale, ùt ipſius malum eſt, & ſine juſta cauſa: quod addo: quia ex juſta cauſa, & authoritate poteſt inferri malum temporale proximo ob bonum finem proportionatum, v.g. puniri poteſt à Superiore ſubditus emendationis causâ, aut à Judice ob crimina ex motivo Juſtitiæ. Nunquam autem licet odiſſe ullum hominem, etiam inimicum, ex diſplicentia perſonæ, ei optando malum, quatenus ipſi malum eſt, aut gaudendo de ejus malo, ùt malo ipſius, vel dolendo de ejus bono, ùt ejus bonum eſt. 96. *Negativum pro omni tempore*

Ex dictis reſolves 1. Tenemur inimicos ab oratione communi non excludere, ſed ùt beatitudinis capaces diligere, iis benefacere, ubi opus erit, etſi in odio contra nos perſiſtant. 2. Tenemur injuriam ab iis acceptam remittere, etſi id non petant; non tamen tenemur remittere ſatisfactionem, ſive in honore, ſive in pecunia. Imò poſſumus ad Judicem provocare, & accuſare de crimine, quando hoc probari poteſt, modò debito fine, & in debitis circumſtantiis fiat. 3. Tenemur ſincerè inimicis communia dilectionis ſigna & beneficia exhibere, quæ aliis ejuſdem conditionis & ſtatûs ſolemus exhibere, v.g. inimico civi, quæ civibus, conſanguineo, quæ conſanguineis, 97. *Corollaria.*

neis, pauperi, quæ pauperibus, ſubdito, quæ ſubditis fieri ſolent. Unde à favoribus, qui præſtantur Communitati, non ſunt excludendi, non privandi ſalutatione, ſi aliàs ſalutari ſolebant. Ad ſpecialia autem non tenemur, per ſe loquendo, niſi iis indigeant, aut ſcandalum aliàs ſequeretur. 4tò, Nunquam licet vindictam ſumere propriâ authoritate: illa enim tantùm ad Superiorem pertinet: unde eſſet uſurpatio alienæ poteſtatis, & injuria fieret proximo, in quem poteſtas non habetur. Vim tamen licet repellere.

QUÆSTIO IV.

An, & quando Charitas obliget ad correctionem proximi fraternam?

Actus externi charitatis. Actus externi Charitatis ſunt opera miſericordiæ tum ſpiritualia, tum corporalia, facta ex motivo charitatis. Spiritualia ſunt hæc: Ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, peccantes corrigere, conſolari mœſtos, offenſam remittere, ferre patienter injurias, pro ſalute proximi Deum orare. De quibus cùm nulla difficultas ſuperſit, exceptâ correctione peccantium, de hac hìc quæſtio eſt. Pro qua

98. *Correctio triplex.* *Nota.* Correctio delinquentis alia eſt judicialis, quæ fit authoritate publicâ, ordinata præcipuè ad bonum commune, eſtque actus Juſtitiæ vindicativæ; alia paterna, quâ Superior cum authoritate, abſque forma judicii, corripit delinquentem, ad eum emendandum, & tollendum ſcandalum. Alia fraterna, quæ eſt monitio proximi, ordinata ad ipſum revocan-

vocandum à peccato. De hac ſola hìc ſermo nobis eſt. Hoc notato.

Reſp. 1. Charitas lege tum naturali, tum divinâ obligat ſub mortali, per ſe loquendo, ad corrigendum proximum de quavis culpa lethali nòn emendatâ. *Ratio 1mæ partis eſt;* quia recta ratio dictat, à proximo mala eſſe avertenda: malum autem ejus maximum eſt peccatum; & licèt peccatum proximo ſit voluntarium; tamen charitas exigit, ut à mala voluntate eum revocemus, eſtque ex communi humana fragilitate in aliqua neceſſitate. *Ratio 2dæ partis eſt;* quia Eccleſiaſtici 19. dicitur: *Corripe proximum, ne fortè iteret.* Et Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum. Ratio 3tiæ partis eſt:* quia omne mortale affert mortem animæ: charitas autem obligat pro gravitate mali, ut illud à proximo avertamus. Dixi 1. *Per ſe loquendo:* quia per accidens ſæpè non obligat, ùt mox conſtabit. Dixi 2. *Ad corrigendum proximum de quavis culpa mortali:* ad corrigendum enim veniale proximi gravis obligatio non eſt, niſi per illud exponeretur certo periculo peccati mortalis, aut venialia vergerent in Ordinis Religioſi grave detrimentum, v.g. in diſſolutionem notabilem diſciplinæ: tunc enim Superior ſub mortali teneretur occurrere. Imò charitas privatum non obligat ſub veniali ad corrigendum proximi veniale, niſi facilè poſſit: quia talis obligatio eſſet nimis gravis, pacem turbaret; & potiùs obeſſet, quàm prodeſſet, ſi extenderet ſe ad corrigendum venialia paſſim occurrentia.

99. *Eſt obligatio pro gravi non emendato.*

100. *Conditiones ad id requiſitæ.*

Reſp. 2. Ut obliget charitas ad corrigendum proximum, debent adeſſe ſequentia, & ho-

horum uno deficiente non obligat ſaltem ad ſtatim corrigendum. 1mum eſt notitia moraliter certa, aut judicium prudens, illi æquivalens, de peccato proximi, aut periculo proximo peccandi: quia aliàs eſſet temeraria correctio, ad quam nemo tenetur, uti nec, per ſe loquendo, ad inquirendum, niſi ſit Superior; qui, cùm teneatur invigilare ſuis, & malis occurrere, tenetur inquirere, ſi adſit ſuſpicio vel dubium prudens. 2dum eſt neceſſitas proximi, qualis eſt, ſi ſit periculum probabile relabendi, vel permanendi, aut moriendi in peccato: ſi enim nulla ſit neceſſitas, non eſt obligatio ſuccurrendi. 3tium eſt ſpes probabilis emendationis: quia, deſperato fine, nemo tenetur ad medium inutile; eſſetque tunc correctio imprudens, ad quam non eſt obligatio, & finis legis tunc ceſſat. *Excipe*, niſi correctio neceſſaria ſit vel utilis ad tuendum honorem Dei, vel famam proximi, vel ſcandalum avertendum; ùt, ſi quis blaſphemaret, aut errores proferret, vel detraheret proximo: tunc enim tenetur quis corrigere, etſi nulla ſpes eſſet emendationis delinquentis; quia tenemur impedire injuriam Dei, & grave malum proximi, & non approbare aliena peccata: ſed tunc non eſt ſtrictè dicta correctio proximi peccantis; ſed alius actus charitatis Deo vel proximo debitus. Cæterùm non eſt omittenda correctio, licèt proximus putetur levi aliquâ triſtitiâ aut moleſtiâ afficiendus, aut ſtatim non ſperetur fructus; modò ſperetur decurſu temporis. 4tum eſt aptitudo corrigendi fructuosè, & alterius aptioris abſentia: ſi quis enim non ſit aptus ad corrigendum, fruſtraneus eſt conatus; ſi alius adſit aptior, proximus

ximus tuâ correctione non eget. Quòd ſi aptior nollet corrigere, & tu poſſes, tenereris. 5tum eſt occaſio & tempus opportunum: neque enim in omni occaſione ſperari fructus poteſt. Unde non ſtatim ſemper correptio facienda eſt, atque peccatum cognitum eſt; neque, ſi ſine tuo gravi incommodo extrinſeco non poſſis, modò ſalus proximi non periclitetur: huic enim damnum temporale poſthabendum eſt juxta ordinem charitatis, qui ſemper ſervandus eſt.

Hæ conditiones ſi adſint, corrigere proximum tenentur omnes, maximè tamen Superiores; ùt Parentes, Domini, Paſtores & Prælati ſuos ſubditos: nam hi, utpote authoritatem habentes, aptiores ſunt, tenenturque etiam ex officio; & debent pervigilare, quaſi rationem pro eorum animabus reddituri.

Quæres. Quid agendum, ſi dubitetur, an profutura ſit correctio? Reſp. Si non ſit obfutura, & dubitetur tantùm, an ſit profutura, facienda eſt: quia adeſt ſpes avertendi à proximo grave malum. Si autem dubitetur ſitne obfutura, vel profutura, omittenda eſt, ſi timor ſit gravis nocumenti ſpiritualis: quia, cùm correctio ordinetur ad emendationem, fieri non debet, cùm æquè imminet ruina proximi, ac emendatio ſperetur. *Excipe*, niſi peccator foret in extremis: tunc enim correctio tentanda eſt, ut, quoad poteſt, avertatur æterna damnatio ab eo. 101. *In dubio de fructu.*

Reſp. 3. Si fieri poſſit, facienda eſt correctio fraterna ſine detrimento famæ proximi, per ſe loquendo, aut, ſi fieri non poſſit ſine omni, facienda eſt cum minimo, quo poteſt: quia famam proximi ſine neceſſitate non licet lædere 102. *Parcendum famæ quoad poteſt.*

lædere. Unde hic ordo correctionis fraternæ à Chriſto præſcriptus eſt Matthæi 18, *Si peccaverit in te* (ſciente te) *frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos; quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*, id eſt, Superiori ſeu Prælato. Itaque, ſi ſecreta monitio videatur profutura, hæc præmittenda eſt, per ſe loquendo. Si ſufficiat adhibere unum teſtem, non licet adhibere duos. Si teſtes non ſufficiunt, res deferenda eſt ad illum Superiorem, qui poſſit corrigere, quod neque tu, neque teſtes potuerunt. Dixi: *Per ſe loquendo:* quia, cùm præceptum hujus ordinis ſervandi ſit affirmativum, non obligat ad eum ſervandum pro omni tempore; ſed prout charitas exigit, & recta ratio dictat. Sique quis, ùt poteſt, ſuo jure ceſſerit, correctio privata omitti poteſt, & deferri ad Superiorem, ùt patrem, delinquens ſecundùm dicenda.

103. *Corollaria.* Hinc 1. Quando peccatum proximi eſt publicum, aut proximè publicandum, deferendum ſtatim eſt ad Superiorem, ut ſcandalum corrigatur per punitionem, aut futuro occurratur: tunc enim ceſſat ratio ſervandi famam.

2. Idem faciendum, ſi peccatum, etſi occultum, cedat in damnum Communitatis; ùt proditio, hæreſis, falſificatio monetæ, aut in damnum tertii gravius, quàm diffamatio proximi: ùt ſi quis alteri machinaretur mortem, ad turpia ſollicitaret, nec iſta per ſecretam monitionem certò impediri poſſent. *Ratio eſt:* tum quia bonum commune præferendum eſt privato; tum quia ſecundùm ordinem charitatis præferri debet innocens nocenti voluntariè lædenti. Et hinc juxta multos, etſi dam-

damnum tertii eſſet tantùm æquale, aut ferè æquale, adhuc tibi præferendus eſſet: uti ſi grave damnum in bonis fortunæ aut famæ ei immineret; quia ſic ordo charitatis videtur poſtulare. P. La Croix hìc n. 317.

3. Si prudenter judicetur, non profutura ſecreta monitio; immediatè Superiori, ùt pati, denuntiari poteſt, & debet: quia bonum ſpirituale præferendum eſt bono famæ.

4. Si alter peccet publicè coram aliis, ſtatim corrigi poteſt, ſi correctio putetur profutura.

5. Si quis ſatisfactionem debitam tibi deneget, potes illam petere à Superiore, quia jure tuo uteris.

6. Si proximus ceſſit jure ſuo, quod habet, ne omiſsâ monitione ſecretâ ſui defectus & peccata denuntientur Superiori, poteſt immediatè Superiori denuntiari: quia ordo correctionis in favorem delinquentis conſtitutus eſt, ut conſulatur ejus famæ; cujus cùm dominus ſit, poteſt jure ad illam cedere, ſi non vergat in damnum aliorum. Hic tamen etiam cautelâ opus eſt: nam ſi delictum eſſet perfectè emendatum, nec periculum eſſet relapsûs, aut crederetur emendatio non obtinenda per Superiorem, aut ſaltem minùs commodè, quàm per ſecretam monitionem, ad Superiorem deferri non deberet; quia in primo caſu ſine cauſa læderetur ejus fama, cui pro illo caſu non renuntiavit: in ſecundo autem caſu fieret correctio minùs utilis cum læſione famæ, pro qua non ceſſit jure ad famam. Dein non debet delictum revelari pluribus Superioribus, quàm neceſſe ſit ad correctionem: nec Superior poteſt delictum aperire aliis, qui ad cor-

 rectio-

rectionem conferre, non poſſunt, aut neceſſariè non ſunt. Hinc

7. Peccat graviter, qui ex timore, ne proximus offendatur, vel ipſe inde leve detrimentum patiatur, aut ex pudore humano omittit correctionem proximi in re gravi, ubi putat profuturam.

8. Qui graviter violat ordinem correctionis, vel alium corripit, vel denuntiat non ex charitate, ut emendetur, ſed ex grávi odio, ut confundatur, ac deprimatur.

9. Prælati, Epiſcopi, Paſtores, Magiſtratus tenentur etiam cum ſuo incommodo impedire peccata tum publica, tum occulta: quia non tantùm ex charitate, ſed etiam ex juſtitia obligantur ad procurandum, tuendumque bonum commune.

10. Scrupuloſi ordinariè excuſantur à fraterna correctione facienda: quia aut nimiùm defatigantur, aut inepti ſunt; cùm per ſcrupulos impediatur neceſſaria diſcretio, & nimis angantur, an non ſit facienda correctio, aut hîc & nunc proximus ſit peccaturus. Propter ineptitudinem raró quoque tenentur inferiores corrigere majores.

11. Eſt obligatio corrigendi laborantem ignorantiâ graviter culpabili: quia hæc à peccato non excuſat. Idem dicendum, ſi ignorantia ſit inculpabilis circa jus naturæ, & ſperetur fructus; quia actio tunc eſt intrinſecè mala, Deoque diſplicens, & nata cauſare magna incommoda, ùt ſcandalum, habitum pravum, periculum peccandi formaliter, ubi ignorantia per dubium incidens, utì ſæpe fit, fiet culpabilis. Proinde talis ignorantia eſt non leve ſæpe malum proximi. Quòd ſi ignorantia

eſſet

eſſet circa medium ad ſalutem neceſſarium, omninò tollenda eſſet: ſi verò foret circa legem poſitivam divinam, exigeret quoque reverentia Legislatoris, ùt, ubi ſperatur fructus, poſſetque ſine gravi incommodo fieri correctio, ea adhiberetur. Idem dicunt multi, ſi foret ignorantia legis purè humanæ; quod tamen negant Valent. Navarr. & alii, ſi abſit ſcandalum, & non ſit ex officio, monendi obligatio, nec ignorantia ſit habitualis: quia proximus nihil tunc agit intrinſecè malum, nec eſt in ſtatu, ex quo malum illi timeri poſſit. Hoc caſu ſaltem non eſt obligatio monendi, ſi hoc fieri nequeat ſine gravi proximi rubore, vel incommodo. Hinc Gobat in experimentis t. 3. num. 343. imprudentiæ arguit eum, qui Sacerdotem ſtolæ oblitum monuit in Sacrificio ad Altare.

QUÆSTIO V.

An, & quando Charitas obliget ad Eleëmoſynam corporalem?

Nota 1. Eleëmoſyna eſt ſublevatio proximi miſeriæ, indigentiæ, vel neceſſitatis. Si fiat ex motivo miſericordiæ, eſt actus miſericordiæ; eſt verò actus charitatis, ſi ex hujus motivo fiat: & ex hoc procedens delet peccata, & liberat à morte, ùt dicitur Tobiæ cap. 9. Si ex alio motivo honeſto procedat, diſponit ad iſta. Opera autem, quibus ſubvenitur proximo, diverſa ſunt: ùt cibum dare eſurientibus, potum ſitientibus, veſtire nudos, captivos redimere, peregrinos hoſpitio ſuſcipere, mortuos ſepelire, viſitare infirmos, &c. 104. *Eleëmoſyna quid ſit?*

105. *Indigentia quotuplex?* *Nota* 2. Indigentia vel neceſſitas proximi corporalis, quæ ad corpus; & ſpiritualis, quæ ad animam pertinet, alia eſt extrema, aliæ gravis, alia communis. Corporalis extrema eſt, ex qua proximo imminet periculum mortis, vel mali æquivalentis, moraliter certò vel probabiliter ſecuturi, niſi ſuccurratur. Quòd ſi ſic immineat malum morti æquivalens in æſtimatione hominum, dicitur neceſſitas quaſi extrema. Gravis univerſaliter dicitur, quando quis ex defectu rerum neceſſariarum eſt in periculo incidendi in magnam miſeriam, quæ reddat vitam notabiliter moleſtam: vel ex qua imminet periculum notabilis damni. Communis eſt, quæ parit aliquod incommodum in neceſſariis ad vitam, vel ſtatum; non reddit tamen vitam nimis miſeram, vel molemleſtam, ſpectatâ conditione & ſtatu patientis. In tali ſunt plerique pauperes oſtiatim mendicantes. Neceſſitas extrema ſpiritualis eſt, cùm proximus verſatur in proximo periculo æternæ damnationis, vel non poteſt ſine ope noſtrâ ſibi providere de neceſſariis ad ſalutem. Gravis eſt, cùm non eſt quidem periculum proximum, & poteſt ſibi providere; ſed non ſine magna difficultate, niſi juvetur; aut incurrit graviſſimum periculum peccati gravis. Communis eſt, cui poteſt ipſe providere ſine magna difficultate. His notatis

106. *Eſt quãdoque obligatio gravis.* Reſp. 1. Ex præcepto tum naturali, tum poſitivo charitatis divino eſt obligatio ſub mortali aliquando dandi eleëmoſynam: quia ejus omiſſio ſæpe expellit charitatem, adeoque peccatum mortale eſt: nam 1mæ Joannis 3. dicitur: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere,*

bere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo Charitas Dei manet in eo? Et ratio eſt: quia tenemur proximum diligere, ſicut nos ipſos, adeoque juvare in neceſſitate. Sed quia nequit eſſe obligatio, niſi ſit facultas.

Nota. Bona temporalia eſſe in triplici claſſe: nam alia ſunt neceſſaria naturæ, ſeu vitæ; ea nimirum, ſine quibus non poteſt quis vitam ſuam & ſuorum conſervare: alia ſunt, neceſſaria ſtatui, ſine quibus non poteſt quis ſuam ſuorumque conditionem & ſtatum tueri; idque vel ſimpliciter, ità ut iis abdicatis ſtatu ſuo omninò excideret, vel ſecundùm quid, ità ut iis abdicatis non poſſit tueri decentiam ſui ſtatûs, Chriſtianæ modeſtiæ conformem: alia denique non ſunt neceſſaria, ſed ſuperflua vel vitæ, vel ſtatui, vel utrique. De neceſſariis ad ſtatum ſunt, quæ requiruntur ad ſuſtinenda onera familiæ, alendos famulos convenientes, liberos educandos, & in ſtatu honeſto in futurum juxta ſuam conditionem collocandos, ad honeſtas donationes, moderata cum amicis convivia, hoſpitalitatem. Item ad illum ſtatum conſervandum in quolibet caſu calamitoſo probabiliter futuro; ùt ſunt ſterilitas, bellum, morbus &c. Dico: Probabiliter; quia non eſt attendendum ad omnes caſus, qui poſſunt in futurum evenire: aliàs vix eſſet, qui haberet ſuperflua, ex quibus ad eleëmoſynam teneatur; quod falſum eſſe patet ex Damnata 12. ab Innocent. XI. Superflua enim ſunt ſtatui, quæ ad ſtatum præſentem commodè ſervandum non requiruntur, nullâ (ùt multi volunt contra alios probabiliter diſſentientes) habitâ ratione ſtatûs, quem quis probabiliter & proximè ſperat. Hoc notato

107. *Bona temporalia neceſſaria, vel ſuperflua.*

108. *Non eſt obligatio dandi ex neceſſariis vitæ.* Reſp. 2. Nemo tenetur ex bonis vitæ neceſſariis ſuccurrere privati indigentiæ corporali; quia quiſque poteſt, & ordinariè debet ſuam ſuorumque vitam præferre alienæ. Dixi *Privati*: quia ſi bonum publicum ex perſonæ alicujus conſervatione dependeret, illud bono proprio præferendum eſſet.

109. *Quid in neceſſitate extrema.* Reſp. 3. Ex Charitate quilibet tenetur proximo in extrema neceſſitate conſtituto ex ſuperfluis naturæ ſub mortali ſubvenire, etſi ſint neceſſaria ad ſtatûs decentiam. Ratio eſt: quia ordinata Charitas exigit, ut vitam proximi plus diligamus, quàm decentiam ſtatûs noſtri; imò & omnimodam integritatem: ſi tamen ad ſervandam vitam proximi, vel ſimili morti malum temporale avertendum deberet excidere omnino de ſtatu ſuo, ità ut æquè libenter eſſet facturus jacturam vitæ, probabiliter non teneretur: quia ad vitam etiam propriam ſervandam non tenetur quis conditionem duriſſimam, qualis foret illa, ſubire. Hinc docent Caſtrop. & Tamb. neminem teneri expendere ea, quibus expenſis valde notabiliter de ſtatu ſuo decideret: ut ſi ex nobili deberet fieri opifex, vel ex opifice mendicus: quia hæc æquiparantur morti. Imò negant teneri ad valde magnam ſummam v. g. ad ter mille aureos pro aliena vita, etſi de ſtatu ſuo non excideret: quia Charitas tantùm obligat, ad media neceſſaria ordinaria etiam vitæ propriæ; & expenſæ tales in æſtimatione morali pro utilitate Reip. ſunt pretioſiores vitâ privati. Dixi: *Tenetur ex Charitate*: nam ex communi, contra Cardenam, non eſt obligatio ex juſtitia, etſi exiſtens in extrema neceſſitate jus habeat ſibi ad vitam neceſ-

neceſſaria pro tunc ſubducendi. Imò ſi talis ſublevari ſufficienter poſſet per ſolum uſum rei v. g. equi, veſtis &c. ſufficit eam commodari; aut ſi habeat alibi bona, vel ſpem proximam habendi ſive ex hæreditate, ſive ex conveniente labore, ſatis eſt illi mutuare, aut vendere dilatâ ſolutione: quia talis non eſt abſolutè pauper, ſed tantùm hìc & nunc; ſecùs foret, ſi eſſet abſolutè pauper, & in extrema neceſſitate: quia ſaltem tunc eſt obligatio faciendi eleëmoſynam, quæ eſt donatio abſoluta ſine onere reſtituendi.

Reſp. 4. In gravi quoque neceſſitate proximi quiſque tenetur illi ſubvenire non tantùm ex bonis ſtatui ſuperfluis, ſed etiam ad integram ejus decentiam aliquo modo neceſſariis; modò tamen ipſi non immineat æquale damnum. Ratio eſt: quia Charitas exigit, ut gravem proximi miſeriam leviori noſtro incommodo præferamus; non tamen æquali: quia in caſu æquali ordinata Charitas incipit à ſuo ſubjecto. In primo caſu eſſet per ſe omiſſio diſſolutiva amicitiæ, non verò in ſecundo. 110. *Quid in gravi?*

Hoc à fortiori valet de neceſſitate gravi ſpirituali proximi; cùm nempe non poteſt ſine magna difficultate ſalutem conſequi, peccatum, vel ejus periculum vitare, niſi ei ſubveniatur, vel ſuppeditetur ſuſtentatio Sacerdotibus, qui in ſpiritualibus inſtruant.

Reſp. 5. Eſt quoque gravis obligatio aliquando faciendi eleëmoſynam de ſuperfluis vitæ & ſtatui, etiam in communi pauperum neceſſitate. Ratio eſt; quia præceptum faciendi eleëmoſynam tendit ſimpliciter ſine reſtrictione ad extremam vel gravem neceſſitatem. 111. *Et in neceſſitate communi.*

Imò

Imò hæc Chriſti verba : *Eſurivi, ſitivi, &c.* important communem etiam neceſſitatem : Eſuries enim & ſitis communibus pauperibus convenit. Idem ſignificant iſta 1. Tim 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe facilè tribuere, communicare &c.* Dein PP. docent ſimpliciter, divitibus ſuperflua eſſe pauperum : non quòd hi ſint Domini ſuperfluorum divitibus ; ſed quòd Deus hæc bona illis eâ lege dederit, ut ſuccurrant pauperibus ; adeoque ſit obligatio ex aliqua etiam juſtitia erga Deum. Demum Charitas obligat ad id , quod vellemus rationabiliter fieri nobis. Et aliàs pauperes inciderent in gravem , imò extremam neceſſitatem ; deberetque Reſp. ex bonis communibus totum onus ſuſtinere. Vide Analyſin N. 87. Ex his colliges

112. *Corollaria.* *1mò.* Peccant divites, qui tempore caritatis annonæ nihil de ſplendore ſtatûs ſui , lautitiâ menſæ, ornatu detrahentes ſinunt pauperes inediâ confici ; qui ex ſuperfluis nullatenus, aut non ſufficienter ſubveniunt neceſſitatibus communibus pauperum ; nec ſufficit dare poſt mortem : quia ante hanc urget præceptum, & proximus patitur.

2dò. Peccant Medici , Chirurgi , Advocati &c. qui pauperibus , egentibus eorum operâ, eam gratìs non impendunt ; quia eadem eſt ratio , quæ de pecunia , vel alimentis ſubminiſtrandis.

3tiò. Peccant Prælati , Parochi , Superioreſque alii , ſi, ubi eſt prudens ſuſpicio, non inquirant in ſpirituales & corporales ſuorum neceſſitates : quia ad hanc curam tenentur ex officio : imò & divites , qui in dubio de extrema, aut gravi neceſſitate proxi-

mi

mi non inquirunt : quia exponunt ſe periculo violandi præceptum.

4tò. Danda eſt tanta eleëmoſyna, quanta hìc & nunc ſufficit ad levandam proximi neceſſitatem gravem, vel extremam. Si alius ſit, qui faciat, tù non teneris; quia proximus tunc tuo ſubſidio non indiget. Quòd ſi alii non poſſint, aut nolint, teneris tu : Finis enim præcepti eſt ſublevatio proximi.

5tò. Eleëmoſyna facienda eſt ex propriis, quorum libera adminiſtratio habeatur. Satisfit autem Præcepto, etſi non ex motivo Charitatis, ſed miſericordiæ detur eleëmoſyna, quia obtinetur finis legis. Neque omnia, ad quæ Charitas obligat, ex ejus motivo ſunt neceſſariò præſtanda. Idem eſt de correctione fraterna.

CAPUT IV.

De Ordine Charitatis.

QUÆSTIO I.

An, & qualis Ordo Charitatis ſervari ex obligatione debeat?

Reſp. Ex præcepto Ordo in Charitate, ſeu 113.
dilectione ſervandus eſt. Ità communis om- *Ordo*
nium : nam in Cant. c. 2. dicit Sponſa : *Or ſervan-*
dinavit in me Charitatem. Et ratio eſt : quia *dus in-*
perſonæ diligendæ, & bona optanda, procu- *ter per-*
randa, mala avertenda ſunt inæqualia. Per- *ſonas, &*
ſonæ aliæ ſunt magìs, aliæ minùs nobis con- *bona.*
junctæ; recta autem ratio dictat, in his ordinem ſervandum eſſe. Qui proinde duplex eſt;

alter

alter bona, alter perſonas ſpectat. In perſonis debet quiſque 1mò amare Deum ſuper omnia ſaltem appretiativè, utpote principium, ac finem ultimum omnium rerum, ſummè bonum & perfectum, nobiſque meliorem, quàm nos ſimus nobis ipſi. 2. Seipſum in bonis neceſſariis: quia quiſque ſe 1mò tenetur ordinare ad Deum glorificandum, cùm ad hoc creatus ſit, & nemo tam ſit proximo conjunctus, quàm ſibi: 3. Cæteros proximos. In bonis debet quiſque amare magis, quæ præſtantiora ſunt, magiſque neceſſaria cæteris paribus ſecundùm dicenda. Primum autem locum in bonis obtinent ſpiritualia, & ſupernaturalia; qualia ſunt: animæ, gratiæ, virtutes, merita, æterna gloria. Secundùm bona naturalia corporis; ùt vita, integritas membrorum, ſanitas, &c. Tertium bona externa; ùt honor, fama, divitiæ, &c. Item bonum commune, ſeu totius eſt majus bono privati, utpote partis totius.

QUÆSTIO II.

In quibus quiſque teneatur ſe ipſum magis diligere quàm proximum, & contra?

114. *Se magis in ſpiritualibus neceſſariis.*

Reſp. 1. Tenetur quiſque ſe ſecundùm naturam ſpiritualem, ſeu in ſpiritualibus neceſſariis, & in iis, quæ pertinent ad obſervationem legis, peccatique vitationem magis diligere, quàm proximum, ſibique abſolutè loquendo magis procurare gratiam neceſſariam, & ſalutem, quàm alteri vel omnibus aliis. Ratio eſt 1. Quia amor, quo quis debet ſe amare

amare propter Deum, eſt regula & exemplar amoris proximi juxta illud Matthæi 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; Regula autem prior, & potior eſt, quàm regulatum. 2. Habitus Charitatis, reliquique ſupernaturales ordinantur imò ad bonum habentis, & conformantur naturæ: indidit autem Deus naturæ inclinationem, ut primò feratur in bonum commune, quod eſt Deus, & dein in ſuum bonum magis, quàm alterius. 3. Deus diligendus eſt ùt principium omnis boni, in quo fundatur dilectio Charitatis; homo autem ad ſe amandum inclinatur à Charitate, quatenus eſt capax illius boni, ſeu beatitudinis; ad amandum autem proximum, quatenus hic eſt ſocius in capacitate illius boni ſeu beatitudinis; ergò primariò inclinatur ad ſe amandum: quia ſibi eſt conjunctior per unitatem, quàm alteri per ſocietatem. Proinde ſicut unitas eſt potior, quàm unio; ſic quòd homo participare poſſit bonum divinum, eſt potior ratio diligendi, quàm quòd alius illi ſocietur in hac participatione. Et hinc amor, quo quis ſe diligit, eſt aliquid majus, quàm amor amicitiæ, quæ unionem ad alterum importat. Unitas, inquit S. Th. eſt principium unionis; amor, quo quis ſe diligit, eſt forma & radix amicitiæ. Ex quo non ſequitur, quòd homo magis debeat diligere ſe, quàm Deum: quia Deus eſt bonum commune omnium, & fontale principium eorum, qui beatitudinem participare poſſunt, quod eminet ſuper omne bonum creatum, privatum, & commune. Amor oritur ex amabili, Deus autem eſt 1mum amabile. Unde ex amore Dei oriri debet amor noſtrî propter Deum: ex amore

amore autem noſtri oritur etiam amor proximi, qui eſt principium particulare boni. *Ex his reſolves.*

115. *Corollaria.* 1. In nullo caſu licet peccare etiam venialiter pro ſalute etiam totius mundi : quia quisque ſe imò debet conformare voluntati divinæ, ſecundùm quam ejus gloria eſt promovenda. Eſtque Deo major à me gloria, ſi vitem peccara, quàm ſi peccando prodeſſem aliis : peccatum enim nunquam eſt ſecundùm rectam rationem eligibile, & per ſe non ordinatur ad bonum alterius.

2. Nemini licet curare alterius ſalutem neglectâ ſuâ.

3. Non licet tibi ſubire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, niſi periculum illud poſſis facere, & facias remotum, ut meritò confidas, te non lapſurum. An laudabile ſit omnia ſua bona opera & ſatisfactiones offerre pro animabus purgatorii, dubitatur. Negat Arriaga, quia velle Deum potiùs ab aliis, quàm à ſe maturiùs laudari, videtur repugnare perfectioni Charitatis, & amicitiæ. Affirmant Hautinus & alii : quia heroico actui Charitatis Deus non negabit remiſſionem pœnæ, quam per ſua opera, & ſatisfactiones deleviſſet.

4. Poteſt quis Proximo majora bona favere, & optare ſpiritualia, quàm ſibi, & de habitis gaudere, v. g. poſſum optare, ut omnes perfectiùs cognoſcant Deum, & ament, quàm ego: quia ſibi quis tenetur tantùm velle, & procurare ſalutem, & media ad illam neceſſaria ſine tamen vilipenſione majorum.

Reſp.

Reſp. 2. In neceſſitate corporali æquali licet ſibi potiùs providere, quàm alteri privato : quia nemo tenetur, cæteris paribus, magis diligere proximum, quàm ſe ipſum, imò quoad vitam, & bona ejus conſervationi neceſſaria, per ſe loquendo, teneris te ipſum magis diligere, quàm vitam proximi paris, vel inferioris ſecundùm ſe ſpectatam: quia ordinata Charitas inclinat magis, per ſe loquendo, ſubjectum ſuum ad ſuî conſervationem, quàm ad conſervationem alterius privati: ergo qui privati vitam ſuæ præfert, agit contra inclinationem & ordinem Charitatis, adeoque peccat; etſi juxta Suar. tantùm venialiter. Id tamen licitum eſſet ob aliud ſimul bonum præponderans, v. g. inſigne exercitium virtutis: ut ſi ſic ſalvares proximum, cujus vita foret ad augendam Dei gloriam, & animarum ſalutem magis proficua. Si poneres vitam tuam ad ſalvandum parentem, inſignem Benefactorem; quia ſic non amares alium plus, quàm te; ſed honeſtatem magnæ virtutis, quæ foret majus bonum, quàm vita tua temporalis. Dixi: *Quàm alteri privato:* quia in æquali neceſſitate Reip. non ſolùm bona fortunæ, ſed etiam vita exponenda eſſet, ſi ſine diſpendio ſalutis, & offensâ Dei fieri poſſit; bonumque commune, tanquam univerſalius, bono privato anteponendum eſt. Quòd ſi vita tua eſſet neceſſaria aliis, v. g. liberis, uxori, conſanguineis, non liceret tibi vitam exponere pro vita privati. 116. *Imò quandoque in temporalibus.*

Reſp. 3. Quiſque tenetur non ſolùm bona temporalia, ſed etiam vitam corporis exponere pro ſalute proximi in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituti. Ratio eſt; quia tunc bonum ſpirituale proximi prævalet tuo tempo- 117. *Niſi proximus in extrema*

 rali;

neceſſitate ſalutis animæ. tali ; neque aliâ viâ, ùt ſupponitur, hìc obtineri poteſt. Deinde tenemur proximum diligere, ſicùt nos ipſos : tenemur autem in tali caſu vitam noſtram corporalem potiùs profundere, quàm ſpiritualem animi. Hinc locum habet illud Joan. Epiſt. 1. cap. 3. *In hoc cognovimus Charitatem Dei : quia ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus animas pro fratribus ponere. Hinc reſolves*

118. *Corollaria.* 1mò. Quiſque tenetur cum vitæ ſuæ periculo baptizare infantem, ſi aliàs moriturus eſſet ſine Baptiſmo, nec alius adſit, qui juvare velit, & poſſit.

2. Si ſcires Petrum, in mortali exiſtentem, in ſomno occidendum; tenereris cum periculo vitæ impedire, ſi poſſes, & moraliter certus eſſes, poſtea à peccato liberandum.

3. Tenetur mater gravida, ubi de partu naturali deſperatur; ſectionem Cæſaream pati, ùt proles, quæ utero geſtatur, baptizetur, aliàs ſine Baptiſmo moritura; modò ſimul adſit ſpes probabilis incolumitatis matris, quam ſpem ſæpe adeſſe, probat Raynandus Tom. 14. c. 5. de ortu infantium per ſectionem Cæſaream.

4. Si quis te invaderet, cujus ictum tibi lethalem, non poſſes evadere, niſi eum occideres; non tenereris permittere, te occidi, ne alius in peccato moriatur, quia non adeſt extrema neceſſitas, ſed malitia. Idem tenet Caſtrop. ſi invaſor eſſet ebrius, vel phreneticus; quia non debes reputare, eum eſſe in mortali; in quo ſi eſt, neſcis, an ſit rediturus ad rationem, vel acturus pœnitentiam; & re ipsâ nimis durum eſſet, te ità morte ſubitaneâ non ſine periculo damnationis detrudi in æter-

æternitatem. Hinc docent multi apud La Croix N. 778. abſolutè poſſe talem, etiam rationis impotem occidi; ſi aliàs nequeas vitam ſervare tuam.

Reſp. 4. Si privatus ſit in gravi neceſſitate ſpirituàli conſtitutus, id eſt, ex qua ſine alieno auxilio non niſi gravi cum conatu, & difficulter liberare ſe poſſet; ſuadet quidem Charitas, ut illi cum periculo vitæ tuæ ſuccurras: quia cùm ſalus proximi multùm præponderet vitæ tuæ temporali, eſſet id eximiæ virtutis; non obligantur tamen ad id perſonæ privatæ; quia talis poteſt adhibitâ diligentiâ ſe ipſe juvare: adeoque non poteſt te obligare, ut cum tanto tuo incommodo illum eripias. Quanquam tenereris, ſi poſſès, cum levi tantùm tuo incommodo. Dixi 1. *Si privatus*: nam ſi communitas eſſet conſtituta in gravi neceſſitate ſpirituali, obligatio eſſet etiam cum periculo vitæ ſuccurrendi. Ità Suar. Lug. Azor, & alii: quia quando communitas eſt in gravi tali neceſſitate, aliqui ſunt in extrema, multique probabiliter peribunt; adeoque talis neceſſitas, communitatis non eſt minoris æſtimanda, quàm extrema privati. Utì ſi hæreſis ſpargeretur; ſi plebs careret Sacerdote in perſecutione, & aliunde eſſet expóſita gravibus periculis peccandi, & pereundi. Dixi 2. *Non obligantur tamen perſonæ privatæ*: nam Epiſcopi & Parochi: utpote obligati ex juſtitia, tenentur cum periculo vitæ ſuccurrere ſuis in gravi neceſſitate ſpirituali; niſi fortè vita Paſtoris foret pluribus neceſſaria, & ità communitas pateretur; ſi uni cum periculo vitæ ſuccurreretur. Notat autem Caſtrop. ut privatus teneatur exponere ſuam vitam, debere

119. *Quid, ſi ſit in neceſſitate tantùm gravi?*

eſſe certum moraliter, ſuum auxilium profuturum, & proximum illo indigere, eò quòd alius non adſit, qui ſuccurrat.

QUÆSTIO III.

An, & quis ex proximis juxta ordinem Charitatis magis diligendus ſit, quàm alter?

120. *Unus altero magis amandus.* Reſp. Tenemur unum ex proximis, manendo etiam in eadem neceſſitate, & eodem genere bonorum, magis diligere, quàm alterum. Ratio eſt: quia quantitas appretiativa Charitatis deſumenda eſt à majore proximi nobiſcum conjunctione, quantitas autem objectiva à majori bono à proximis poſſeſſo. Sicut ergo nos ipſos, cæteris paribus, tenemur, abſolutè loquendo, magis amare appretiativè, quàm alios; ità & magis nobis conjunctos præ minùs conjunctis: cùm Charitas noſtrî à nobis deſcendat in conjunctos. Jam verò alii aliis ſunt nobis magis conjuncti, & alii pluribus à Deo bonis ſunt ornati; adeoque objectivè magis amabiles. Hinc

121. *Corollaria.* *1mò.* Objectivè amore complacentiæ, & gaudii, & quandoque reverentiæ magis diligendi ſunt ſanctiores: quia ſunt conjunctiores Deo, & amabiliores. Unde favere debemus illis majorem gloriam, quia ſunt digniores.

2dò. Amore affectivo & beneficio in pari neceſſitate quoad bona ſpiritualia & temporalia præferendi ſunt ſanguine conjuncti pro majore conjunctione; quia Charitas inclinat ad amandum proximum ſecundùm conjunctio-

nem; Conjunctio autem ſanguinis eſt prior, firmior, & immobilior, utpote in natura fundata, quàm conjunctiones cæteræ; proinde priorem locum in dilectione poſtulat: neque enim ordo Charitatis invertit ordinem naturæ, ſed perficit. Poſt hos præ extraneis diligendi ſunt alii nobis conjuncti affinitate, amicitiâ, ſocietate, beneficentiâ ſecundùm diverſos gradus, & conjunctionem. Patria tamen, & Reſp. præferenda eſt parentibus: quia totum prævalet parti.

3tiò. Inter conſanguineos in extrema neceſſitate, ubi vita periclitatur, primum locum obtinet pater, & mater: quia non ſolùm ſunt ſanguine juncti, ſed etiam principium noſtrî eſſe, quod eſt fundamentum ad recipiendum ab aliis beneficia; quia autem pater eſt principalior hujus cauſa, hinc præferendus eſt matri, ubi ambo ſervari non poſſunt: Secundum locum obtinent filii juxta aliquos: quia ſunt aliquid patris; & effectus exigit influxum à cauſa ſua. Juxta aliquos uxor: quia eſt una caro cum viro, & principium filiorum: Tertium alii conſanguinei ſecundùm majoris, & propinquioris conjunctionis ordinem: Quartum alii conjuncti, ût affines, domeſtici, Cives. Quintum extranei, & inter hos Benefactores præferendi ſunt aliis; & in pari caſu cæteri digniores minùs dignis; ût fidelis infideli, perſona publica privatæ. Extra neceſſitatem extremam, ubi agitur de conſervatione proprii ſtatûs, uxor & liberi non emancipati ſecundùm multos præferendi ſunt parentibus. Caſtrop. putat, parentes eſſe præferendos in gravi neceſſitate uxori; non tamen liberis: quia parentum naturale obſequium eſt providere filiis.

Hoc intellige in pari neceſſitate, & cæteris paribus: nam extraneus in gravi neceſſitate ſpirituali præferendus eſt conſanguineo in gravi neceſſitate corporali conſtituto. Dein ſi frater vel propinquus graviter violaſſet jura fraternitatis, vel propinquitatis; præferri ſecluſo malo affectu poſſet illi amicus ſincerus, & fidelis; aut ſi pater tuus eſſet in te crudelis, mater benigna; poſſet hæc illi præferri.

Porrò licèt obligatio ſervandi hunc ordinem ex genere ſuo ſit gravis; poteſt tamen reſpectivè ad cognatos eſſe levis, quando eſt exiguus exceſſus.

122\. *Sacerdos ad & infantem baptizandum vocatus.* Ex his ſequitur, quòd Sacerdos vocatus ad infantem baptizandum, & moribundum abſolvendum, dum periculum par eſt in mora; teneatur ſuccurrere adulto moribundo; ſi adſit Laicus, qui Baptiſmum infanti conferre novit: ſi autem talis non adſit; debeat ſuccurrere infanti: quia adultus juvare ſe poteſt per contritionem; & fortè non eſt in mortali. Quòd ſi conſtaret, malè vixiſſe, & eſſe rudem, qui fortè neſciret elicere contritionem perfectam, videri poſſet præferendus adultus: quia infans probabiliſſimè ad infernum non veniet, nec Deum in æternum blaſphemabit. Spectanda tamen ſpes juvandi adultum.

CAPUT

CAPUT V.

De peccatis Charitati ſpecialiter oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint peccata Charitati ſpecialiter oppoſita?

Reſp, Peccata Charitati ſpecialiter oppoſita 123. ſunt, quæ illi directè opponuntur, id eſt: *Varia.* quæ ex modo tendendi, vel ex objecto opponuntur directè actibus Charitatis: talia ſunt odium Dei & proximi, acedia, invidia, diſcordia, contentio, rixa, ſchiſma, ſeditio, bellum, ſcandalum: ſicut enim diverſi ſunt actus Charitatis; ſic diverſa ſunt peccata, quæ eos excludunt. Actus Charitatis ſunt 1. Amor benevolus Dei & proximi; huic opponitur odium, & dira imprecatio. 2. Gaudium de bonis Dei,& proximi; illi opponitur acedia, & invidia. 3. Eſt pax, ſive conſenſio voluntatum; huic opponitur diſcordia, contentio, rixa, duellum, ſchiſma, ſeditio, bellum. 4. Eſt correctio fraterna, cui opponitur ſcandalum.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit odium Dei, & proximi, & quâle peccatum?

Nota. Sicut generatim triplex eſt dilectio; 124. nempe amor ſimplex, deſiderium, & gau- *Odium*

 dium; *triplex.*

dium ; ità triplex eſt odium. 1mum eſt abominationis , quo quis malum vel ſecundùm ſe , vel ſimul perſonam alterius, quatenus illius cauſam vel effectivam, vel ſubjectivam, averſatur, velut ſibi, aut alteri amato contrariam. 2dum eſt odium inimicitiæ ; quo quis ex perſonæ averſione illi deſiderat , optat malum, quatenus ipſi malum eſt. 3tium eſt gaudium vel triſtitia inimicitiæ ; eſtque affectus, quo quis ex averſione gaudet de alterius malo , quatenus ipſi malum eſt, aut dolet de ipſius bono , quatenus ipſi bonum eſt. Quòd ſi quis velit alteri malum non ex averſione perſonæ, non erit odium inimicitiæ. Hoc notato ·

125. *Odium Dei, & proximi quale peccatum?* Reſp. 1mò. Odium Dei eſt deliberata averſio à Deo , apprehenſo tanquam malo. Si ex averſione illa velit Deo malum , quia ipſi malum eſt, erit odium inimicitiæ : ſi autem eum averſetur præcisè ſecundùm ſe , vel ùt cauſam alicujus,ſibi, aut alteri amato, contrarii ; odium erit abominationis. Primum opponitur amori amicitiæ ; ſecundum amori ſimplici, aut concupiſcentiæ·

2. Odium proximi eſt deliberata à proximo averſio voluntaris. Si ex hac velit quis ipſi malum, quia ipſi malum eſt, erit odium inimicitiæ : idem eſt, ſi gaudeat de ipſius malo, quia ipſi malum eſt; aut doleat de ipſius bono, quia ipſi bonum eſt. Si averſetur proximum, quatenus cauſa eſt effectiva vel ſubjectiva alicujus, ſibi, vel alteri amato contrarii , erit odium abominationis : Et idem eſt, ſi gaudeat de ipſius malo, quatenus impeditivo talis effectûs , aut doleat de bono , quatenus illius effectus inductivo.

3. Odium inimicitiæ Dei eſt peccatum ex

toto

toto genere graviſſimum ; quia per ſe immediatè , directè , & formaliter avertit à Deo, & opponitur directè actui dilectionis Dei, qui eſt actus omnium præſtantiſſimus. Eſt quoque odium abominationis Dei peccatum ex toto genere ſuo mortale ; quia avertit à Deo, tamquam malitiæ , vel defectûs capaci , & averſione digno. Unde ſcelus graviſſimum eſt optare , ut Deus non eſſet , vel non eſſet omniſcius, omnipotens, juſtus &c. vel dolere de illius perfectionibus , aut gaudere de ejus offenſa. Imò mortale eſt omnis motus plenè deliberatus malæ affectionis erga Deum : ſi tamen affectus tantùm ferretur in adverſitatem , ſine reflexione ad Deum ; non foret odium Dei, ſed impatientia.

4. Odium inimicitiæ adversùs proximum eſt ex genere ſuo mortale : quia directè opponitur Charitati ; & poteſt eſſe circa materiam gravem ; non eſt tamen mortale ex toto genere ; ſed ex levitate materiæ veniale eſſe poteſt. Ut ſi ex levi diſplicentia proximo leve malum optetur : odium verò Dei levitatem non admittit ; cùm leviſſimum malum Deo optare, vel de eo gaudere ſit graviter Deo injurioſum ; quaſi in eo inveniatur ratio diſplicentiæ, careatque aliquâ perfectione. Odium verò abominationis contra proximum , ſi ſine juſta cauſa concipiatur , peccatum grave vel leve eſt , pro gravitate , vel levitate materiæ ; poteſt quoque omni culpâ vacare , & eſſe laudabile : ùt ſi procedat ex amore benevolentiæ erga Deum vel proximum , quem averſamur , aut alterum , ſalvo ordine Charitatis ſecundùm dicta de peccatis N. 392. ùt imò , ſi oderis peccatorem , quà talem , averſando peccata,

çata, ùt ejus, vel Dei mala, optes illi malum phyſicum, ne pergat peccare, & pereat; gaudeas de illius adverſis, quia ſic ſe corriget. 2. Si optes victoriam de hoſtibus in bello contra illos juſto, ob ingens bonum juſtum tuæ communitatis vel Eccleſiæ. 3. Si optes malefactori pœnam promeritam à judice infligendam, ut ille, vel alii coërceantur: quia hoc eſt in bonum communitatis, & jura Innocentum læſa reparantur. Cæterùm nunquam licet alteri optare malum, quia ipſi malum eſt; nec optare gravius malum, quàm ſit bonum inde proventurum. Unde non licet deſiderare mortem patris, vel de ea gaudere ob hæreditatem, aut ingentes divitias inde conſecutas. De maledictione, ſeu dira precatione vide in Neo-Conf. à N. 91.

QUÆSTIO III.

Quid ſit acedia, invidia, diſcordia, contentio, ſchiſma, ſeditio, bellum, rixa, ſuſurratio, duellum?

126. *Acedia.* Reſp. Acedia ſpecialiter oppoſita Charitati eſt triſtitia de bono Dei, quatenus bonum Dei, teporem circa illud inducens: Ut ſi quis triſtetur de lege Dei naturali, vel quòd ſub pœna damnationis teneatur in Deum tendere, quòd creatus ſit ad Deum colendum. Hæc eſt peccatum ex toto genere ſuo mortale: quia directè opponitur Charitati. Vide in Neo-Conf. ubi N. 95. dixi, Acediam generalem eſſe quodvis tædium vel animi remiſſionem in exercitio virtutum ob moleſtiam illis adjunctam.

Hæc

Hæc eſt tantùm veniale; niſi ex ea omittantur ſub gravi obligatione facienda.

2. Invidia eſt inordinata triſtitia, vel dolor animi, quo de bono alterius dolemus; eò quòd apprehendamus, excellentiæ vel æſtimationi noſtræ inde derogari. Hæc repugnat charitati, vi cujus tenemur, proximo favere bona juſtè poſſeſſa; eſtque peccatum grave vel leve pro quantitate materiæ. Vide Neo-Confeſſ. num. 75. *Invidia.*

3. Diſcordia eſt diſſenſio voluntatis à voluntate alterius in iis, quæ quis tenetur velle ex charitate Dei vel proximi: opponitur charitati, cujus eſt unire voluntates in honeſtis. Poteſt eſſe veniale in materia levi. *Diſcordia.*

4. Contentio eſt altercatio verborum, quibus inordinatè quis alteri contradicit. Eſt peccatum grave, ſi materia ſit gravis, v. g. ſi ſeriò veritas Fidei impugnetur. Leve, per ſe loquendo, ſi materia ſit levis, aut inordinatio ſit ſolùm in modo, ut, ſi nimiâ acrimoniâ cum clamore contradicatur. *Contentio.*

5. Schiſma eſt voluntaria ſuî ſubtractio ab unitate Eccleſiæ, nolentis cum cæteris membris communicare quoad ſubjectionem ad Summum Pontificem, quem Caput Eccleſiæ agnoſcit, & confitetur. Quòd ſi ſimul aliquam veritatem Fidei negaret, eſſet ſimul hæreſis. Eſt autem peccatum valde grave, oppoſitum unioni charitatis, & paci. *Schiſma.*

6. Seditio eſt bellum aggreſſivum, quo una pars Reipublicæ contra aliam injuſtè aſſurgit. Idem eſt, ſi aſſurgat injuſtè contra Principem; tunc tamen rebellio dicitur. *Seditio.*

7. Bellum eſt pugna externa inter Principes vel Reſpp. Quòd ſi ſuas conditiones habeat *Bellum.*

beat requiſitas, juſtum eſt; ſique debitâ intentione fiat, per ſe peccatum non eſt. Secus charitati & juſtitiæ repugnare poteſt. De quo 3. p. à n. 382.

Rixa. 8. Rixa eſt pugna manuum & verborum inter privatos, cùm ſcilicet ex ira unus alterum privatum injuſtè invadit. Eſt peccatum tantùm injuſti invaſoris; non verò juſtè ſe defendentis.

Suſurratio. 9. Suſurratio eſt occulta oblocutio contra proximum, nata diſſolvere amicitiam inter amicos. Adjunctam ſæpe habet detractionem aut contumeliam. Eſt peccatum detractione gravius ſecundùm ſe; quia amicitiam, quæ eſt bonum, quàm fama, præſtantius, diſſolvit.

Duellũ. 10. Duellum eſt duorum, vel etiam plurium certamen privatum, quod ex condicto ſuſcipitur. De hoc plura p. 3. à n. 377.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex ſit ſcandalum, & quale peccatum?

127. *Definitio.* Reſp. 1. Scandalum eſt ruina ſpiritualis activa vel paſſiva proximi: unde aliud eſt activum, aliud paſſivum. Scandalum activum eſt dictum vel factum minùs rectum, aut externa omiſſio, alteri præbens occaſionem ruinæ ſpiritualis, id eſt, peccati ſeu venialis, ſeu lethalis probabiliter futuri. Scandalum autem paſſivum eſt ipſum peccatum proximi, ſuo modo cauſatum à tali dicto, vel facto, aut omiſſione dicti, vel facti. Dixi 1. *Minùs rectum;* hoc eſt, quod vel malum eſt; ùt, ſi loquaris turpia cotam adoleſcentibus, vel ſpeciem mali habet,

habet ; ùt, ſi quis domi ſuæ aleret mulierem ſuſpectam, etſi cum ea nec peccaret, nec in periculo peccandi eſſet ; aut juſta de cauſa die vetito comederet carnes coram aliis eam ignorantibus. Dixi 2. *Præbens alteri occaſionem peccati ;* id eſt, aptum movere alterum, coram quo loqueris, vel, qui tuum factum audiet, ad peccatum. Unde, per ſe loquendo, activum ſcandalum non eſt, ſi facias opus bonum, ex quo alter ſuâ malitiâ ſumet occaſionem peccati. Dixi 3. *Omiſſio* : nam, qui omittit loqui, vel agere, quod debet, eſt aliis ſcandalo. Dixi 4. *Peccati probabiliter futuri ;* tum quia, ut reus ſis ſcandali, non eſt neceſſe, ut peccatum proximi re ipsâ ſequatur ; ſed ſatis eſt, quòd ex tua actione vel omiſſione ſequi probabiliter poſſit : ſic enim illi creas probabile periculum peccati ; & quòd peccatum non ſequatur, per te non ſtat, ſed per ipſum ; tum quia ; quando ſcis, alios eſſe tales, ut tuo opere, vel dictis malis non moveantur ad peccatum, aut ejus periculum, ſcandalum non committis : ùt fieret, ſi eſſent tam probi & prudentes, ut nullum iis eſſet periculum inde peccati, v. g. ſi coram ſolis Religioſis in verba blaſphema erumperes. Qui verò peccat publicè, reus eſt ſcandali ; quia exponit ſe periculo multos ſuo exemplo excitandi ad peccatum.

Hinc ſcandalum committi poteſt juſſione, conſilio, conſenſu, auxilio, irritatione, laudatione, adulatione, reticentiâ, vel permiſſione, & culpæ alienæ defenſione.

128. *Diviſio ſcandali & utriuſque.*

Reſp. 2. Scandalum activum aliud eſt directum, cùm directè intenditur peccatum proximi, vel quia ipſi malum ſpirituale eſt ; & dicitur

dicitur ſcandalum formaliter directum: vel intenditur, non quia ipſi malum eſt, ſed propter voluptatem aut utilitatem propriam, vel alterius; & dicitur materialiter directum. Aliud indirectum, quando proximi peccatum directè non intenditur; fit tamen, aut dicitur, vel omittitur aliquid contra legem, ex quo prævidetur peccatum proximi probabiliter ſecuturum. Scandalum paſſivum aliud eſt ſcandalum datum, nempe peccatum, quod proximus occaſione operis, vel ſermonis inductivi ad peccatum committit, aliud merè acceptum; eſtque peccatum, quod alius committit ex ſua malitia occaſione operis noſtri boni: dicitur hoc etiam Phariſaicum; quia Phariſæi ex ſanctiſſimis Chriſti factis & dictis merâ ſuâ ex malitiâ ſumebant occaſionem peccandi; aliud puſillorum, ſeu infirmorum, quando alter peccat ex ignorantia occaſione operis noſtri de ſe quidem liciti, ſpeciem tamen malitiæ habentis; uti, ſi habens licentiam in Quadrageſima veſcendi carnibus, iis veſcereris coram id ignorantibus, & eſſes occaſio peccati.

129. *Quando activũ ſit ſpeciale peccatũ?*

Reſp. 3. Scandalum activum eſt ſpeciale peccatum contra charitatem mortale vel veniale; continetque malitiam etiam illius peccati; cujus eſt inductio. *Ratio 1 mæ partis eſt;* quia ex lege charitatis tenemur proximum corrigere; ergo & cavere ejus ruinam à nobis cauſandam, Aliqui tenent, tunc ſolùm eſſe ſpeciale peccatum contra charitatem, ſi ruina proximi directè intendatur, ùt ejus malum: eò quòd tum ſolùm directè opponatur objecto formali, vel actui charitatis, cujus eſt velle bonum proximi, quia ipſi bonum eſt. Alii dicunt, eſſe ſpeciale peccatum contra charitatem,

tem, quando ruina proximi directè intenditur, etſi non ut ipſi mala; non verò, ſi indirectè tantùm. Sed quæſtio eſt de modo loquendi: certum enim eſt, quòd per ſcandalum etiam indirectum proximi ruina ſit voluntaria, & intenta interpretativè & indirectè: Lex autem charitatis prohibet etiam indirectè intendere ruinam proximi; adeoque etiam tunc contrahitur malitia oppoſita charitati in confeſſione explicanda juxta omnes. *Ratio 2dæ partis eſt;* quia, qui inducit proximum in peccatum mortale, vel ejus probabili periculo contra legem charitatis exponit, utique hanc violat graviter: qui verò inducit, vel occaſio eſt levis tantùm peccati, regulariter malitiam ſcandali tantùm levem contrahit. Hinc fieri poteſt, ut peccans mortaliter, proximum ſcandalizet tantùm venialiter; ſi nempe periculo mortalis non exponat, & ſit tantùm cauſa venialis; & viciſſim fieri poteſt, ut peccans venialiter vi materiæ, ſcandalizet proximum graviter; ſicque actio ejus venialis fiat in ratione ſcandali mortalis.

Dixi: *Regulariter*: nam, qui proximum induceret in veniale, quia Deo diſplicet, utique peccaret graviter. An peccet graviter, qui eum induceret in veniale, quia ipſi malum ſpirituale eſt, dubium eſt. Affirmant Vaſq. Con. Platelius P. 2. n. 185. & alii. Negant probabiliter Sanch in Decalogum l. 1. cap. 6. n. 10. Lug. de Juſtitia d. 9. n. 18. Quia hoc malum in genere ſuo cenſetur leve, facilè reparabile; nec omnia venialia cum auxiliis ordinariis vitari moraliter poſſunt. Hinc inductus non videtur poſſe eſſe graviter invitus, niſi eſſet perfectioni valde deditus, qui non

ſoleret

ſoleret deliberatè peccare venialiter : hic enim de excellenti gradu dejiceretur meritò graviter invitus, ſi ex odio vel dolo id fieret. *Ratio 3tia partis eſt* : quia omnis virtus obligat, ut non procuremus etiam in alio ejus violationem : ergo inductio ad peccatum continet malitiam peccati, ad quod fit inductio. Dein alterius peccatum, ad quod quis inducit, eſt inducenti directè voluntarium ; ergo contrahit ejus malitiam. Denique hoc ipſo, quòd proximus habeat præceptum v.g. non furandi, jure naturæ in te reſultat obligatio Juſtitiæ, illum ad id non inducendi. Quòd ſi proximum ad peccatum directè non inducas, ſed tantùm prævideas ſecuturum ex tua actione ; dicunt quidem Leſſ. Hurt. Lugo, peccari tantùm contra charitatem, ſatiſque eſſe in Confeſſione dicere, quòd fueris cauſa gravis peccati alterius, tacendo, quòd fuerit in materia v. g. caſtitatis: quia caſtitas, & quævis virtus moralis non obligat, ut caveamus alienas prævaricationes circa illam ; ſed tantùm, ne poſitivè ad eas inducamus. Oppoſita tamen ſententia videtur probabilior : quia interpretativè vis alterius peccatum ; ergo contrahis ejus malitiam, in Confeſſione explicandam. Leſſii ſententia uſui eſſe poterit Confeſſario, quando ſpecies omnes difficulter explicari poſſunt. *Ex his reſolves ſeqq.*

130. *Corollaria.* 1. Qui alium per actionem graviter malam inducit ad peccatum grave, aut hujus occaſio fuit; tenetur in Confeſſione explicare tum ſuum peccatum, quo induxit, tum peccatum, ad quod induxit.

2. Qui plures ſcandalizavit, tenetur in Confeſſione exprimere numerum perſonarum, aut

ſaltem

ſaltem multitudinem, prout in illos ferebatur ejus cognitio; imò & quales perſonæ fuerint, ſi peccatum reſpectu illorum ex aliqua circumſtantia diverſam ſpeciem contrahat: ùt, ſi turpiloquio ſcandalizâſſet conjugatos, vel voto caſtitatis obſtrictos. Quòd ſi peccato publico ſcandalum dediſſet, teneretur & hoc addere: quia neſcit, quot ſuo exemplo ſint movendi.

3. Laudans alium ob peccatum, ab ipſo commiſſum, aut vituperans, quòd non commiſerit; tenetur explicare ſpeciem peccati, circa quod fuit laus, vel vituperium: quia laus & vituperium apta ſunt movere ad complacendum in peccato, & illud dein committendum.

4. Peccant mortaliter peccato ſcandali 1. Pingentes, vel exponentes ſtatuas, vel imagines valde obſcœnas: nam hæ æquè, aut etiam magis movent ad turpia, quàm ſermo; & tamen certum eſt, per hunc dari grave ſcandalum, ſi ſit valde obſcœnus. Nec excuſat, quòd uſus fortè ſit, ut exponantur tales imagines, artis oſtendendæ causâ: quia is eſt abuſus peſſimus, & ars, quando pernicioſa eſt Reipublicæ, perdit finem artis. 2. Qui ſcribunt, imprimunt, retinent, aliis tradunt libros amatorios, cantilenas turpes, &c. 3. Qui componunt, vel agunt comœdias obſcœnas ratione verborum, geſtorum, factorum. Item, qui ſuâ præſentiâ eas approbant, iis conſentiunt, & cooperantur, ſolvendo mercedem agentibus, alios animant ſuo exemplo, dando licentiam. *Ratio eſt:* quia ſic multi exponuntur periculo probabili delectationis turpis, &c. 4. Fœminæ, quæ geſtant pectus notabiliter denudatum; quia ſunt infirmis oc-

caſio ruinæ : nec excuſat conſuetudo , utpote contraria legi Dei. 5. Qui vexationibus alios inducunt ad blaſphemias, contumelias , graves imprecationes, &c. quia peccato cooperantur. 6. Parentes, ſi filios ſuos præcepta Eccleſiæ, quibus tenentur , non ſervantes, non corrigant, v. g. negando iis die Jejunii cœnam. Idem dic de heris, ſi famulos non moneant, v. g. ut ſervent Jejunium : cogere enim illos non teneri, cenſet Tamb. Putat tamen Sanch. Si ſperetur fructus, negandam eſſe aliquando cœnam. De hoc peccato rectè dixit Origenes in Epiſt. ad Rom. l. 2. c. 2. *Multi, ex hac vita abeuntes, malorum ſemina poſt ſe relinquunt , ex quibus, qui ſuperſunt homines , occaſiones perditionis accipiunt , quorum omnium cauſa non niſi cum ipſius mundi fine claudentur.*

QUÆSTIO V.

An , & quandonam ſit ſub peccato ſcandali obligatio, omittendi opus de ſe non malum , nec ſpeciem mali habens, quod prævidetur fore occaſio peccati proximo?

131. *Eſt obligatio, ubi deeſt juſta cauſa.* Reſp. Quotieſcunque nulla ratio neceſſitatis , vel utilitatis propriæ adeſt , vel alienæ, faciendi talis operis , ex quo putatur proximus accepturus occaſionem ruinæ ſpiritualis, ſive ex ignorantia , aut infirmitate , ſive ex malitia ; omittendum eſt illud opus ad impediendum ſcandalum paſſivum proximi ; quia, ſicut ex charitate proximi tenemur proximum avocare à peccato , & corrigere ; ità tenemur impedire ejus peccatum , omittendo dare occaſionem,

nem, quando ſine incommodo poſſumus. Econtra, ſi adſit cauſa neceſſitatis, vel opus ſine gravi incommodo noſtro, vel proximi omittere non poſſimus, nec differre; non eſt obligatio opus tale omittendi: quia, cùm tunc peccatum non ex noſtro opere; ſed ex prava alterius diſpoſitione ſequatur, juſque habeamus ad actiones noſtras; charitas, utpote ordinata, non obligat ad omittenda, quæ neceſſaria ſunt, aut ſine gravi incommodo omitti non poſſunt. Attendendum tamen hìc ad circumſtantias, & conſideranda magnitudo boni ex actione noſtra, vel omiſſione proventuri, & gravitas peccati per accidens inde in proximo ſecuturi, ut juſta cauſa determinetur. Quòd ſi talis actio differri ſine gravi incommodo poſſet, donec proximus moneatur, ne ſcandalizetur, differenda ad tempus eſſet. Hinc, ſi mulier ex ſuo conſpectu prævideret, alterum in particulari pro ſua infirmitate habiturum occaſionem gravis peccati; teneretur, ſi ſine ſuo gravi incommodo poſſet, ejus conſpectum vitare: ſecus, ſi ex ejus conſpectu, moderato ornatu fortè aliquis indeterminatus eſſet ſumpturus ſcandalum: quia jus habet ad prodeundum in publicum, ornatumque ſuo ſtatui convenientem; eſſetque contraria obligatio onus intolerabile.

Q 2 QUÆS-

QUÆSTIO VI.

An ſub peccato ſcandali ſit obligatio, aliquando omittendi opus bonum, ad ſcandalum paſſivum evitandum?

132. *Attendendũ, an opus ſit præceptum, & quâ lege?*

Reſp. 1. Sicut non licet ad vitandum ſcandalum paſſivum facere actionem lege naturæ prohibitam, utpote intrinſecè malam; ſic nec licet omittere actionem lege naturali præceptam in iis circumſtantiis, in quibus præceptum urget: quia & talis omiſſio eſt intrinſecè mala.

2. Non licet ideo omittere neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem: quia ſecundùm ordinem charitatis quiſque magis debet diligere ſuam ſalutem ſpiritualem, quàm alterius.

3. Nec ideo licet omittere opus bonum in detrimentum fidei, vel boni communis ſpiritualis: quia his cedere debet bonum privati.

4. Ad vitandum ſcandalum Phariſaicum, ſeu ex mera malitia oriturum, non eſt obligatio, opus bonum, etiam conſilii tantùm, omittendi: quia proximus tunc non eſt in neceſſitate; & aliàs quivis ſuâ malitiâ poſſet aliorum opera bona impedire. Præivit nobis in hoc Chriſtus Matthæi 15. qui ob Phariſæorum malitiam non omiſit agere cum peccatoribus.

5. Ad impediendum ſcandalum infirmorum, bona ſpiritualia, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſed vel ſunt tantùm de conſilio, vel ſaltem non neceſſariò hîc & nunc exequenda; debent occultari, vel differri aliquantulum, donec reddatur facti ratio. Sic voti ingre-

gredieṇdi Religionem executio differenda eſſet ſubinde, ſi parentes, vel cognati inde exponerentur periculo probabili lethalis peccati. Quòd ſi redditâ ratione juſtâ boni operis, pergerent proximi ſcandalizari, ſcandalum eſſet ex mera malitia; ceſſaretque obligatio ideo omittendi bona opera.

6. Quando opus eſt præceptum lege divinâ, vel humanâ merè poſitivâ; attendendum, quid, omnibus ſpectatis, ſit majus, & quodnam præceptum ſtrictiùs obliget, an de vitando ſcandalo, vel aliud. Sic, ſi Confeſſarius adverteret, pœnitentem non integrè confitentem v. g. peccata contra caſtitatem, ſi pluribus examinaretur, ſcandalizandum, teneretur omittere examen periculoſum. Similiter, ſi te die feſto ad Sacrum ituro excitanda eſſet cædes, vel gravis rixa, eundum non eſſet. Item, ſi mulier præyideret, ſuo aſpectu aliquem in particulari graviter ſcandalizandum eſſe, teneretur ſemel, aut iterum omittere Sacrum, etiam die feſto, ad impediendum ſcandalum: quia tunc præceptum de audiendo Sacro non obligat: non teneretur tamen ideo frequenter ſe privare bono ſuo ſpirituali. Illſung cenſet, etſi aliquando poſſit, nunquam tamen teneri. Caſtrop. & alii univerſaliter tenent, quòd præciſè ob ſcandalum nulla opera præcepta ſint neceſſariò omnino omittenda.

QUÆSTIO VII.

An liceat aliquando petere ab alio actionem, quâ putatur peccaturus?

133. *Attende, an poſſit ſine peccato ponı?* Reſp. Non licet petere ab alio abſolutè, quod facere non poteſt ſine peccato: ſi autem poſſit id ſine eo facere, ex juſta cauſa licet id ab eo petere; etſi ſciatur, ſine peccato non facturus. *Ratio 1mæ partis eſt:* quia petens ab alio actionem, ad eam movet; ergo, ſi fieri non poſſit abſque peccato, movet ad peccandum, & hinc peccat; etſi alter paratus eſſet ad peccatum, & abſque petitione facturus fuiſſet. Dixi *Abſolute:* nam, ſi alter determinatus fuiſſet ad peccandum, ſed adhuc indifferens ad majus & minus; poſſet diſſuaderi majus, & permitti minus, ſi utrumque impediri non poſſet ſecundùm dicenda. *Ratio 2dæ partis eſt:* quia, quando ex juſta cauſa petit, quod ſibi bonum eſt, & alter ſine peccato præſtare poteſt; ipſi imputandum eſt, ſi peccet: nam petens utitur jure ſuo; neque cum gravi incommodo tenetur abſtinere propter alterius malitiam. Hinc reſolves

134. *Corollaria.* 1. Peccat graviter, qui alterum die Jejunii invitat ad cœnam, etſi paratum ſciat ad frangendum Jejunium; quia petit, quod alter ſine peccato facere non poteſt.

2. Qui die feſto petit laborem ſervilem ab Hæreticis, quia hi tenentur legibus Eccleſiæ.

3. Qui alterum provocat ad hauſtus, unde prævidet inebriandum. Excuſant tamen per aliquos, ſi ex gràvi cauſa id faceret, & ebrietas futura eſſet tantùm materialis.

4. Qui

4. Qui extra neceſſitatem, vel gravem utilitatem petit Sacramentum ab excommunicato tolerato, aut ab impio Sacerdote.

5. Puella petens aut permittens illi oſculum, vel tactum obſcœnum, à quo ſcit, ſe amari turpiter: poſtremum enim ſine peccato fieri non poteſt; primum in iis circumſtantiis moraliter ſine peccato eſſe nequit.

6. Ex rationabili cauſa licet petere pecuniam mutuam ab uſurario; quia hanc ſine peccato & uſura poteſt mutuare.

QUÆSTIO VIII.

An liceat aliquando materialiter cooperari alterius peccato, ſubminiſtrando materiam, vel operam ſuam non malam?

Reſp. 1. Non licet præſtare operam ſuam vel rem aliquam, quæ in talibus circumſtantiis proximè ad alterius peccatum juvat, & ad illud determinatè ordinatur: quia talis cenſetur velle alterius peccatum in cauſa; adeoque cooperatur formaliter. Hinc peccat famulus ſcribens, vel deferens ad alterum literas directè tendentes ad peccatum, v. g. fornicationem, duellum, &c. quia per ſe proximè ejus actio ordinatur ad peccatum. Secus juxta Dianam & Tamb. eſt de eo, qui alterum determinatum ad peccatum navi veheret ad locum, ſi ſine gravi incommodo ſuo ei id negare non poſſet: quia remotè concurrit, & actio illa per ſe non ordinatur ad peccatum. Vide damnatam 15. ab Inn. XI. La Croix P. 2. n. 274. & Ana-

135. *Non licet cooperari proximè & formaliter.*

& Analyſin n, 92. Spectandæ enim ſunt circumſtantiæ.

136. *Ex juſta cauſa licet cooperari materialiter, & remotè.* Reſp. 2. Licet operam ſuam, vel rem de ſe licitam, & quæ per ſe ac proximè ad peccatum non concurrit, præbere abuſuro, ſi adſit juſta cauſa, deſitque intentio cooperandi illius peccato, nec alter ſit abuſurus contra bonum Eccleſiæ vel Reip. *Ratio eſt*: quia, quando res, vel actio nec ex intentione, nec per ſe, & proximè ordinatur ad peccatum alterius, adeſtque juſta cauſa; cenſeris tantùm permittere alterius peccatum; cùmque jus ad actionem tuam habeas, alter peccatum ſuum ſibi imputare debet. Hæc autem cauſa, ut juſta ſit, debet eſſe tantò gravior. 1. Quantò graviùs eſt peccatum, quod non impeditur, aut cujus occaſio datur. 2. Quantò probabiliùs alter aliàs peccaturus non eſſet. 3. Quantò propinquiùs tua operatio conferre poteſt, quantòque minùs juris habes ad eam. 4. Quantò magìs alterius peccatum cum juſtitia pugnat propter damnum tertii: ſtrictiùs enim tenemur impedire peccata, ex quibus innocens patitur. Gravior quoque cauſa requiritur, quando alter non eſt determinatus ad peccandum: quia gravius malum patitur occaſione actionis tuæ.

137. *Secus, ſi deſit cauſa juſta.* Reſp. 3. Quando non adeſt cauſa proportionata, non licet altori rem aut operam ſuam etiam indifferentem, & remotè ſolùm ad ipſius ruinam conferentem, vel quâ videtur abuſurus, præbere, donare, vendere, commodare. *Ratio eſt*: quia ex charitate tenemur proximum corrigere, revocare à peccato, quando ſine gravi incommodo poſſumus, multò magìs ei non præbere occaſionem. Ex his reſolves

1. Pec-

1. Peccant graviter caupones, qui ſecundam refectionem bene pranſis, vel carnes die Jejunii apponunt hoſpitibus, quos ſciunt, vel prudenter judicant, teneri præcepto hìc & nunc Jejunii; niſi fortè excuſet grave malum ex negatione oriturum. Secus, ſi apponant viris honeſtis petentibus, & neſciant, eos hìc & nunc ligari præcepto Jejunii; quia in dubio præſumendum eſt, eos excuſari, vel diſpenſationem habere. 138. *Corollaria.*

2. Qui præbent vinum iis, quos prævident, eſſe inebriandos; quia ſuppeditant materiam peccati, quod impedire deberent. Nec excuſat carentia lucri ex illo vino; quia tanti momenti non eſt. *Excipe*, niſi aliud grave damnum cogerentur ſubire, & ex negatione peccatum non eſſet impediendum; tunc enim, ſi damnum eſſet valde grave, peccatum permitti poſſet.

3. Peccat, per ſe loquendo, fœmina graviter, acceptans munera ab amaſio, ex malo fine largiente; etſi illa non conſentiat: quia fovet malum ejus amorem, ſpem relinquendo conſequendi, quod intendit. Item, qui vinum vendit alteri, quem novit, id revenditurum fraudulenter v. g. aquâ mixtum, niſi excuſet notabile damnum, eſſetque empturus ab aliis, id ignorantibus.

4. Peccat Notarius ſcribens contractum uſurarium; quia ex juramento tenetur non locare operam ſuam actibus injuſtis. Idem eſt de teſtibus, qui talem contractum firmant; non verò de famulo, qui uſurarium juvat in numerandis pecuniis, & ſcribit rationes, quæ non faciant ad fidem firmandam, & uſuras exigendas; quia hic ſe remotè habet, & mutuatarius non eſt invitus. Uti nec de eo, qui captâ injuſtè patriâ, ſecluſo ſcandalo, in officio ſuo

priore manens, ſcriberet quandoque decreta tyranni, quibus fierent exactiones: quia prior dominus non foret invitus; ſed mallet id fieri à priore ſuo miniſtro, ob ſpem avertendi damna.

5. Peccat Cuſtos Gabellæ ſe abſcondens, ut nauta præteriens, & eam negans puniatur: quia intendens pœnam, necdum contractam, intendit culpam. *Excipe*, niſi intenderet, ut ſemel deprehenſus fieret cautior, & vitarentur plura peccata: quia licet unum peccatum permittere, ut vitentur plura. Sic licet hero famulis, quos ad furandum propenſos novit, non auferre occaſionem, ut deprehenſi emendentur: probabiliter tamen non licet ideo illis aliquid objicere, ut, ſi id auferant, deprehenſi corrigantur; quia hoc eſſet poſitivè concurrere. Contra dicit tamen probabiliter Laym. quia peccatum illorum non intenditur, ſed emendatio.

6. Si dominus velit comedere carnes die eſuriali in contemptum præcepti Eccleſiaſtici, famulus eas coquens & porrigens, ſi id ſine gravi incommodo vitare non poſſit, non peccat, per ſe loquendo, quia actione famuli non contemnitur Eccleſia, ſed manducatione illâ, ad quam indifferenter ſe habet actio famuli ſi autem dominus præciperet in contemptum Eccleſiæ, vel jejunii ſibi apponi carnes, nec mortis metu famulo liceret apponere; quia operando ex præcepto ageret ſecundùm intentionem imperantis, adeoque in contemptum præcepti, vel jejunii.

7. Secluſo ſcandalo poteſt venator, vel auceps in Quadrageſima capere feras, vel aves, & vendere in terris Hæreticorum; quia actio illa remotè ſe habet ad violationem præcepti, &

& abſque eo illi non ſervabunt præceptum. La Croix l. 2. nu. 258. Similiter dicunt Burgh. & Arsdekin, ſi Catholicus haberet famulos hæreticos, volentes, ſibi apponi in Quadrageſima carnes, aliàs abituros, quos dimittere non poſſet ſine gravi detrimento familiæ, ſi abſit ſcandalum, poſſe iis carnes apponere : eò quòd hæc videatur tantùm eſſe permiſſio peccati : & pluribus locis, ubi Hæretici Catholicis permixti vivunt, hoc uſu receptum dicunt apud La Croix n. citato.

8. Juxta Sanch. Navarr. Leſſ. & alios non peccat, qui vendit ornamenta puellæ, quibus alios ſollicitabit ad peccatum : quia venditio eſt actio indifferens; ſique peccaret, eſſet ideo; quia peccatum non impediret; at non vendendo non impediet, quia vendent alii. Contradicunt aliqui, quia vendendo alii etiam peccant: per hoc autem ego non excuſor; ſicut non excuſarer alterius domum incendendo, etſi alter eſſet incenſurus alias. Sed in hoc diſparitas eſt: quia incenſio de ſe mala eſt; non venditio: Et alii ſaltem aliqui ſine peccato vendent, eò quòd periculum ignorent.

9. Quamvis non liceat præſtare alicui operam ſuam directè ad peccatum minus, vel hoc ſuadere, ut vitetur majus; quia hoc eſſet conſentire in peccatum minus, & in id moraliter influere; volenti tamen ex duobus peccatis inæqualibus committere unum, licet ſuadere, ut omittat majus, & permittere minus; modò fiat ſine injuria tertii, & ſine determinatione poſitivâ ad minus : nam volenti furari centum Paulo, non licet ſuadere, ut Petro furetur 50. quia Petrus jus habet ad ſuum minus, ſicut Paulus habet ad ſuum majus.

TRACTATUS II,

DE

Virtutibus moralibus tum in genere, tum in ſpecie de Prudentia, & fortitudine, Virtutibusque huic annexis,

CAPUT I.

De Virtutibus moralibus in genere, & de Prudentia, peccatisque huic oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Virtus moralis?

139. *Virtus moralis.* RESp. Virtus moralis eſt, quæ verſatur primariò circa actus honeſtos immediatè propter eorum honeſtatem; vel eſt Habitus inclinans ad actus honeſtos propter honeſtatem in iis relucentem. Honeſtum dicitur, quod eſt decens, decorum, ſeu congruit cuique juxta præſcriptum rationis per modum objecti, vel per modum operis, circa quod verſetur: aliud enim decet fœminam, aliud virum, aliud Regem, aliud ſubditum, aliud hominem, aliud patrem, aliud filium, aliud Angelum, aliud Deum,

Deum, aliud decet abſolutè, aliud ſuppoſito certo ſtatu, vel conditione rerum & perſonarum. Dixi: *Primariò*: quia virtus, quæ intendit honeſtatem, etiam reprobat, vel fugit inhoneſtatem, ſeu turpitudinem illi oppoſitam.

Reſp. 2. Virtus moralis generatim dividitur in prudentiam, fortitudinem, temperantiam & juſtitiam, quæ dicuntur Virtutes Cardinales: tùm, quia quilibet virtutis actus debet aliquid de his participare: debet enim eſſe prudens, ne aberret per inconſiderationem, vel negligentiam; debet eſſe juſtus, ut præſtet, quod debet homo, Deo, proximo, & ſibi ipſi, ut nemimem lædat; debet eſſe fortis, ut in bono perſiſtat, & non ſinat ſe per difficultates à recto dimoveri; debet eſſe temperans, ut modum à ratione præſcriptum non excedat; tum, quia cæteras virtutes morales ſub ſe continent, uti ex dicendis conſtabit. 140. *Diviſio ejus.*

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit Prudentia, & quæ ejus functiones, ſeu munera?

Reſp. 1. Prudentia, ſpeciatim & propriè accepta, eſt virtus intellectualis, proximè directiva morum; vel: virtus, quæ dictat; quid in qualibet particulari actione amplectendum tanquam honeſtum, vel fugiendum tanquam turpe in ordine ad finem ultimum: Prudentia enim præſupponit, tanquam fundamentum, prima principia morum, tum generaliſſima, ùt malum fugiendum, bonum amplectendum eſt, quæ dicuntur intellectus; tum ſpecifica, 141. *Prudentia.*

ùt

ut temperatè vivendum, perſiſtendum fortiter in arduis, cuique ſuum tribuendum, quæ dicuntur Synteresis. Et ex his præſcribit, quid in quibuſcunque circumſtantiis, ſeu hìc & nunc agendum, quid omittendum, ſicque præeſt omnibus virtutibus, ne nimio fervore, aut tepore, & remiſſione hìc & nunc impingant; & dicitur Virtus Cardinalis, lucerna,oculusque corporis: & ſine ea nulla poteſt eſſe virtus, reſpicitque, velut objectum,omnium virtutum actus, quos pro fine habet ſub ratione honeſti, ùt operabiles ſecundùm regulam morum, pro objecto autem formali ſub ratione veri. Dicitur Virtus moralis, non quia actus honeſtos elicit; ſed quia omnes in particulari dirigit. Dixi: *Prudentia propriè accepta*: nam generatim accepta eſt quævis notitia veri, aliquo modo ad rectè vivendum pertinens, & ſic accepta comprehendit Fidem, & univerſam Theologiam, & ſæpe in Scripturis vocatur Sapientia. Prudentia autem Chriſtiana & ſupernaturalis, propriè accepta, ſupponit Fidem, ùt principium, ex quo judicat de particularibus actionibus hìc & nunc.

142. *Ejus munera.* Reſp. 2. Munera & functiones Prudentiæ ſunt 1mò. Bene conſultare, diligenter inquirendo, quæ ſint media idonea ad finem, ſeu honeſtè agendum; quæ ſint neceſſariæ circumſtantiæ, ut opus fiat honeſtè ſecundùm virtutem: finis enim prudentiæ eſt, operari ſecundùm virtutem. 2. Poſt conſultationem rectè judicare, ſeu concludere, quid, quomodo, quando, ubi, omnibus diligenter conſideratis, ſit agendum, ut agatur ſecundùm virtutem. His actibus Prudentia præſcribit medium virtuti, id eſt, commenſum rectæ rationi, ut non exor-

exorbitetur per exceſſum, vel per defectum v. g. in uſu cibi, potûs, &c. 3. Præcipere executionem, dictando, hoc hìc & nunc agendum eſſe, vel convenienter agi poſſe, vel illud vitandum eſſe, aut convenientius omitti, atque ità inclinare voluntatem, ut operetur ſecundùm virtutem. Dixi *: Quid hìc & nunc :* nam, etſi Prudentia non præſcribat aliis virtutibus per ſe immediatè finem generalem, v.g. temperatè vivendum, cuique ſuum reſtituendum, ſed hoc faciat Synterefis; tamen præſcribit illis finem particularem, qui eſt hìc & nunc honeſtè operari: & quamvis aliæ virtutes imperent prudentiæ, quatenus amor honeſti movet intellectum, ut conſideret, quid, quomodo hìc & nunc agendum ſit, cùm quiſque ſecundùm ſuum affectum cogitet, & facilè judicet ex relictis ab affectibus ſpeciebus, aut ſecundùm inclinationem ingenitis; prudentia tamen ultima eſt actionum regula, & applicat virtutes ad opera ſingularia.

Reſp. 3. Prudentia alia eſt naturalis, quæ non excedit vires rationis naturalis, pendetque ex Syntereſi, ſeu noticia primorum principiorum moralium; & virtutibus moralibus ſui ordinis, & uſu comparatur. Alia ſupernaturalis, quæ pendet ex fide, & virtutibus ſui ordinis, exceditque vires naturæ. Dividitur quoque in perſonalem, quâ quis ſe: & gubernatricem, quâ quis alios gubernat: & hæc alia eſt civilis, alia legiſlativa, alia œconomica, alia militaris, pro diverſis officiis & actibus, quibus acquiritur. S. Thomas partes potentiales aſſignat Prudentiæ. 1. Eubuliam, quæ eſt habitus rectè conſultandi. 2. Syneſin, quæ eſt habitus rectè de conſultatis judicandi. 3. Gno-

143. *Diviſio.*

Gnomen, quæ eſt habitus rectè judicandi ex principiis quibuſdam altioribus contra tenorem verborum legis, ad mentem tamen Legislatoris. *Ex dictis.*

144. *Actus.* Colliges actus eliciti prudentiæ ſunt actus intellectûs, conſultatio, judicium de conſultatis, & imperium ſeu judicium proximè dirigens actum honeſtum, quod debet eſſe verum, certum, & evidens, omnem prudentem formidinem peccati formalis excludens: aliàs enim immediatè dirigere non poteſt actionem prudentem, nec eſſet actus virtutis intellectualis elicitus ſimpliciter talis, quæ debet non ſolùm præbere facultatem bene operandi; ſed etiam bonum ſui uſum, ità ut voluntas non poſſit ea malè uti, ſicut poteſt malè uti ſcientiâ, & arte.

QUÆSTIO III.

Quæ ſint peccata prudentiæ oppoſita?

145. *Peccata illi oppoſita per defectum.* Reſp. Eſt quidem omne peccatum contra prudentiam, utpote repugnans ejus dictamini; ſpecialiter tamen ſunt quædam contra illam, alia per defectum, alia per exceſſum. Per defectum prudentiæ repugnant 1. Præcipitatio, 2. Inconſideratio, 3. Inconſtantia, 4. Negligentia. Quatuor enim ſunt regulæ prudentiæ.

Regula prudentiæ. 1ma eſt, antequam opus aggrediaris, vel judicium feras, deliberare de mediis, modo & ordine exequendi, cavendiſque impedimentis. Et huic opponitur præcipitatio, quæ procedit ad opus, vel judicium, omiſsâ deliberatione.

2da

2da eſt, ut rem, de qua judicandum eſt, diligenter inſpicias cum ſuis circumſtantiis. Contra hanc eſt inconſideratio, quæ judicat, omiſsâ diligenti inquiſitione.

3tia eſt, ut rebus deliberatis, & rectè judicatis inhæreas, ne te ſinas levibus de cauſis ab ea divelli. Contra hanc eſt inconſtantia, quæ ſine ulla, vel ſine juſta cauſa ſententiam mutat.

4ta eſt, rem deliberatam, & judicatam opportunè executioni mandare. Contra hanc eſt negligentia. Præcipitatio ergo eſt directè contra conſilium, inconſideratio contra judicium, inconſtantia contra judicii firmitatem, negligentia contra rationis vigilantiam in exequendo: eſt enim omiſſio actuum rationis, qui neceſſarii ſunt, ut opus ſuo tempore fiat. Sed hæc peccata mortalia non ſunt, niſi quis ſe exponat periculo graviter impingendi contra alias virtutes, aut aliquam reipsâ graviter violet per præcipitationem, & inconſiderationem, inconſtantiam, aut negligentiam.

Peccata oppoſita per exceſſum.

Peccata contra prudentiam per exceſſum vel potiùs ſub quadam apparentia & imagine prudentiæ ſunt, prudentia carnis, aſtutia, dolus, fraus, ſollicitudo temporalium & futurorum. Prudentia carnis eſt, quæ excogitat idonea media ad opera carnis exequenda, ſeu explendos inordinatos motus naturæ corruptæ, eſtque mortalis in re gravi; ſicut prudentia ſpiritus eſt, quæ excogitat media ad opera ſeu fructus ſpiritûs. Illa ſupponit affectum malum, hæc bonum. *Qualis enim unusquiſque eſt, ità judicat*, inquit Ariſtoteles. Illa eſt mala ratione affectûs, hæc bona. Aſtutia generatim eſt ratio ingenioſa agendi aliquid mo-

do occulto, poteſtque eſſe bona: ùt verò hîc accipitur, eſt notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum cum, affectu exequendi, conjuncta. Eſt mortale vel veniale pro ratione affectûs, cui ſubeſt, & damni, quod proximo evenit, & pravitatis medii. Dolus eſt aſtutiæ executio tum verbis tum factis; fraus eſt aſtutiæ executio ſolis factis. Sollicitudo temporalium eſt nimia mentis occupatio in illis conſervandis, & conquirendis, orta ex amore vel timore inordinato. Sollicitudo futurorum eſt nimia mentis occupatio circa futura, v. g. victum, veſtitum, aliaque neceſſaria, conjuncta cum anxietate, & parva in Deum fiducia. Hæ ſollicitudines, ſi modum juſtum excedant, ſunt valde noxiæ ſaluti; quia impediunt animum à ſeria cogitatione de ea, & radix omnium malorum eſt cupiditas.

CAPUT II.

De Fortitudine, virtutibus illi annexis, & peccatis oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Fortitudo, quæ peccata illi oppoſita, & virtutes illi annexæ?

146. *Quid ſit Fortitudo?* Reſp. 1. Fortitudo eſt virtus moralis, quæ motus animi in rebus terribilibus, præſertim periculis mortis ſuſtinendis, vel depellendis moderatur ob honeſtatem in eo relucentem, ità ut neque pravè timendo, neque temerè audendo ab officio, rectæ rationi conſentaneo, diſce-

diſcedatur. Itaque fortitudo moderatur timorem & audaciam, antequam malum evenerit, vel quando ſuperari poteſt; & poſtquam evenit, & ſuperari nequit, moderatur triſtitiam, ne quis nimiùm ſe affligat, aut indecori aliquid ex mœrore agat.

Proinde 1mò materia fortitudinis proxima eſt timor, & audacia, & triſtitia in ſuſtinendis & repellendis, in quibus difficillimum eſt animum regere, & ſtatum rationis retinere, ùt ſunt pericula mortis: iis enim moderamen & menſuram rationis conatur imponere. 2dò. Materia autem remota ſunt actiones externæ, compoſitio, fuga, permanſio, aggreſſio, totiuſque corporis motus, & geſtus: non enim tantùm aggreſſionem fortitudo temperat, ſed etiam fugam, dum recta ratio dictat eſſe fugiendum. 3tiò. Materia remotiſſima ſunt pericula, quæ debent eſſe talia, ut honeſtè ſubiri, & ſuſtineri poſſint: utì ſunt, quæ ſuſcipiuntur pro honore Dei, defenſione virtutis, v. g. fidei, pro ſalute Reipub. vel proximi: neque enim materia virtutis inhoneſta eſſe poteſt: hinc latrones, graſſatores, iniqua bella gerentes, duellantes non ſunt dicendi fortes, ſed temerarii, iniqui, feroces, crudeles; quia eorum aggreſſio eſt iniqua, plena temeritatis, vel belluinæ feritatis, adeoque incapax decori fortitudinis: Quare actus tum interni tum externi, ut ſint materia fortitudinis, debent per ſe eſſe tales, ut accedente moderamine rationis poſſint eſſe honeſti. 4tò. Fortitudo maximè ſpectatur in periculis belli pro patriæ, fidei, aut juſtitiæ defenſione, & in Martyrio, quod eſt perpeſſio mortis, vel cruciatus lethalis pro fide, vel virtute revelata;

Ejus materia.

ſecundariò autem in aliorum malorum valdè gravium periculis. 5tò. Modus rationis 1mò exiſtit in habitu prudentiæ : omnis enim virtutis finis eſt imprimere ſimilitudinem ſuî actioni, vel affectioni animi, tanquam materiæ ſuæ proximæ, uti innuit S. Thomas Q. 123. Artic. 7. Ab habitu prudentiæ tranſit in actum ejus, ab hoc imprimitur actui interno voluntatis imperativè, & electivè à virtute voluntatis, v. g. fortitudine, temperantiâ : ſicut enim ars v. g. ſtatuaria intendit ſuî ſimilitudinem imprimere ligno, æri ; ità virtus intendit ſuî ſimilitudinem imprimere ſuis affectionibus, & actionibus, & opus rationi conſentaneum producere.

Peccata illi oppoſita. 6tò. Peccata fortitudini oppoſita ſunt timiditas, ſeu ignavia, quâ plus æquo mala timentur, fugiunturque, & temeritas, quâ minùs timentur, & fugiuntur, quàm oportet; ſed exceditur in iis, vel aggrediendis, vel repellendis. Item animi ſtupiditas, quæ eſt defectus timoris rationabilis, uti cùm quis mala vel pericula non timet, vel cavet, cùm oportet, idque ex quodam ſtupore.

Virtutes annexæ. 7mò. Virtutes fortitudini annexæ ſunt, magnanimitas, magnificentia, humilitas, patientia, perſeverantia, ſeu conſtantia.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Mâgnanimitas, Magnificentia, & quæ peccata illis oppoſita ?

147. *Magnanimitas.* Reſp. 1. Magnanimitas eſt virtus, quâ magna & heroica opera in omni virtutum genere exercemus ob honeſtatem, in illis, ùt talibus, relu-

relucentem. Talia opera ſunt magna abſtinentia, magna vitæ auſteritas, magna in adverſis patientia, magni labores pro ſalute animarum exantlati. In hæc tendit magnanimitas, quatenus magna ſunt, & magno animo, magnis gratiæ præſidiis adjuto conveniunt; reliquæ autem virtutes ratione honeſtatis propriæ ea proſequuntur.

Ad hanc virtutem pertinet caduca hujus mundi tanquam exigua ſpernere, ſe ad Deum per ardua, & cœleſti honore digna, v. g. per conſilia Evangelica elevare, honores mundi nec appetere, nec oblatis delectari ; in proſpera & adverſa fortuna moderatè agere, honorem cœleſtem magni facere, magnaque propter illum operari.

Reſp. 2. Peccata huic virtuti oppoſita ſunt 1mò Præſumptio, quâ quis aggreditur, quæ ſunt ſupra vires, gratiæ præſentis auxiliis adjutas. 2. Ambitio, quæ eſt honoris non convenientis appetitio. 3. Cenodoxia, vel vana gloria, quæ eſt appetitio inanis exiſtimationis, & laudis, ſeu vanæ gloriæ; eſt autem gloria vana, & inanis, ſi appetatur propter cauſam falſam, laude indignam, vel excellentiam ſimulatam; aut major quàm par ſit; aut apud eos, qui rectè de re judicare non poſſunt; vel denique ſi non referatur ad debitum finem. 4. Puſillanimitas, quâ quis fugit tanquam nimis magna, ad quæ vires, & dona à Deo habet, ùt ſi quis officium, ad quod aptus eſt, ex animi parvitate detrectet, vel ſuam dignitatem negligat, cùm honor Dei, vel utilitas proximi id vetat. 148. *Peccata illi oppoſita.*

Reſp. 3. Magnificentia eſt virtus, quâ ob honorem Dei in magnis operibus magnos ſump- 149. *Magnificentia.*

ſumptus facimus ſecundum dictamen rectæ rationis: cui ſi contraveniatur per exceſſum, erit profuſio; ſi per defectum, erit parvi facientia, & peccatum pro ratione obligationis non excedendi, vel deficiendi.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Humilitas, qui ejus actus, quæ incitamenta, & peccata illi oppoſita?

150. *Humilitas.* Reſp. Humilitas eſt virtus moralis, quâ homo ex intima cognitione & reverentia Divinæ Majeſtatis, veraque ſuî notitia affectum excellentiæ propriæ moderatur, ſuamque vilitatem ſecundùm rectam rationem in- & externè profitetur.

151. *Actus ejus.* Reſp. 2. Actus humilitatis præcipui ſunt ſequentes. 1mus, ſe vilem reputare, & erga ſe tanquam talem affici, quò ex conſilio S. Bernardi juvat conſiderare: quid fuiſti? quid es? quid eris? 2dus ſuis viribus diffidere. 3tius Se donis Dei indignum, & ad omnia ſe ineptum æſtimare. 4tus. Nolle ab aliis æſtimari, laudari, honorari. 5tus. Libenter admittere correctionem, defectusque proprios, ubi convenit, libenter fateri, & detegere. 6tus. Vilia appetere tanquam ſibi magìs convenientia. 7mus. Neminem ſpernere, nulli velle præponi propter ſe, omnibus ſe viliorem reputare, & tanquam talem erga ſe affici, conſiderando aliorum perfectiones, & virtutes, ſua verò peccata & vitia, & ob illa ſe omni contemptu dignum æſtimare, & tanquam talem ſe tractare. 8vus. In externis rebus,

rebus, & functionibus, quantùm in ſe eſt, amplecti abjectiora, & minùs honorata, quo ad recta ratio, officium, & dignitas permittit. 9nus. Omne bonum, omnem honorem, & laudem tribuere Deo, ſibi verò defectus. 10mus. In omnibus ex ſui vilipenſione ſe Deo & Superioribus propter Deum ſubmittere. 11mus. Laudes, & honores fugere, quantùm recta ratio permittit, propter ſe ea nunquam quærere. 12mus. Contemptum, vilipenſionem, contumelias æquo animo tolerare. 13tius. Deſiderare ab aliis negligi, contemptui haberi, de contemptu gaudere exemplo Apoſtolorum, *qui gaudentes ibant a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati.*

Reſp. 3. Incitamenta ad exercitium humilitatis ſunt ſequentia: 1mum humilitatis pulchritudo & præſtantia: profiteri enim coram Divina Majeſtate vilitatem, nihilumque ſuum, honeſtiſſimum eſt. 2dum ejus utilitas maxima: eſt enim canalis divinam in nos gratiam derivans: nam *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam*: quia nempe hi Deo: illi ſibi attribuunt gloriam, ſuntque fures in domo Dei. Deinde exercitium humilitatis ingenerat homini cognitionem profundam ſui nihili, indignitatis, infirmitatis; Dei verò miſericordiæ, clementiæ, bonitatis, Majeſtatis, benignitatis, patientiæ, potentiæ. Unde oritur diffidentia in propriis viribus, fiducia in Deum, fortitudo, magnanimitas: quis enim, ex una parte videns ſuam paupertatem; ex altera Dei potentiam, promptitudinem juvandi, ad eum non confugiat, & magno animo ei innitatur? 3rium eſt ejus neceſſitas: 152. *Incitamenta.*

eſt enim fundamentum & firmamentum omnis virtutis; ſine ea nulla virtus naſcitur, nulla proficit, nulla ſecura conſiſtit ; quia neceſſe eſt expelli ſuperbiam, radicem omnis peccati, neceſſe eſt adeſſe fiduciam in Deo, & abeſſe fiduciam in propriis viribus: nam ſi maledictus, qui confidit in homine, maledictus quoque qui confidit in ſe, ùt rectè S. Auguſtinus arguit. Et Chriſtus in Evangelio ait: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Exemplum Chriſti. 4tum eſt exemplum unigeniti Filii Dei, qui, ut nos redimeret, & ad viam veritatis ſuo exemplo reduceret, ſciens utique hujus virtutis pulchritudinem, utilitatem, neceſſitatem, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, habitu inventus ùt homo, ex paupere Virgine natus in ſtabulo, circumciſus ùt legi ſubjectus, & reus peccati, fugit in Ægyptum ùt invalidus; in ea latuit ùt imbecillis; in domo matris vitam egit ùt obſcurus; parentibus obedivit ùt ſubditus; à ſervo baptizatus ùt peccator; eumque circumiret benefaciendo omnibus, pro gratia oneratus contumeliis, ùt blaſphemus, dæmoniacus, ſeductor populi, potator vini traductus; tandem captus ùt latro; accuſatus ùt nocens, flagellatus, illuſus, ſpinis coronatus, ad mortem poſtulatus à populo & Principibus, ad eam condemnatus, & traditus à Pilato, in Crucis patibulo ſuſpenſus inter duos latrones ſuſtinuit mortem confuſione contemptâ. Dum ſic ſe humiliat Majeſtas, quomodo fit, quòd vermis intumeſcat?

153. *Exercitium.* *Nota* tamen: ne in hujus virtutis exercitio conſideratio noſtrî nihili, vilitatis, inſtabilitatis inordinatâ aliquâ triſtitiâ aut puſillanimi-

nimitate animum corripiat, ſic uno oculo intuenda eſt noſtra vilitas, ut alterum figamus in Dei potentia, bonitate & miſericordia, memores nos omnia bona habere in Deo & meritis Chriſti. Sed nec ſic mens figenda in Deo, ut noſtræ obliviſcamur infirmitatis: ſic enim ſubrepet aliqua præfidentia in viribus propriis, cum periculo turpis ruinæ, quam experti ſunt illuſtres Sancti. Ità ergo conſideranda noſtra infirmitas, ut ſtatim altero oculo intueamur Dei potentiam, benignitatem, miſericordiam; ſic innitendum Deo, ut ſtatim deſcendamus ad intuendum noſtrum nihilum. Hæc eſt ſcala, in qua vidit Jacob Angelos aſcendentes & deſcendentes. Hujus uſu fortes erimus, & humiles, ſecuri, & non ſine ſalutari timore.

Reſp. 4. Peccata humilitati oppoſita ſunt ſuperbia, & inordinata ſuî abjectio. Superbia eſt amor inordinatus propriæ excellentiæ: naſcitur is ex eo, quòd quis perſonæ ſuæ excellentiam, vel dignitatem majorem apprehendat, quàm ei inſit, ſicque erga illam ſic apprehenſam plus æquo afficiatur, majorem ſe æſtimando, quàm reipſa mereatur, atque ità mente & affectu ſupra ſe eat: hinc ſuperbus ſe inflare, & tumefacere dicitur: quia apprehenſione & affectu ſe majorem quodammodo facit, quàm reipſa ſit, quòd ſi ſuperbus ità ſe efferat, ut Deo & Superioribus ſubeſſe nolit, erit ſuperbia conſummata, & peccatum mortale ex graviſſimis unum; ſi autem Deo & Superioribus maneat ſubjectus, plus æquo æſtimando ſuam excellentiam, per ſe erit tantùm veniale. Quæ ſint filiæ ſuperbiæ, & remedia contra illam, vide Neo-Confeſſarium n. 58. & 61.

154. *Peccata illi oppoſita.*

Inordinata ſuî abjectio eſt, quæ fit cum neglectu muneris proprii, aut jacturâ ſui ſtatûs, vel cum jactura vel damno eorum, quibus prodeſſe quis deberet; ùt, ſi pater infra filium, Superior infra ſubditum ſe abjiceret: humilitas enim ad abjectionem ſui ſubjecti inclinat, conformem rectæ rationi.

QUÆSTIO IV.

Quid ſit Patientia, qui ejus gradus, quæ incitamenta, & peccata illi oppoſita?

155. *Patientia.* Reſp. 1. Patientia eſt virtus moralis, quâ homo pacatè fert adverſa, ſeu, quæ triſtitiam, ex rei afflictivæ præſentia naſci ſolitam, moderatur, ne rationem confundat, animumque plus æquo perturbet, hominemque eò ſeducat, ut vel loquatur, vel agat ex illa, quod rectæ rationi repugnet; quod facilè fit, niſi ponatur moderamen triſtitiæ, quæ puſillanimitatem generat, animi robur & conſtantiam enervat, aliaque mala non pauca animo corporique afferre ſolet.

156. *Gradus 4.* Reſp. 2. Gradus Patientiæ quatuor ſunt. 1mus. Adverſa animo tranquillo ſine perturbatione voluntaria ferre, ità ut nec factis, nec verbis immoderatis excedatur. Lacrymis tamen modeſtè conqueri, mediaque licita ad dolorem leniendum quærere licet, & dolorem ſentire naturale eſt. 2dus eſt divinæ voluntati ſe offerre, planèque reſignare, promptoque eſſe animo ad ferendum tot adverſa, quot Deo placuerit immittere. 3tius. Pro adverſis immiſſis, tanquam beneficiis, Deo gratias agere:

agere : neque enim Deus adverſa immittit, nec quidquam nobis præter peccatum permittit evenire, niſi in noſtrum bonum. 4tus eſt, adverſa, à Deo immiſſa, læto animo excipere, & tanquam grandia beneficia amplecti juxta illud Jacobi cap. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Primus gradus eſt præcepti, reliqui ſunt conſilii, & virtutis majoris tantùm.

Reſp. 3. Incitamenta ad patientiam ſunt ſequentia : 1mum. Conſiderare : Neceſſe eſt, 157.
me pati, quia homo ſum ad laborem & ærum *Incita-*
nas per peccatum primi parentis damnatus: *menta.*
quia exul ſum in exilio quid exſpectem ? velim, nolim, patiar, ſi æquo animo, vitam æternam, ſi rebelli, pœnam mereor : quia Chriſtianus ſum, Chriſtum oportuit pati, & ità intrare in gloriam ſuam, illi me addixi ; an aliâ viâ velim intrare in gloriam ejus. Hæreditatem mihi reliquit Crucem, tanquam clavem Cœli ; non eſt ſervus major Domino ſuo. 2dum. Meritus ſum pœnas æternas, debitis immenſis per peccata me oneravi, vult Deus pro ſua clementia, ut temporalem, eamque levem ſuſcipiam, meamque patientiam coronare præmiis æternis ; & ego non acquieſcam, non lubens patiar, & beneficii loco adverſitatem hanc non reputem ? Si damnatus ad mortem, vel perpetuum carcerem poſſet unius diei jejunio pœnam redimere, magnaque conſequi bona ; & recuſaret, amentiæ damnaretur. 3tium. Adverſa æquo animo perpeſſa mentem à mundo ad Deum convertunt, inordinatis affectionibus purgant animam, peccata præſentia removent, præterita delent, futura impediunt, intellectum illuminant, ad perfectio-
nem

nem adducunt, menſura ſunt æternæ felicitatis. 4tum. Beatitudinem volo, ad hanc alia non eſt via, niſi via crucis. *Niſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* 2. Timoth. 2. *Qui vult venire poſt me, abneget ſe ipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, ait Chriſtus Matthæi 16. 5tum. Deo, mihique glorioſum eſt, ſi me ipſi totum immolem. Hoc facio magno animo ferendo adverſa. Supremus honor, quem Sanctis ſuis Deus fecit in hoc mundo, hic eſt, quòd iis, poſtquam innumera pro ejus gloria ſuſtinuerunt, dederit gratiam, ut pro eo vitam ſuam immolarent. 6tum. Adverſa veniunt de manu amantiſſimi Patris, qui mecum eſt in tribulatione, & non ſinet me tentari ſuprà id, quod poſſum. Adverſa conſecrata ſunt, & honorificata per paſſionem, ſanguinem & mortem Chriſti. 7mum. Adverſa ſunt inſigne amoris Dei in me, earumque generoſa perpeſſio ſignum amoris mei erga Deum: quia ipſe intendit me illuminare, purgare, conformare Filio ſuo: ego oſtendo, quanti faciam ſanctam ejus voluntatem, quæ utique melior eſt voluntate meâ. 8vum. Patientia imminuit mala mea: maxima enim eorum pars eſt turbatio & & inquietudo animi. Hanc tollit patientia. Charitas ſublimat patientiam.

158. *Peccata illi oppoſita.* Reſp. 4. Patientiæ per exceſſum opponitur impatientia, quâ quis juſto plus ob adverſa dolori indulget. Ordinariè eſt veniale tantùm; poteſt eſſe mortale ratione ſcandali, vel mali, quod quis ex ea alteri, vel ſibi optat, cauſat, aut infert. Per defectum verò illi opponitur inſenſibilitas, ſeu animi durities, cùm quis ob animi ſtuporem nec propriis, nec alienis movetur adverſis.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quid ſit Perſeverantia, ſeu Conſtantia, & quæ peccata illi oppoſita?

Reſp. Perſeverantia, ſeu Conſtantia eſt virtus inclinans ad perſeverandum in bono, quamdiu recta ratio dictat, perſeverandum eſſe, non obſtante difficultate etiam diuturnâ. Illi per exceſſum opponitur pertinacia, quâ quis plus juſto adhæret ſuo ſenſui, vel agendi propoſito; per defectum autem ei opponitur inconſtantia, quâ quis ſine cauſa juſta recedit à propoſito. Utraque eſt peccatum veniale vel mortale, prout eſt gravis vel levis obligatio perſeverandi, aut non perſeverandi in propoſito. In re non præcepta propoſitum mutare vel ab opere incœpto deſiſtere ſine cauſa, eſt juxta Suar. Caſtropalao, Lugonem veniale peccatum, eò quòd inordinatum, rectæque rationi difforme ſit, ità leviter recedere à bono inchoato, vel aſſenſu divinæ inſpirationi dato, ſitque ſaltem actus otioſus. Sanch. negat, eſſe peccatum, eò quòd Conſtantia tantùm obliget, quando ad bonum aliunde eſt obligatio. Quòd ſi quis juſta cum cauſa mutet propoſitum, culpâ vacat. Vide La Croix l. 3. p. 1. n. 361.

159. *Definitio.*

TRAC-

TRACTATUS III.

De Temperantia, Virtutibusque illi annexis, & peccatis oppoſitis.

160. *Temperantia.* TEmperantia genericè accepta eſt virtus moderativa affectuum animi, & operationum ſecundùm rectam rationem; ſpecificè verò ſumpta, de qua hìc nobis ſermo, eſt virtus moralis, quæ juxta rectam rationem moderatur appetitum, & uſum voluptatum corporis ex cibo, potu & venere perceptibilium: unde ſubdividitur in abſtinentiam, ſobrietatem, & caſtitatem, quibus opponitur gula, ebrietas, & luxuria.

CAPUT I.

De Temperantia cibi & potus, ſeu Abſtinentia, & Sobrietate.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Abſtinentia & Sobrietas?

161. *Abſtinentia, & ſobrietas.* REſp. Abſtinentia eſt virtus moralis, quæ juxta dictamen rectæ rationis moderatur appetitum & uſum cibi, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, & potûs non inebriantis. Sobrietas eſt virtus moralis, quæ ſecun-

ſecundùm præſcriptum rationis moderatur appetitum & uſum potûs inebriativi, Hæc utraque eſt virtus omni aſpiranti ad perfectionem tam neceſſaria, ut nullus ſine ea ad eximiam virtutem ſit perventurus; teſtanturque vitæ Sanctorum, quotquot eximii Sancti fuêre, omnes fuiſſe magnæ abſtinentiæ & ſobrietatis.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit menſura Abſtinentiæ & Sobrietatis?

Reſp. Menſura Abſtinentiæ & ſobrietatis 162.
eſt non plus, nec minus cibi & potûs, nec *Menſu-*
alium ſumere, quàm ad bonam valetudinem *ra cibi*
corporis, vireſque ad munia ſua ritè obeun- *& potûs*
da requiſitas, aptamque mentis ad ſuas functiones diſpoſitionem expediat, conſideratis circumſtantiis perſonæ, conditionis, ſtatûs, occupationis, &c. Menſura enim medii, uti eſt victus, ſecundùm rectam rationem ſumenda eſt à fine proximo, ad quem ordinatur; cibus autem (idem eſt de potu & ſomno) ordinatur ad bonam corporis valetudinem, aptamque mentis ad ſuas functiones pro gloria Dei, ad quam ultimò ordinatur, diſpoſitionem. Quare plus cibi ſumere, quàm ad illum finem expediat, peccatum eſt. Minus tamen, quàm robuſta corporis ferat valetudo, ſumere ob juſtam cauſam v. g. ad mortificationem carnis, ſatisfactionem pro peccatis, laudabile eſt, etſi vires corporis imminuantur, modò valetudo non nimis patiatur, & mens non fiat inepta ad functiones ſuas, poſſitque rectè præſtare, ad quæ tenetur. Bona enim eſt valetudo,

quæ

quæ optimè ſervit animæ, & gloriæ Dei, ad quam ultimò ordinatur.

Atque ex his patet, non poſſe regulam univerſalem ejuſdem quantitatis cibi (idem eſt de potu) præſcribi omnibus communem, ſed conſiderandam eſſe perſonam, ejus conditionem, complexionem, diſpoſitionem præſentem, occupationes, &c. omnibuſque conſideratis menſuram eſſe determinandam. Id quod, etſi difficile ſit, ideoque facilè impingatur contra abſtinentiam & ſobrietatem, quæ in conviviis ratione urbanitatis, & pro virium reſtauratione, modò non nimis frequentia ſint, plus permittunt. Serviet tamen hæc regula, ut paulatim quis ſibi ſubtrahat, donec experientia diſcat, quæ quantitas cibi & potûs ſibi expediat, vel neceſſaria ſit.

QUÆSTIO III.

Quæ ſint peccata Abſtinentiæ, & Sobrietati oppoſita?

163. *Peccata abſtinentiæ & ſobrietati oppoſita.* Reſp. Abſtinentiæ opponitur per exceſſum gula, quæ eſt inordinatus appetitus, & uſus cibi, potûſque non inebriantis. Inordinatio fit quinque modis: 1. Si excedatur in quantitate, plus ſumendo, quàm conveniat. 2. Si in qualitate, appetendo cibum nimis lautum, vel nimis ſtudioſè præparatum, quàm perſonæ conveniat. 3. Si excedatur in modo ſumendi, uti, ſi edatur nimis ardenter, nimis properè, vel voraciter. 4. Si excedatur in tempore, uti, ſi ſæpiùs, quàm oportet, aut extra tempus refectionis, ſine rationabili cauſa comedatur. 5. Si contra finem, ùt, ſi edatur tantùm

tantùm voluptatis causâ. Hi exceſſus ſunt peccata per ſe tantùm venialia; quia ſunt circa res indifferentes honeſtè appetibiles; poſſet tamen peccari mortaliter, uti, ſi quis grave nocumentum inferret valetudini, vel ineptum ſe faceret ad officium, ad quod tenetur, vel ad debita ſolvenda, &c.

Damna gulæ, & peccata. Cæterùm damna gulæ levia non ſunt: nam corpus implet malignis humoribus; ſenſuum vigorem debilitat; obtundit ingenium; mentem reddit ineptam orationi peragendæ, diviniſque inſpirationibus recipiendis; vitia, præſertim Venerem, nutrit & inflammat, cui domandæ nullum poſt Dei gratiam aptius medium, quàm abſtinentia & ſobrietas. Vide media contra gulam in Neo-Confeſſario n. 88. Sobrietati opponitur ebrietas, quæ eſt exceſſus in potu uſque ad violentam privationem rationis. Vide Neo-Conf. n. 86. Hactenus dicta pertinent ad legem abſtinentiæ naturalem; Lege autem Eccleſiaſticâ alia menſura cibi quoad quantitatem, & qualitatem certis anni diebus præſcribitur, quæ menſura eſt materia Jejunii Eccleſiaſtici, aut abſtinentiæ; de quibus hìc ſimul agendum.

CAPUT II.

De Jejunio Eccleſiaſtico.

QUÆSTIO I.

Quænam requirantur ad Jejunium Eccleſiaſticum?

Nota. Jejunium in genere eſt quædam major, quàm communis temperantiæ Re- 164. *Jejuniũ.*

 gula

gula requirat, abſtinentia à victu; eſtque aliud naturale; aliud purè morale, ſeu virtutis arbitrariæ; aliud Eccleſiaſticum. Naturale eſt abſtinentia ab omni cibo & potu etiam medicinali: cujuſmodi à media nocte requiritur ad ſumptionem Euchariſtiæ. Purè morale, ſeu arbitrarium eſt abſtinentia voluntaria à cibo & potu licito, diverſa ab ea, quam præſcribit Eccleſia; uti, ſi quis (quemadmodum fecerunt multi Sancti) ſicco pane & aquâ, vel herbis, & radicibus, aut altero tantùm die refectus viveret. Eccleſiaſticum eſt abſtinentia à cibo, ſecundùm modum & formam ab Eccleſia præſcriptam. De hoc ſolo nobis hic Tractatus eſt. Nunc ad Quæſtionem propoſitam

165. *Prohibita lege jejunii.* Reſp. Lege Eccleſiaſticâ Jejunii prohibetur 1. Eſus carnis, quo nomine non veniunt teſtudines terræ, limaces, cochleæ, oſtrea, fibri, caſtores, ranæ, ſed reliqua animalia, quæ extra aquam vivunt: iſta enim communi judicio reducuntur ad piſces.

2. Jure ſcripto prohibentur etiam ova, & lacticinia, ùt lac, caſeus, butyrum, in Quadrageſima. Dicitur quidem in jure tantùm, par eſſe, ut ab iis abſtineamus, quæ verba legem rigoroſam non neceſſariò indicant, attamen jure conſuetudinario receptum eſt, ut cenſeantur iſta interdicta. Unde Alexander VII. proſcripſit hanc 32. *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.* Sed ſpectanda in his conſuetudo, quæ vim derogandi legi habet: nam quibuſdam in locis eſus ovorum & lacticiniorum omnibus Jejunii diebus illicitus eſt: in pleriſque tantùm in Quadrageſima; in

in quibuſdam, ùt hìc, ne in Quadrageſima quidem.

3. Prohibetur eſus lardi, ſaginimis, omnis pinguedinis, quæ de carne venit: etſi enim hæc propriè caro non ſint, conſuetudo tamen, vim legis habens, ſaltem in Germania obtinet, ut cenſeantur iſta prohibita, ne illorum permiſſio extendatur ad farcimina, juſculum ex carne cum ſcandalo & detrimento Jejunii. Pinguedo tamen in his partibus, ubi butyrum & oleum magni pretii eſt, pauperibus faciliùs permitti poteſt, imò, quibus non eſt condimentum aliud parabile, injiciendus non eſt ſcrupulus, ſi pinguedine, pro condiendis cibis utantur: neque enim benigna Mater Eccleſia vult, ut pane, aquâ, & oleribus nudis vitam tolerent.

4. Prohibetur duplex in die naturali, id eſt, à media nocte ad alteram mediam noctem refectio. Cœnula tamen modica nunc permittitur.

5. Prohibetur refectio alio, quàm per legem, vel conſuetudinem, determinato tempore, quod nunc eſt circa meridiem; olim autem extra Quadrageſimam erat hora nona, id eſt, tertia nobis promeridiana; in Quadrageſima verò ſub veſperam: hora enim tertia, quæ illis erat nona, celebrabatur Sacrum, decantabatur Officium Nonæ, quibus ſubjungi poterant Veſperæ, & dein cœnabatur, ſicut legere eſt apud Layman L. 4. Tr. 8. cap. 1. ſub num. 8. At poſterioribus temporibus, cùm homines per corporis, animique infirmitatem perſeverare tam diu in Jejunio non poſſent, anticipata eſt refectio, quæ cœna erat, & nunc potiùs prandium eſt, & hac

forte occaſione, cùm Fideles, ſi poſt tam maturam refectionem nihil amplius cibi ſumerent eo die, difficulter ſomnum capere poſſent, per conſuetudinem introducta eſt Cœnula ſeu Collatiuncula, etiam reficiendi causâ, quæ, ſicut per conſuetudinem introducta eſt, ità eâdem, quoad quantitatem & qualitatem, regulari debet.

Requiſita ad jejunium Eccleſiæ Patet ex his, ad Jejunium Eccleſiaſticum requiri abſtinentiam à carne, cibiſque vetitis, abſtinentiam à pluribus refectionibus, tempuſque determinatum refectionis. Unde Jejunium definitur: Abſtinentia à certo ciborum genere ſub unica refectione, determinato ab Eccleſia tempore ſumendâ.

QUÆSTIO II.

Quomodo, & quos Lex Jejunii Eccleſiaſtici obliget?

166. *Dies jejunii, & abſtinentiæ.* *Nota.* Lex Jejunii diviſibilis eſt, & virtualiter duplex. 1mò enim & principaliter prohibet eſum carnis & lacticiniorum. 2dò, & minùs principaliter plures præter Cœnulam in die naturali refectiones: quibuſdam anni diebus prohibet tantùm carnes & certos cibos, dicunturque Dies Abſtinentiæ. Aliis prohibet ſimul ſecundam refectionem, juberque unicâ nos præter Cœnulam refectione eſſe contentos: Et hi ſunt Dies Jejunii. Dies Abſtinentiæ, ſunt Dies Veneris & Sabbati per annum, tres Dies Rogationum ante Aſcenſionem Domini, feſtum S. Marci, quod ſi incidat in diem aliquem Octavæ Paſchatis, quo veſci carnibus aliàs licet, non habet abſtinen-

nentiam, & transfertur cum Litaniis poſt Octavam Paſchæ, niſi conſuetudo alicubi aliud habet. Dies item Dominici in Quadrageſima: in die enim Dominico in reverentiam Reſurrectionis Dominicæ nullum celebratur Jejunium. Dies autem Jejunii ſunt omnes Feriæ in Quadrageſima, dies Quatuor Temporum, Vigiliæ Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Virginis, Joannis Baptiſtæ, niſi incidat in Feſtum Corporis Chriſti: tunc enim Jejunium eſt pridie, & Vigilia omittitur, La Croix ex Conſtit. Urbani VIII. die 13 Octobris 1638. Item Vigiliæ Apoſtolorum, exceptis Philippi & Jacobi intra tempus Paſchale, & Joannis Evangeliſtæ, in Ferias Nativitatis Domini incidentibus. Sancti Laurentii; & Omnium Sanctorum. Si Feſtum habens Vigiliam incidat in diem Lunæ, anticipatur Jejunium in diem Sabbati. Si Feſtum Sancti Matthiæ incidat in Feriam tertiam vel quartam Quinquageſimæ, Jejunium anticipatur in Sabbatum antecedens quibuſdam in locis, non tamen Officium de Vigilia: Jejunium enim anticipatur propter periculum tranſgreſſionis, quæ ratio non eſt pro Officio. Hoc notato ad quæſtionem

Reſp. Lex diebus Jejunii & Abſtinentiæ 1mò obligat per ſe omnes Baptizatos, uſu rationis præditos, ſaltem poſt ſeptennium, ad abſtinendum à carnibus, & cibis vetitis ſub mortali ex genere ſuo. 2. Obligat omnes ratione utentes, annum 21mum egreſſos, per ſe loquendo, pariter ſub mortali ex genere ſuo ad abſtinentiam à ſecunda refectione. 3. Obligat, ſaltem ſub veniali, ad tempus refectionis non prævertendum notabiliter ſine 167. *Quos lex jejunii obliget, quomodo, & ad quid.*

rationabili cauſa. Ità communis & certa ſententia. *Ratio 1mæ partis eſt ;* quia Lex Eccleſiaſtica omnes ſubditos Eccleſiæ, obligationis capaces, obligat ſub mortali, quando ei ſubſtat materia notabiliter conducens ad bonum eorum ſpirituale ; Talis autem eſt lex abſtinendi à carnibus, habetque ſenſûs communis Fidelium, omnes ratione utentes ſaltem poſt ſeptennium lege abſtinentiæ teneri. *Ratio 2dæ partis eſt* eadem, & confirmatur : nam finis legis Jejunii eſt, ut mortificetur corpus, & concupiſcentia coërceatur ; is autem finis vix obtineretur, niſi lex graviter obligaret, ſed plerique ob difficultatem eam non obſervarent, aut excuſationem facilè ſibi fingerent. Unde Alexander VII. damnavit hanc 23. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto. Ratio 3tiæ partis eſt*, quia prævertens tempus, lege vel conſuetudine legitimâ ſtatutum, agit contra formam Jejunii præſcriptam, adeoque peccat. Verùm, quia forma illa videtur tantùm eſſe accidentalis, poteſtque ſine illa ſervari ſubſtantia Jejunii ; probabiliùs peccat tantùm venialiter, præveniens notabiliter ſine cauſa juſta, ùt habet ſatis communis hodie contra Covarr. Navarr. & alios, contendentes peccare talem mortaliter : quia Cap. *Solent*, Diſtinct. 1. de Conſecratione dicitur : *Nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quàm veſpertinum celebretur Officium.* Et Conc. Rothomagenſe ait Cap. 1. Non jejunare, qui manducat, antequam, horâ nonâ peractâ, incipiat veſpertina ; ergo, ſicut olim erat tempus

de

de ſubſtantiali forma Jejunii, ità & nunc. Unde S. Thom. in 4. Diſt. 15. a. 4. q. 3. ait, quòd ſolvat Jejunium, qui nimis notabiliter anticipat tempus, ab Eccleſia ſtatutum. Verùm, etſi fortè olim, quod putat Layman, fuerit mortale, cùm tunc fuerit ſpecialis difficultas jejunare in veſperum; tunc tamen, tempore mutato, communis habet, non eſſe, niſi veniale, & tempus eſſe requiſitum ſecundarium, ſine quo ſubſtantia Jejunii ſervari poteſt: nam, ſi quis manè, immemor Jejunii, plenè ſe refeciſſet, adhuc teneretur jejunare. Quòd ſi quis ex legitima cauſa, v. g. ob iter, negotium, debilitatem ſtomachi, &c. tempus notabiliter præveniret, per ſe non peccaret, uti nec, ſi tempore exiguo præveniret v. g. per horæ quadrantem; ſecus, ſi per duas vel tres horas.

Dixi 1. *Per ſe obligat:* id eſt, niſi adſit cauſa legitima excuſans. Dixi 2. *Obligat ſub mortali ex genere ſuo ad abſtinendum a carne, cibiſque vetitis, & ſecundâ refectione;* quia in his dari poteſt parvitas materiæ, adeoque peccari ſolùm venialiter: parva enim cenſetur materia, quæ parum obeſt fini legis. Finis autem legis Jejunii eſt mortificatio corporis, cui parum obeſt materia levis, qualis in cibis eſurialibus cenſetur duplex uncia, ſeu octava pars libræ, & juxta Sporer, quod eſt infra quatuor uncias, ſeu quadrantem libræ: ſedecim enim nunc, 12. apud Veteres, faciunt libram. *Ratio eſt:* quia talis quantitas videtur & in ſe, & in ordine ad finem Jejunii parva.

Alii quidam putant, octavam partem juſtæ cœnæ, ſeu prandii eſſe materiam gravem P. Stotz *Quæ ſit materia gravis?*

Stotz L. 1. P. 3. n. 528. Hertzig in Manuali P. 2. n. 441. Holtzman P. 3. Tr. 1. Caſu 4. à n. 23. exiſtimant, duas uncias carnis eſſe materiam gravem, levem verò, quod minus eſt. Eſcobar putat, levem eſſe, ſi non excedat unciam. Alii nihil determinant, dicentes, debere eſſe modicum. Exiſtimo, illam eſſe materiam carnis gravem, quæ vel ratione ſuî, vel ratione periculi graviter obeſt fini legis, quæ nempe vel non parùm confert ad nutritionem, vel apta eſt allicere homines ad frequentem ejus uſum, aut exceſſum majorem notabilem, contra finem legis, nec eſt aliud retrahens. Uti delectatio venerea plenè voluntaria, in ſe levis, eſt materia gravis contra caſtitatem; quia, ſi eſſet ſolùm prohibita ſub veniali, homines eam frequenter admitterent, & in graves exceſſus laberentur. Item contra legem prohibentem ſemel evehere frumenta ex patria; etſi enim non graviter ratione ſuî repugnet fini legis, qui eſt, damna Reipublicæ cavere; attamen meritò cenſetur ſub gravi prohibitum, ne, ſi ſub levi id liceret, plures id attentarent, cum gravi Reipublicæ detrimento, cùm autem duæ unciæ, ſi non notabiliter ratione ſuî, ſaltem ratione periculi, repugnent graviter fini legis Jejunii, meritò cenſentur materia gravis, imò & quod moraliter ſpectatum, ſuperat unciam; & quod minus eſt, non videtur materia gravis, quia parum nutrit, nec facilè alliciet ad frequentem legis tranſgreſſionem. Si autem liceret ſine mortali id, quod vix eſt infra duas uncias, ergo, qui totâ Quadrageſimâ comederet ſingulis diebus, quod parum eſt infra duas uncias, non peccaret graviter, cùm obligatio ſit

affixa

affixa diei. Id autem cederet in grave detrimentum legis: duæ enim carnis unciæ appendunt juſtum ovum gallinæ. Ex his reſolves

1mò. Qui obligatus ad abſtinentiam comedit per diem naturalem per vices moraliter interruptas ſæpius carnes, toties peccat mortaliter, quoties notabilem quantitatem comedit, ùt fatentur omnes; quia præceptum Jejunii ſaltem quoad illam partem eſt negativum, carneſque abſolutè, & independenter à ſecunda refectione prohibet, non præcisè ratione Jejunii, ſed ratione ſuî, & ùt nutritivas, ùt patet; cùm & aliis diebus, & etiam diebus Jejunii eos, qui jejunare non tenentur, obliget ad abſtinendum à carnibus. Idem dic de aliis cibis vetitis, ſeu lacticiniis, & ovis, ubi hæc interdicta manent. 168. *Corollaria. Quomodo peccet per diem ſæpius comedens carnes?*

2. Qui præter refectionem, & cœnulam per diem ſumit aliquid notabile etiam ex cibis eſurialibus ſive ſucceſſivè, ſive continuè hoc faciat, graviter peccat; quia partes etiam interruptim ſumptæ uniuntur in effectu, ſeu nutritione, & roboratione corporis: ſingulæ enim partes, ſive ſimul, ſive ſucceſſivè ſumantur, addunt robur, hicque effectus roborationis manet ſimul poſt ſumptas omnes partes, ſicque graviter violatur lex intendens mortificationem corporis eo die. Unde Alexander VII. damnavit hanc 29. *In die Jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.* 169. *Vel cibos eſuriales?*

3. Qui manè ſeu advertenter, ſeu inadvertenter, ſeu ſine, ſeu ex juſta cauſa comedit, adhuc tenetur lege jejunii, niſi adſit cauſa excuſans abſolutè. Unde, ſi tantum ſumpſit, quan- 170 *Quid, ſi quis mane jentaculum ſumpſit?*

quantum ad collationem ſufficit; tenetur veſperi ab ea abſtinere; poteſt tamen prandium quis etiam ſine cauſa differre in veſperum: ſi autem ſumpſit, quantum ad juſtam refectionem ſufficit; tenetur eſſe contentus una collatiuncula, niſi alia cauſa excuſet: quia æquè roboratur, ſive ſciens, ſive ignorans, Jejunium eſſe, ſe refecerit. Idem eſt, ſi iter facturus id feciſſet, & poſtea iter non faceret. Si manè inadvertenter ſumpſerit jentaculum, non æquivalens plenæ refectioni, poteſt moderatè prandere; quia non amiſit Jus ad plenam refectionem. Si autem manè ſumpſit nequidem æquivalens collationi veſpertinæ, poteſt prandere, & veſperi ſumere collationem. Ità Diana, Tamb. La Croix N. 1284. Si poſt prandium cibi aliquid ſumpſerit, tantò minùs ſumere debet in collatione, niſi per modum medicinæ apud hauſtum quid parvi ſumpſerit. Si tamen prope tempus collationis tantùm ſumpſerit, quantum ad eam ſufficit, ab hac teneretur omninò abſtinere, quia cenſetur jam ſumpta. Vide dicta p. 1. n. 176. reſ. 2.

171. *Si prandium interrumpat?* 4. Cùm prandium, ſeu refectio, plena debeat eſſe moraliter unica, eam diu interrumpere, & dividere ſine juſta cauſa non licet; quia aliàs erit moraliter multiplex. Si tamen ob incidens negotium necdum plenè refectus ex menſa quis ſurgere debuit, poteſt confecto negotio poſt unam etiam, alteramve horam illud complere: quia per intentionem redeundi, & circumſtantias cenſetur unicum prandium; ſi autem jam plenè refectus cum propoſito non redeundi ſurrexerit, ultra poſtmodum ſumere pro prandio non licebit, niſi fortè poſt quadrantem rediret, durante adhuc prandio. Quòd

Quòd ſi plus non ſumpſiſſet, quàm collatiunculam, veſpere poſſet ſumere plenam refectionem. Qui ſerviunt, aut in domibus religioſis legunt ad menſam, licitè ſumunt partem prandii ante, & poſtea alteram; quia habent Jus prandendi tempore conſueto cum aliis, incidente autem negotio, licitè prandium interrumpunt.

5. Prandium ſeu refectionem diu protrahere quoque non licet; quia aliàs erit moraliter & æquivalenter duplex. Permittantur ad prandium duæ horæ, non ultra: nam protrahere ad quatuor, quinque vel in veſperum idem eſt, ac bis ſe reficere; cùm poſt tantum temporis poſſet moderata ſecunda refectio ſumi, non magis nutriens, quàm ſumpta continuò. Nec juvat, quòd non ſemper comedatur: nam inter fabulandum interim cibi ingeſti digeruntur, & corpus non minus confortatur, quàm ſi veſperi cœnaretur. An conſuetudo in Germania diutius prandendi, quæ in conviviis, & apud divites quoſdam obtinet, ſit probanda, judicent alii. Certè populo non eſt ædificationi. Si poſt duas horas ſola bellaria apponerentur, & dein veſperi abſtineretur à collatione, tolerabilius eſſet. 172. *Si diu protrahat?*

6. Qui in prandio ità implet ſtomachum cibis die Jejunii, ut mortificationem non ſentiat, etſi aliqui putent, non ſatisfacere præcepto, negant tamen hoc probabiliùs alii; quia tempore unico, & conſueto unam ſumit refectionem, impletque ſubſtantiam præcepti, utpote unicâ contentus refectione. Nec obſtat, quòd non obtineatur finis præcepti: hic enim ſub præceptum non cadit. 173. *Si impleat ſe cibis?*

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ, qualis, & quo tempore liceat cœnula, ſeu collatiuncula?

174. Reſp. Sicut conſuetudine introducta eſt, ſic ſecundum morem timoratorum, cujuſque regionis regulanda eſt. 1mò. Quoad quantitatem AA. variant: aliqui non permittunt niſi 4. uncias, alii concedunt 6. alii 8. Probabilius videtur, quòd ſtatui debeat quantitas non abſoluta, ſed reſpectiva, ità ut cuilibet liceat quarta vel quinta pars prandii, ſeu refectionis juſtæ, ipſi ſecundum leges temperantiæ naturalis competentis: ſic enim & fini legis, & neceſſitati cujuſque magis conſulitur. Probabilis tamen, ſaltem pro his partibus, eſt ſententia multorum, cum Azor, Caſtrop. Tamb. permittens omnibus, ſive quis majore, ſive minore cibo indigeat, 8. uncias; quia inquit Pichler q. 5. tit. 41. n. 6. ordinariè pro prandio integro ſumi ſolent duæ libræ. Idque verum dicunt, etſi fames per eas omninò extingueretur in aliquo, quia leges humanæ ſpectant communiter contingentia.

Spectanda timoratorum conſuetudo.

Layman. Caſtrop. Illſung, & alii plus quàm aliis, permittunt illis, qui continuò dediti ſunt ſtudiis, & aliis negotiis fatigantibus caput; quia ſpiritus magis in illis deficiunt. Multi apud La Croix hìc N. 1299. plus quoque permittunt nobilibus, quàm aliis: quia ſolent eſſe debilioris valetudinis, & aſſueti cibo magis ſubſtantioſo. At ſpectanda eſt conſuetudo timoratorum, & quia habent, quo in prandio meliùs ſe reficiant, non nimis indul-

gen-

gendum. Quòd ſi quis in collatione excederet ad duas tantùm uncias, non peccaret graviter, quia ſecundùm dicta ſub N. 167. hæ non ſunt materia gravis, imò juxta Sporer, nec quod eſt infra dimidium collationis permiſſæ. Ex conſuetudine in quibuſdam locis plus permittitur in Vigilia Nativitatis, & Cœna Domini.

2. Quoad qualitatem AA. quoque non conveniunt: multi probabiliter cenſent cum Azor. Bonac. Sporer, & aliis, nihil referre, quales ſint cibi, calidi, an frigidi, offa, vel piſcis, fructus, &c. modò in quantitate non excedatur, nec carnes, & lacticinia, ubi hæc prohibentur, ſumantur. Alii permittunt tantùm leviores cibos, ùt cum pane fructus, bellaria & pro more regionis, aliquid caſei, non verò ova, piſces, legumina cocta, niſi adſit alia cauſa; Verùm ſpectanda eſt probata regionis, in qua quis degit, conſuetudo, quæ, quia in diverſis diverſa eſt, in quibus vixerunt AA. hic diſconveniunt. Schmalzgruber L. 3. T. 46. N. 29. ait, in Germania permitti fructus arborum, electuaria, caſeum, piſciculum, ovum: vel etiam juſculum, juxta Sporer.

3. Collatio ordinariè ſumenda eſt veſperi circa ſeptimam: ità enim habet conſuetudo. Quòd ſi quis ſine cauſa notabiliter anticiparet illam, probabiliùs tantùm peccaret venialiter, quia, etſi agat contra uſum Eccleſiæ, ſalva tamen manet ſubſtantia Jejunii. Unde ſi quis ſine cauſa manè ſumeret collationem, & in meridie prandium, veſperi autem nihil, tantùm venialiter peccaret; quòd ſi quis in meridie ſumeret collationem, & veſperi prandium, putant aliqui non peccaturum, etſi ſine cauſa

cauſa id faceret, eò quòd magis conferat ad mortificationem. Sed contradicunt alii cum Caſtrop. quia eſt contra uſum Eccleſiæ, niſi adſit juſta cauſa, v. g. negotia, iter, hoſpitalitas veſperi exhibenda, & juxta Caſtrop. etiam venatio, piſcatio recreationis causâ.

QUÆSTIO IV.

An die Jejunii extra refectionem, & cœnulam liceant potus, electuaria, fructus, tabacum?

175. *Quis potus jejunio non obſtet?* Reſp. Licet potus propriè talis, id eſt, qui ex natura ſua tantùm adjuvat ad alterandum corpus, vel ad vehendum, & concoquendum alimentum; non autem nutrit ſolidas corporis partes, ùt vinum, muſtum, cereviſia, vinum aduſtum, ſicera, mulſum, The, Caffe; quia talem potum Eccleſia non prohibet, ùt communiſſima cum D. Th. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. Unde, licèt quis in fraudem Jejunii talem potum ſumeret, Jejunium non violaret; quia Eccleſia prohibet tantùm, quod per ſe tendit ad nutriendum corpus, & intentio ſumentis non mutat rationem potûs.

2. Non licet liquidum, quod potiùs habet rationem cibi, ùt lac, juſculum: cibi enim cenſentur, quæ per ſe, & principaliter ordinantur ad reficiendum corpus, ſive ea edendo, ſive bibendo, ſive ſorbitiendo capiantur. An ſalvo Jejunio liceat ſumere Chocolatam, dubium eſt. Affirmant Hurtado, Lopez, Illſung, Holtzman, contendentes, eſſe tantùm potum uſualem in æſtimatione morali. Negant plurimi cum

cum Caſtrop. Tamb. qui fusè, examinatis ingredientiis, probat L. 4. in Decalog. c. 5. §. 2. N. 7. vim ejus nutritivam, & rationem cibi. Ejus tamen uſus, ubi conſuetudo timoratorum ſic habet, permitti poteſt, ſi parum materiæ adhibeatur aquæ. Secus, ſi quaſi puls coqueretur: ſic enim magis nutriret, quàm lac, aut juſculum. Referuntur quidem Urbanus VIII. Greg. XIII. Pius V. & Paulus V. ab Illſung Tr. 4. D. 1. N. 39. dixiſſe Chocolatam eſſe, & manere potum, ſed intelligendi videntur de tenui.

3. Electuaria, & confecta, ſeu conſerva, ùt vocant, non videntur licere; quia videntur habere rationem cibi, niſi in parva quantitate ſumantur per modum medicinæ, quâ ratione ad hauſtum, ne noceat, parum panis permittitur, non tamen plus, quàm media uncia, quia hæc quantitas videtur ſufficere ad impediendum nocumentum. Cavendum, ne ad hauſtum ſerviatur gulæ ſumendo panem, vel quid aliud, ut plus bibi poſſit, vel non neceſſarius potus magis ſapiat.

4. Aliqui tenent ad ſitim reſtinguendam licere ſumere uvam recentem, pomum limonium, ſuccum citri; quia vel non ſumuntur ùt cibus, vel conſuetudo id permittit. Quòd tabacum non obſit Jejunio, tenent omnes; quia non reficit ſolidas corporis partes, ſed tantùm ſpiritus.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆS-

QUÆSTIO V.

An, qui ſemel fregit Jejunium, poſſit eodem die ſæpiùs licitè comedere, vel peccet per iteratas comeſtiones?

176. *Fracto jejunio non licet refectio alia.* Reſp. 1. Si Jejunium fregit eſu carnium, conſtat ex dictis, peccare toties, quoties carnes iterum comedit. Quòd tunc nec poſſit in cibis eſurialibus ſumi ſecunda refectio, ſiquidem 1ma fuit plena, conſtabit ex dicendis N. 185. Si autem Jejunium fregit per ſecundam refectionem, dubium eſt, Illſung, Diana, Tamb. & alii probabiliter docent, contra legem Eccleſiaſticam non peccare, comedendo cibos eſuriales, non quòd præceptum ſit affirmativum, quoad hanc partem, ùt aſſerunt aliqui, cùm nullam actionem præcipiat, ſed unam refectionem permittat, & ulteriorem prohibeat; verùm quòd de Jejunii eſſentia ſit negatio ſecundæ refectionis præter collatiunculam, adeoque poſitâ ſecundâ refectione, Jejunium amplius ſervari non poſſit, conſequenter præceptum ceſſet. Si dicas, etiam abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia Jejunii, & tamen iterata earum comeſtio illicita eſt; reſpondent, carnes principaliter, & independenter à ſecunda refectione prohiberi etiam iis, qui lege Jejunii non tenentur, ſecundam autem refectionem prohiberi ſolùm acceſſoriè. Verùm communiſſima, teſte La Croix N. 1265. ſententia habet, adhuc peccari, quia agitur contra finem legis, qui eſt mortificatio carnis, & adhuc poteſt obtineri; non peccari tamen niſi venialiter plures docent probabiliter cum Leſſio,

quia

quia cùm homines, exceptis mechanicis, & agricolis, non ſoleant niſi bis de die comedere; abſtinere ab ulteriore refectione non videtur multum conferre ad finem legis. At contradicunt, & multi alii valde probabiliter, contendentes, peccari mortaliter, eò quòd adhuc ſit notabilis mortificatio abſtinere à 3tia refectione: nam qui manè ſe plenè vel ſemiplenè, & in prandio item plenè reficit, illi adhuc notabilis eſt mortificatio abſtinere veſperi, ſicut notabilis mortificatio eſt abſtinere manè ad meridiem.

QUÆSTIO VI.

Quæ cauſæ excuſent à Jejunio quoad plures refectiones?

Reſp. 1. Excuſat impotentia etiam moralis, quæ adeſſe cenſetur tum, quando eſt tanta difficultas, ut prudentum judicio ſuperet vires naturæ infirmæ, tum quando præceptum ſine gravi incommodo vel damno ſervari non poteſt. Ratio reſponſionis eſt, quia benigna Mater Eccleſia non vult ſuos obligare, cùm tanta difficultate, vel incommodo ſuis legibus, Secundùm dicta p. 1. de Legibus Nu. 189. Quare à Jejunio quoad ſecundam refectionem excuſantur, 177. *Impotentia moralis.*

1. Pauperes oſtiatim mendicantes, omneſque alii, qui nec habent, nec ſibi comparare poſſunt, quod ad juſtam refectionem ſufficiat, ad quam non ſufficit panis, olera, & fructus, nec offa cum olere, vel pulmento, & pane,ità La Croix, Sanch nec panis & vinum tantùm, niſi fortè uno & altero die. Non ta- 178. *Paupertas.*

men opus eſt, ut adſit vinum vel cereviſia. Pauper tamen die, quo habet plenam refectionem, tenetur jejunare, niſi aliunde v. g. ob debilitatem excuſetur.

179. *Ægritudo.* 2. Ægroti, infirmi, convaleſcentes, & debiles, v. gr. qui febri tertianâ, vel quartanâ laborant, vel ab ea immediatè convaleſcunt. Item qui, niſi bis reficiantur, notabilem ex vacuitate ſtomachi capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, vel totâ nocte calefieri, & dormire non poſſunt. Hi tamen ſi malo ſuo occurrere poſſint, ſumendo in meridie collationem, & veſperi plenam refectionem, ad id tenerentur; quia lex obligans ad finem, obligat ad media non nimis difficilia: contrarium quidem tenent Sanch. Diana, Caſtrop. Tamb. putantes non teneri invertere iſtum ordinem, ſed poſſe ſumere plenam refectionem duplicem; at fatetur Sanch. eum, qui non poteſt jejunare, niſi manè ſumpto jentaculo, vel niſi comedat ova, ad id teneri. Addit La Croix, etiam teneri ad carnes edendas, quia cum his ſtat Jejunium. Vid. eum N. 1315. Cur ergo non teneatur ordinem invertere? Item excuſantur prægnantes, & nutrices; quia egent cibo pro ſe & pro fœtu, vel prole, & Jejunium iis graviter noceret.

180. *Adoleſcentia.* 3. Adoleſcentes nondum egreſſi annum 21. ùt conſtat ex communi ſenſu & conſuetudine Eccleſiæ. Et ratio eſt, quia cùm uſque ad hoc tempus plerique omnes creſcant, & confirmentur corpore, egent frequentiori cibo. Nec obſtat, quòd fortè illo non egeant aliqui, quia Legislator attendit ad id, quod communiter, & in pluribus accidit. Suadendum tamen adoleſcentibus, ut pro modo ſuæ ætatis quando-

que

que jejunent, ut, cùm tempus obligationis aderit, eam faciliùs exequantur, & concupiſcentiam, quâ, ubi annos pubertatis adepti ſunt, natura corrupta ſolet infeſtare, coërceant. Poſſunt quoque adoleſcentes ante annum illum obligari ad Jejunium, ubi publica vel privata neceſſitas id exigit, & voto etiam emiſſo ſe obligare. Quòd ſi quis in Quadrageſima compleat 21. annum, tenetur reliquis diebus jejunare, etſi tantùm unus ſupereſſet, quia præceptum Jejunii diviſibiliter obligat pro diebus ſingulis, ob quam rationem, ſi quis die Jejunii horâ 8vâ mane annum illum compleret juxta Sanch. probabiliter teneretur præcepto, quod tamen probabiliter negat Diana, eò quòd præceptum videatur reſpicere diem integrum. In dubio tamen, an quis annum illum compleverit, ſi poſt diligentem inquiſitionem, ad quam tenetur, dubium maneat; jejunare non tenetur, quia libertas in poſſeſſione eſt. Porrò tempus incipientis talis obligationis debet quidem conſiderari de momento ad momentum, ſed ſolùm Eccleſiaſticè, id eſt, ſecundùm horologia bene ordinata, & calendaria approbata, non verò mathematicè, quia nobis conſtare non poteſt, quæ puncta imaginarii temporis ſol, aut cœli attigerint.

4. Excuſantur Senes, quibus vires defecerunt, ità ut pluribus refectionibus ſine gravi incommodo carere non poſſint. Dubium tamen eſt, an determinatum tempus rectè aſſignetur, quo ob ſenium omnes excuſentur, etſi adhuc ſat validi ſint ad jejunandum; ſicut annus 21. ſtatuitur, ante quem completum adoleſcentes non obligantur, etſi jam jejunare poſſint maturiùs. Negat id Layman L. 4. 181. *An Senium.*

T 2 tract.

tract. 46. cap. 1. n. 2. Leſſ. l. 4. c. 2. d. 6. & alii, eò quòd Senectus non ità definitum tempus habeat, quo ordinariè omnes ità deficiant, ut ſine gravi incommodo jejunare non poſſint, ſicut adoleſcentia habet determinatum tempus, quo omnes ordinariè adhuc creſcunt; aliqui enim ſeneſcunt, ſeu ità deficiunt circa annum ſexageſimum, alii citiùs, alii tardiùs. Quare licèt in dubio, quòd determinari non poſſit, ùt fortè poterit experientia, quis præſumere poſſit adeſſe ſenium tale, & non teneatur cum periculo gravis incommodi fortunam experiri; ſi tamen certum ſit, aliquem ſexagenarium aut ſeptuagenarium adhuc ità valere viribus corporis, ut adhuc jejunare ſine gravi incommodo poſſit, putant eum teneri.

At Sanch. cum pleriſque aliis à lege Jejunii eximit omnes Septuagenarios, quia hi plerique omnes langueſcunt, viribuſque notabiliter deficiunt. Idem dicunt multi probabiliter de ſexagenariis viris & fœminis, quia eorum vires, licèt non ità advertant, vergunt ad interitum, quas dum natura ſiſtere, & conſervare nititur, plura appetit, & pluribus eget: ob quam cauſam non pauci ſenes plus comedunt, quàm comederint in ætate robuſta, & conſiſtente: Sicut ergo adoleſcentibus, licèt non omnes creſcant notabiliter ad annum 21. completum, certum tempus ſtatutum eſt, ſic ſtatuendum eſt ſenibus, etſi non omnes ſtatim ab anno 60. notabiliter deficiant, ut ſcrupulis, & anxietati nimiæ occurratur; ſicut ſtatuitur adoleſcentibus, ne neſcientes tempus legem Jejunii violent. Nec obſtat, quòd lex Jejunii videatur eſſe in poſſeſſione, ùt putat La Croix, adeoque pro ea in dubio ſtatuendum eſſe: nam

nam juxta multos, & P. L. Croix L. 1. N. 601. lex nunquam in poſſeſſione fuit pro caſu, quo probabilis ſententia ab ea eximit, & dubium eſt, an unquam comprehenderit ſexagenarios. Dein refertur Pius V. Pontifex vivâ voce declaraſſe, ſexagenarios à lege Jejunii exemptos eſſe, adeoque exemptio eſt ſatis reflexè certa ſaltem, ut ſexagenarii tam rigidè jejunare non teneantur. Hæc tam de fœminis, quàm viris intelligenda ſunt; ſi enim fœminæ citiùs ſeneſcunt, etiam minùs macerantur Jejunio: nec juvat, quòd debiliores ſint; nam etiam minoribus viribus, & minore alimento egent: unde ſententia fœminas quinquagenarias à Jejunio eximens cenſetur improbabilis. Si quæ tamen eſſet notabiliter debilior, excuſari poteſt per malam valetudinem, ob quam etiam faciliùs cum iis poteſt diſpenſari.

5. Excuſantur, qui exercent opera per ſe valde laborioſa, ſeu laborem corporis valde difficilem, & fatigantem, ùt ſunt arare, fodere, triturare, ſecare lapides, onera gravia portare, pannos longos pedum adminiculo texere, remigare, merces vendendo percurſare urbem. Unde excuſantur foſſores, agricolæ, fabri lignarii, & ferrarii, ſcrinarii, murarii, piſtores, textores, ſutores calceos conſuentes, non tamen ſolùm ſcindentes corium, laniones, famuli, famulæque, & alii quando tantis laboribus occupantur, ut Jejunium cum iis abſque magna difficultate vel incommodo, vel hujus præſenti periculo conjungi non poſſit; item iter agentes pedibus, v. g. per integrum diem, vel maximam hujus partem cum magna fatigatione. Circa hoc tamen non poteſt determinari numerus Leucarum, 182. *Opera valde laborioſa.*

qui generatim excuſet; quia eundo alii plus, alii minùs laboris habent, & viæ aliæ aliis ſunt difficiliores, tempeſtas auræ quoque augere vel minuere poteſt difficultatem. Econtra non excuſantur tonſores, ſartores, pictores, ſcribæ, famuli pediſſequi, Typographi, qui prelum non verſant, ſed tantùm characteres collocant. Refertur quidem Eugenius IV. exemiſſe omnes opifices, ſed exemit tantùm exercentes opera valde laborioſa. Nam Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Jejunii, nec debent ſe certificare; an labor ſit compatibilis cum Jejunio.* Similiter non excuſantur iter agentes equo, rheda, curru, navi, quia tale iter parum fatigat corpus, ſed facilè cum Jejunio componibile eſt: patet ex damnata 31. ab Alex. VII. Tales tamen excuſari poſſunt, v. g. ob infirmam ſimul complexionem, debilitatem ſtomachi, aut ob iter equeſtre valde longum, & difficile. Item quandoque excuſantur, qui valde ſe exhauriunt, & fatigant licitis animi laboribus: ſic excuſari poſſunt Concionatores, ſingulis aut quatuor in hebdomada diebus dicentes ad populum in Quadrageſima, Magiſtri docentes, Advocati; ſed ſpectandus ex circumſtantiis horum labor, & fatigatio.

183. *Quando excuſat pietas?* Reſp. 2. Excuſat quandoque pietas, quando nempe opera virtutum majora & præſtantiora per Jejunium impedirentur, & cum eo conjungi non poſſent, nec in aliud tempus differri; talia ſunt opera miſericordiæ tum corporalia, tum ſpiritualia, & religionis, ex officio, obedientia, vel neceſſitate proximi exercenda;

cenda ; quia Eccleſia præcipit Jejunium, non ùt impeditivum, ſed ut promotivum boni. Unde ; ùt notat S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. non intendit obligare ad Jejunium , ſi ob id ejuſmodi opera omitti deberent. Hâc ratione excuſari poſſunt Medici, Confeſſarii , Concionatores , inſervientes infirmis, Conjuges, cum Jejunio non valentes ſatisfacere ſuæ obligationi. Item uxor, quæ iram, & Jurgia mariti evitare non poteſt, niſi ſumat cum ipſo binam refectionem, ſaltem niſi ex odio virtutis, vel contemptu præcepti urgeat; quia præcepta merè poſitiva non obligant cum gravi incommodo, & ſcandalo , & pax conjugum præponderat Jejunio. Non excuſatur tamen uxor ex eo præcisè , quòd vir illi prohibeat Jejunium, quia non habet Jus prohibendi obſervationem præcepti Eccleſiæ. Nec ex eo, quòd aliàs uxor non poſſit petere debitum. Denique hâc ratione excuſari poſſunt piè peregrinantes cum magno Dei honore, & ſpeciali utilitate ſpirituali ; cùm Jejunium cum tali peregrinatione conjungi non poteſt, nec hæc commodè differri.

Reſp. 3. Excuſat diſpenſatio, de qua plura Q. ſequente.

QUÆSTIO VII.

184.

Quæ cauſæ excuſent à Jejunio quoad abſtinentiam à carnibus.

1. Infirmitas.

Reſp. Quia abſtinentia à carnibus rariùs affert nocumentum , quàm abſtinentia à duplici refectione ; hinc non omnis cauſa excu- *2. Paupertas.* *3. Diſpenſatio.*

ſans ab hac, excuſat quoque ab illa, ſed debet eſſe cauſa ſpecialis, quales tres potiſſimùm aſſignantur.

1ma eſt morbus vel infirmitas, in qua naturæ per cibos eſuriales ſine gravi incommodo, aut ejus periculo ſuccurri non poteſt. Hoc titulo quandoque licitus eſt eſus carnium mulieribus prægnantibus, vel lactantibus, quæ certi generis carnem quandoque ità appetunt, ut, ſi eis negetur, proli immineat periculum.

2da eſt defectus, vel paupertas, quando nempe alii cibi ad neceſſariam, aut ſufficientem, ſuſtentationem haberi non poſſunt: neque enim benigna Mater Eccleſia cenſetur velle, ut pauperes, aliique ſui ſint pane, aquâ, & paucis oleribus contenti. Ità La Croix, Sanch. & alii. Ex hac cauſa ab abſtinentia à carnibus excuſantur quandoque famulantes apud Hæreticos, ſi cibi eſuriales iis non apponantur, & ab heris obtineri non poſſint: debent tamen illi ad vitandum ſcandalum dicere, ſe in caſu neceſſitatis præcepto Eccleſiæ non aſtringi ad abſtinentiam. Ex eadem cauſa toleratur, inquit Layman, in noſtra Germania, ut finitis Bacchanalibus, reliquiæ carnium dentur pauperibus conſumendæ: convenientiùs enim eſt, eas cum gratiarum actione abſumi à pauperibus, quàm perdi, vel canibus projici.

3tia eſt diſpenſatio, de qua vide dicta de legibus à N. 238. Hæ cauſæ hactenus allatæ, ut à Jejunio, ſeu à duplici refectione, ſeu ab eſu carnium illicito excuſent, debent eſſe certò, vel probabiliter ſaltem ſufficientes, quia lex eſt in poſſeſſione, à qua per cauſam dubiam detrudi non debet. Quòd ſi quis dubitet de cauſæ

cauſæ ſufficientia, conſulat peritum Theologum, & Confeſſarium; aut medicum, ſi de infirmitate ſufficiente dubium ſit, ſique nullus æquè peritus contrarium afferat, poteſt ſtare eorum judicio: quòd ſi & hi dubitent, recurrendum eſt ad Superiorem, & petenda diſpenſatio. Diſpenſare autem poteſt Papa cum omnibus Fidelibus, Epiſcopi cum ſuis ſubditis, & Parochus juxta cujuſque Diœceſis conſuetudinem: nam poteſtas diſpenſandi in hac lege ob ſæpe occurrentem neceſſitatem ex conſuetudine conceſſa eſt Parochis, ſic poſtulante bono animarum. Non poſſunt tamen Parochi diſpenſare cum omnibus ſuis Parochiànis ſimul per totam Quadrageſimam, ſed cum particularibus tantùm, aut emergente caſu ad unum, alterumve diem, quia plus non poteſt Parochus, quàm legitimâ conſuetudine conceſſum eſt: quæ ſpectanda eſt in dublo, an poſſit diſpenſare in loco, ubi præſens eſt Epiſcopus. Cum Regularibus verò diſpenſare poteſt eorum Superior univerſalis, & localis, quia habent in hos Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, exigente id eorum munere pro ſpirituali directione, cùm ab Epiſcopis ſint exempti. Confeſſarii autem, niſi ſpeciale privilegium habeant, & Medici poſſunt ſolum declarare cauſam diſpenſandi, aut ſufficientem ad excuſandum à Jejunio. Si nec vir peritus, nec medicus conſuli, nec Superior adiri poſſit, in dubio de ſufficientia cauſæ excuſantis, non tenetur quis ſe exponere periculo gravis incommodi: ad hoc enim non cenſetur Eccleſia obligare.

Cæterùm cauſa diſpenſandi cum particula-

ribus ſufficiens eſt, quæ non totaliter, ſed aliquo modo, non tamen ſufficienter excuſat à Jejunio. Si cauſa eſſet certò gravis, non eſſet opus diſpenſatione. Si Superiori videatur cauſa diſpenſandi non omninò ſufficiens, poteſt injungi eleëmoſyna, vel oratio, & ſic fieri ex parte commutatio. Pro diſpenſatione univerſali in Quadrageſima, videtur requiri certitudo cauſæ rationabilis tum exiſtentis v. g. certitudo periculi morborum, &c. quia lex univerſalis non debet ex poſſeſſione detrudi per cauſam dubiam, quæ reſpectu divitum ſæpe non ſubſiſtit.

QUÆSTIO VIII.

An, cui licet ſecunda refectio, vel eſus carnium, hoc ipſo liceant plures refectiones?

Affirmant Illſung, Vivald. Diana, & alii, eò quòd tam abſtinentia à carne, quàm à ſecunda refectione ſit de eſſentia jejunii, adeoque permiſſo eſu carnium, vel ſecundâ refectione, Jejunium amplius ſervari non poſſit.

185. *Non ideo plures.* Reſp. 1. Cui permiſſa eſt ſecunda refectio probabiliùs non hoc ipſo illi ſunt permiſſæ plures. Ità communior contra Fagundez, & alios, quia fieri poteſt, ut alicui ſecunda refectio ſit illo die neceſſaria, & non ulterior, poteſtque adhuc obtineri finis Jejunii ſecundùm dicta n. 176.

186. *Nec eſu carniũ.* Reſp. 2. Cui permiſſus eſt eſus carnium, non ideo præcisè permiſſæ ſunt plures refectiones. Eſt tunc certa contra Illſung, Buſenb. Azor.

Azor. Fil. Tolet. & alios. Nam Papa Benedictus XIV. in Epiſtola Encyclica *Libentiſſime.*

1. Epiſcopus mandat ſub gravi culpa, ut diſpenſantes in abſtinentia à carnibus diebus Jejunii, addant conditionem, ut diſpenſati abſtineant à ſecunda refectione.

2. Obligat diſpenſatos ſub mortali, ut eam conditionem ſervent.

3. Ut pro collatione non veſcantur carnibus.

4. Ut diſpenſati non veſcantur in prandio ſimul carnibus & piſcibus, idque ſub mortali.

5. Mandat, hoc etiam ſervari aliis extra Quadrageſimam diebus Jejunii, & poſtremum etiam diebus Dominicis Quadrageſimæ. Ratio reſponſionis noſtræ eſt, quia, licet eſſentia Jejunii perfecti importet tam abſtinentiam à carnibus, quàm à ſecunda refectione; attamen una abſtinentia præcipitur independenter ab alia, ſicque poteſt manere obligatio ad unam tantùm. Sic manet in Quadrageſima, quando Epiſcopi diſpenſant in abſtinentia à carnibus, obligatio abſtinendi à ſecunda refectione, nec intendunt aliter diſpenſare; Fideleſque adhuc jejunare dicuntur. Proinde magìs ad eſſentiam Jejunii pertinet abſtinentia à ſecunda refectione, quàm ab eſu carnium. Dixi: *Non ideo præcisè*; quia ex alia cauſa poteſt alicui eſſe permiſſa ſecunda refectio, ùt, ſi ad hanc ſe extenderet diſpenſatio.

QUÆS-

QUÆSTIO IX.

Quæ præterea ſint circa Jejunium obſervanda?

187. *Solvuntur varia dubia.* Reſp. Sequentia : 1. Cui ex diſpenſatione licet in Quadrageſima eſus carnium, an poſſet ſæpius de die carnes comedere, ſi illi liceant plures refectiones; ſpectanda eſt mens diſpenſantis, quæ niſi ex verbis conſtet, ex cauſa diſpenſandi, ipſi propoſita, eſt colligenda: neque enim diſpenſatio ſe extendit ultra ejus intentionem, nec intentio ultra cauſam. Quare, ſi cauſa non ſit, ab abſtinentia à pluribus in carne refectionibus diſpenſandi, hæ ipſi non licebunt. 4. Ob invaletudinem diſpenſatus in genere ad carnes, contra legem Eccleſiaſticam abſtinentiæ non peccaret comedendo carnes noxias, quia cenſetur abſolutè diſpenſatus: foret enim aliàs nimis expoſitus ſcrupulis, cùm ſæpe non ſciamus, quæ magis proſint, vel obſint: & quæ in communi non habentur ſalubres, quandoque proſunt certo ſubjecto, præſertim, ſi magnus ad eas ſit appetitus, & modicè ſumantur. Secus probabiliùs foret, ſi eſſet diſpenſatus in ſpecie ad carnes valetudini ſervientes v. g. ad gallinas; quia tunc mens diſpenſantis videtur eſſe reſtricta.

3. Diſpenſatus ob morbum in Quadrageſima à Jejunio, probabiliùs tenetur reliquis diebus ad Jejunium, ſi ante finem Quadrageſimæ plenè convaleſcat.

4. Si Epiſcopus in Quadrageſima diſpenſans permittat carnes die Dominicâ, feriâ 2dâ,

3tiâ,

3tiâ, 5tâ, ſalvâ quoad alteram partem lege Jejunii; diebus Dominicis bis veſci carnibus videtur licere, an aliis diebus id liceat iis, qui à Jejunio excuſantur; interrogari, ſi poſſit, debet Epiſcopus, quia non eſt eadem mens omnium. Si exprimat, licere diebus Dominicis bis veſci carnibus, aliis tantùm ſemel; videtur diebus Dominicis licere ſæpius, quia, cùm homines ſoleant iis diebus tantùm bis comedere, videtur obligatio abſtinentiæ ſublata pro tota die; aliis tamen diebus non licebit bina refectio in carnibus iis, qui excuſantur à Jejunio.

5. Qui vovit totâ vitâ jejunare die Veneris, tenetur etiam poſt annum ſexageſimum! quia, niſi intentionem contrariam habuerit, cenſetur ſe obligâſſe, quamdiu jejunare poteſt: ſicut, qui Jejunium vovit ante annum 21, cenſetur ſe obligâſſe, etſi lege Eccleſiæ non teneatur. Similiter, ſi diſpenſato ad ineundum Matrimonium in compenſationem voti caſtitatis ſubrogatum eſſet Jejunium die Sabbati, eo teneretur, quamdiu vult uti Matrimonio, & jejunare poteſt, quia ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur. Aliud eſſet, ſi in morbum incideret, quia Jejunium tunc illi eſſet moraliter impoſſibile. Vide tamen La Croix P. 1. L. 3. n. 438.

6. Magna difficultas præcisè non excuſat à Jejunio, ùt, ſi eſſet ex vitioſo habitu intemperantiæ; quia finis Jejunii eſt mortificatio, & habitus ille vincendus eſſet. Si tamen illa eſſet ex naturali vitio ſtomachi nimis voracis, poſſet ſumi, quantum ſufficit ad hoc incommodum temperandum: ſicut ob debilitatem ſtomachi habens nimiam difficultatem, poſſet

manè aliquid ſumere per modum medicinæ, nec ideo veſperi teneretur abſtinere à collatione.

7. Qui laborioſis operibus incumbunt, excuſantur, licèt uno vel altero die non laborent, v. g. ſi eſſet Feſtum; quia labor præteritus & futurus eximit: ſecus eſſet, ſi multis diebus ab iis vacarent, quia nec labor præteritus, nec futurus pro omnibus eos eximeret: unde, niſi aliud obſtet, tenerentur ſaltem aliquibus diebus jejunare. Si quis per accidens labore, quo alii multùm paſſim fatigantur, non ità fatigaretur, adhuc excuſaretur; quia lex non comprehendit exercentes opera laborioſa.

8. Qui die Jejunii labore indifferenti, v. g. pilâ ludendo, equitando, venando, piſcando graviter ſe fatigaret eo fine, ut non teneretur jejunare, & ſimul recreationis causâ, etſi ſuppoſitâ gravi fatigatione probabiliter ad Jejunium non teneretur, utpote moraliter ipſi impoſſibile; attamen ſic ſe fatigando, peccaret contra legem Jejunii, quia lex obligat, ne quis in actu primo manens obligatus, ponat ſine legitima cauſa impedimentum obſervationi legis, ùt dictum de Legibus ſub n. 197. Si verò ex rationabili cauſa, & non in fraudem legis, ſeu ſine intentione ſe eximendi ab illa, ità ſe fatigaret labore non inhoneſto, non peccaret, nec teneretur ad Jejunium. Quòd ſi actio etiam fuiſſet mala, v. g. inſecutio inimici occidendi, fatigationemque talem non prævidiſſet, nec intendiſſet, ſe à Jejunio eximere; non peccâſſet contra præceptum Jejunii, nec juxta communem ad Jejunium teneretur. Si autem Jejunii impedimentum prævidiſſet,

vidiſſet, ponendo talem actionem (niſi fortè intentionem habuiſſet nihilominus jejunandi) peccâſſet contra præceptum Jejunii; quia hoc obligat, ut manens in actu primo obligatus non ponat impedimentum proximè impeditivum obſervationis: præceptum enim obligans ad finem, obligat etiam ad media ordinaria, & non nimis difficilia; ſic præceptum audiendi Sacrum obligat ad non dormiendum toto manè. Probabiliter tamen juxta multos talis non teneretur jejunare.

Ex his ſequitur, die Jejunii actionem omnem, cum Jejunio incompoſſibilem eſſe omittendam, niſi adſit juſta eam ponendi cauſa, qualis eſſe poteſt utilitas ſpiritualis, vel magna temporalis propria, vel proximi.

9. Si quis rogatus ab amico, manè modicum quid comederet, ne inurbanus videatur, putant aliqui, excuſandum eum eſſe à veniali, quia urbanitati ſervire eſt actus virtutis; ſed hoc niſi perſonæ rogantis dignitas aliud exigeret, vix habebit locum in praxi; quia petitio amici eſt irrationabilis, utpote oppoſita præcepto Eccleſiæ, & nota inurbanitatis facilè alio modo vitari poteſt.

10. Etſi Religioſi teneantur ad Jejunia univerſalis Eccleſiæ poſt, & ad ſpecialia Ordinis, in quo profeſſi ſunt, etiam ante annum 21. completum, quia renuntiant exemptioni & ætatis favori; non tenentur tamen ad Jejunia locorum, in quibus degunt, inducta per populi conſuetudinem, vel votum; quia non ſunt pars profanæ Communitatis, nec Religioſi exempti tenentur, per ſe loquendo, ſeu vi præcepti Epiſcopalis, ad Jejunia indicta per Epiſcopum; quia ab Epiſcopi Juriſdictione ſunt exem-

exempti: & licet jure novo teneantur ad Feſta Diœceſana, ſervandumque interdictum commune, de Jejunio tamen adhuc nihil conſtitutum eſt. V. p. 1. ſub n. 166. Cor. 5. An Religioſi ſexagenarii teneantur adhuc Jejunio ſui Ordinis, attendenda eſt intentio voventium, per Ordinis conſuetudinem declarata.

11. Si pœnitens afferat cauſam ſolùm probabiliter ſufficientem, cur non jejunet ſaltem omnibus diebus, aut in veſpertina collatione plus ſumat; monet cum Cajetano Layman L. 4. Cap. 3. Num. 6. ut Confeſſarius non nimis urgeat, quia moralia præcepta moraliter interpretari convenit, nec Eccleſia intendit, grave jugum Fidelium conſcientiis injicere. Quòd ſi ratio allata non eſſet ſtrictè probabilis, ſed aliquo modo tantùm, putat Layman l. c. num. 7. diſſimulandum eſſe, & pœnitentem abſolvendum in his partibus; ne, ſi contradicatur, graviùs peccet, & nunquam jejunet. Verùm vel tàlis non eſt paratus ſervare omnia mandata graviter obligantia; & jam incapax eſt abſolutionis: vel eſt paratus, & ſpes certa eſt fructûs; adeoque moneri debet, præſertim, cùm pœnitens, ſi cauſam ſponte alleget, cenſeatur interrogare, interroganti autem tenetur Confeſſarius reſpondere, ſi ſpes ſit fructûs. Loquor de caſu, quo certus eſt Confeſſarius, quòd pœnitens alioquin teneatur ad Jejunium, & pœnitenti, ubi inſtructus fuerit, non eſt manſurum prudens dubium.

CAPUT

CAPUT III.

De Temperantia voluptatis venereæ, ſeu de caſtitate, & peccatis illi oppoſitis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Caſtitas, & Virginitas?

RESP. 1. Caſtitas eſt virtus, quæ affectum, uſumque venereorum, ſeu voluptatis venereæ moderatur ſecundùm rectam rationem, propriæ honeſtatis gratiâ. Eſt triplex: Virginalis, conjugalis, & vidualis. Virginalis eſt, quæ omnem voluptatem, uſumque venereorum firmo voluntatis decreto in perpetuum excludit in ſubjecto incorrupto. Atque hæc eſt caſtitas perfecta. Si vero ſit cum propoſito abſtinendi à venereis ſolùm ad tempus v. g. ad Matrimonium, in ſubjecto incorrupto, erit caſtitas virginalis imperfecta, & ſecundùm quid tantùm. Caſtitas conjugalis eſt, quæ in ſtatu conjugii ab illicitis voluptatibus venereis abſtinet, & permiſſis moderatè ſecundùm præſcriptum rationis utitur. Moderatio in eo ſita eſt, ut conjux utatur Matrimonio debito fine, modo, tempore, & loco: qui enim cum his circumſtantiis Matrimonio utitur, & ab illicitis abſtinet, conjugali caſtitate præditus dicitur. Caſtitas vidualis eſt, quæ in viduis cohibet affectum venereum, & abſtinet ab omni actione & delectatione venerea percepta

188. *Caſtitas triplex.*

prâ in conjugio ob honeſtatem virtutis illi propriam. Hæ non ſunt virtutes habituales diſtinctæ ſecundùm ſe, ſed ſolùm ſecundùm diverſa ſubjecta, & propoſita. Caſtitas quandoque vocatur pudicitia, quatenus excludit impudicos aſpectus, tactus, oſcula, geſtus, ſermones.

189. *Virginitas duplex.* Reſp. 2. Virginitas dupliciter accipitur; 1. Pro carnis integritate, libidinoſæ corruptionis, & contagionis experte. Et ſic non eſt virtus, ſed congenita naturæ conditio. cum qua naſcimur, quamque inviti amittere poſſumus. 2. Accipitur pro virtute; eſtque caſtitas virtus in ſubjecto incorrupto, integritatis in perpetuum ſervandæ voto, vel efficaci propoſito firmata. Atque ſi voto firmata ſit, eſt perfectiſſima caſtitas, ſecundùm habitum tamen non diſtinguitur à minùs perfecta, ſed tantùm ſecundùm ſubjectum, & affectum perpetuum: Caſtitas enim eſſe poteſt in conjugatis, & corruptis pœnitentibus; ſed non virginitas, quæ reſpicit ſubjectum incorruptum & propoſitum, vel votum integritatis perpetuò conſervandæ. Unde duplex eſt virginitatis integritas, una carnis & velut materialis, alia animi ac voti vel propoſiti, adeoque formalis. Quare virgo integra poteſt eſſe, vel ſola carne, ùt adhuc impos rationis non violata; vel ſola mente, ùt, quæ munita voto, vel propoſito perpetuæ caſtitatis per injuriam citra omnem ſuam culpam eſt violata; vel mente & carne ſimul, ùt, quæ adhuc integra carne perpetuæ caſtitatis virginalis concepit, ſervatque propoſitum, vel votum. Integritas carnis amittitur per copulam carnalem, & voluntariam pollutionem, etſi in ſomno evenientem, ſi antè intenta

tenta fuit. In muliere etiam per aliam libidinoſam clauſtri virginalis violationem voluntariam. Integritas mentis amittitur per quodcunque peccatum lethale contra caſtitatem etiam merè internum: unde virgo, quæ ſolam ſuam animi integritatem per hoc violavit, perdit coram Deo virginitatis decorem, & meritum, quod tamen per pœnitentiam poteſt recuperare, & quia ab Eccleſia habetur virgo, & adhuc carne talis eſt, poteſt inter virgines velo conſecrationis donari. Quæ verò per ſtuprum violata eſt, retentâ mentis integritate, coram Deo virginitatis meritum non amiſit, non poteſt tamen, ſi violatio ſit notoria, velo virginitatis conſecrari. Sed de hoc vide Layman l. 3. ſ. 4. num. 9. Leſſ. l. 4. c. 2. d. 16. num. 118.

QUÆSTIO II.

Quæ ſint peccata Caſtitati oppoſita?

Reſp. Sunt omnes actus venerei inordinati tum in-tum externi, ùt extra Matrimonium moróſæ delectationes, deſideria turpia, impudici aſpectus, tactus, oſcula, verba obſcœna, quæ ſi fiant ſine ſeminis effuſione, vel deciſione, dicuntur luxuria imperfecta, & non conſummata. Item & peccata impudicitiæ; ſi verò fiant cum ſeminis effuſione, vel deciſione, ſunt luxuria conſummata, & dicuntur peccata immunditiæ, ùt copula non conjugalis, beſtialitas, ſodomia, pollutio voluntaria, &c. Utraque luxuria alia eſt naturalis, quæ etſi repugnet rectæ rationi, non eſt tamen contra finem 190. *Omnes actus venerei extra matrimonium*

naturæ, ſemen ordinantis ad generationem prolis, uti copula fornicaria; alia contra naturalis, quæ eſt contra naturæ finem, ùt pollutio, beſtialitas, ſodomia.

QUÆSTIO III.

Quæ ſint ſpecies Luxuriæ conſummatæ naturalis?

191. *Eſt unica caſtitati oppoſita, ſecus ſextuplex.* Reſp. Species luxuriæ conſummatæ naturalis, quæ caſtitati repugnet, unica eſt, nempe fornicatio: ſed quia hæc eſt quandoque contra alias ſimul virtutes; hinc communiter ſpecies luxuriæ conſummatæ recenſentur ſequentes; Fornicatio ſimplex, ſtuprum, adulterium, inceſtus, raptus, ſacrilegium. Quæ, utpote ſpecie diverſa, ſpeciatim in Confeſſione ſunt explicanda. Explico ſingula.

192. *1. Fornicatio intrinſecè mala.* 1. Fornicatio ſimplex eſt copula completa & perfecta ſoluti cum ſoluta ex conſenſu mutuo. Soluti dicuntur, qui nec Matrimonio juncti ſunt, nec voto, ſanguine, vel lege Eccleſiæ ex motivo virtutis lata, impediuntur, quò minùs poſſint inter ſe Matrimonium contrahere. Copula completa ſeu perfecta dicitur, quæ eſt ſufficiens ad generandam prolem, qualis non eſt copula Eunuchi. Ad fornicationem reducitur concubinatus, qui eſt fornicatio continuata. Quòd autem fornicatio ſit mortale peccatum, eſt de fide ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. dicente: *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Chriſti.* Quòd quoque ſit intrinſecè mala, conſtat ex communi Doctorum ſenſu: & ratio eſt, quia rectus ordo in Republica humana exigit, eam prohiberi,

beri, & quidem pro omni caſu, citra Dei ſaltem in particulari caſu diſpenſationem: quia non ſolùm repugnat bonæ, & debitæ prolis educationi & vitæ, cùm de natis ex vago fornicario concubitu parentes futuri eſſent parum ſolliciti; ſed etiam ſi in aliquo caſu eſſet licita, homines, in libidinem propenſi, facilè ſibi fingerent caſus, in quibus ſibi perſuaderent omnia reſpectu ſuî ceſſare incommoda, ſicque ſequeretur confuſio peſſima in Republica humana; dum nec parentes agnoſcerent proles ſuas, nec hæ ſuos parentes. Hinc Dei ſapientia, & ſanctitas exegit, ut univerſim prohiberetur, quia periculum malorum nunquam ceſſaret. Et Innocentius XI. damnavit hanc ordine 48. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia eſt interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.* An fornicatio fidelis cum infideli, ſpecie differat à fornicatione fidelis cum fideli, dubium eſt. Probabiliùs affirmat Lugo, & alii, eò quòd Eccleſia ex motivo religionis prohibeat matrimonium fidelis cum infideli, negant alii quidam. Quòd impedimentum criminis, dirimens matrimonium, non ſit ſtatutum ex motivo religionis, inter Authores facilè convenit. Hinc ſi conjugatus promiſſo matrimonio peccaret cum ancilla ſua, & uxore ſua deinde mortua, pergeret cum ea peccare, eſſet ſimplex deinde fornicatio.

2. Stuprum eſt copula perfecta cum virgine extra matrimonium. Unde corruptio & violatio virginis dicitur. Si fiat, virgine invitâ, per violentiam, vel dolum, aut fraudem repugnat ſimul juſtitiæ; ſi autem fiat ipsâ conſen- 193. *2. Stuprum.*

ſentiente, probabiliùs ſpecie non diſtinguitur à ſimplice fornicatione. Vide dicenda P. 3. num. 387.

3. Adulterium. 3. Adulterium eſt copula perſonæ conjugatæ cum non ſua, vel non ſuo. Continet malitiam mortalem duplicem, & quandoque triplicem, duplicem quidem tantùm, nempe unam contra caſtitatem, alteram contra juſtitiam; ſi una pars peccans ſit ſoluta: triplicem autem, ſi utraque pars ſit conjugata: tunc enim adulter ſuæ uxori, & viro mulieris, cum qua peccat, injuriam facit. Idem eſt de adultera. Idque verum eſt, etſi conjux conſentiret, ut ſua compars cum altero concumberet, ſecundùm dicenda P. 3. num. 296. Quòd autem adulterium ſit grave peccatum, eſt de fide ex Apoſtolo 1. Corinth. 6. dicente: *Neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* Et ratio eſt, quia in re gravi caſtitas & juſtitia violatur. Non habet tamen adulterium rationem ſacrilegii, quia nec ſpecialiter prohibetur intuitu Sacramenti, nec Sacramentum violatur immediatè in ſe. Continet tamen aliquam irreverentiam contra Sacramentum, quæ dicto peccato ſatis intelligitur. La Croix L. 6. P. 2. n. 1120.

194. *4. Inceſtus.* 4. Inceſtus eſt copula maris & fœminæ, inter quos ob cognationem ſeu naturalem, ſeu ſpiritualem, vel legalem, vel ob affinitatem non poteſt validum eſſe matrimonium: unde ſpecialem malitiam, in Confeſſione explicandam, contrahit 1 Qui copulam carnalem habet cum conſanguinea intra quartum gradum. 2. Qui eam habet cum affine, ſive affinitas proveniat ex copula licita, ſive ex illicita. 3. Qui eam habet cum ſuſcepta filia ex Baptiſmo, vel

Con-

Confirmatione, aut cum ejus parentibus &c. ſecundùm dicenda p. 4. n. 524. Idem probabiliter dicunt plures, ſi ſponſus peccet cum conſanguinea ſuæ ſponſæ in 1mo gradu, quia id ſpecialiter prohibetur ab Eccleſia ob reverentiam conjunctis debitam, ideo ſtatuente impedimentum, dirimens matrimonium ex motivo publicæ honeſtatis. Ità Lugo, Tamb. La Croix l. 6. p. 2. n. 1075.

Porrò certum eſt, quòd inceſtus inter perſonas, conjunctas cognatione ſpirituali, ſpecie differat, in Confeſſione explicandâ, ab aliis inceſtibus; quia prohibetur ob reverentiam Sacramentis debitam, etſi neceſſe non ſit dicere, an cognatio ſit orta ex Baptiſmo, vel ex Confirmatione, an peccatum ſit cum filia ſpirituali, vel cum ejus matre; quia pariter eſt contra reverentiam debitam perſonis ratione Sacramenti. An autem inceſtus cum conſanguineis diſtinguatur ſpecie ab inceſtu cum affinibus, aut conjunctis per adoptionem, dubium eſt. Negant probabiliter D. Thomas, Cajet. Tamb. Lugo: ſaltem, ſi maneatur in eodem gradu; quia ſemper peccatur contra reverentiam conjunctis debitam. Valde quoque probabiliter affirmant Vaſq. Dicaſt. & alii, quia conjunctio ob intrinſecam ſanguinis participationem videtur notabiliter eſſe diverſa, & fundare aliud reverentiæ debitum. At ſi primum gradum excipias, tanta non eſt diverſitas, quin, niſi lex poſitiva obſtaret, poſſet eſſe honeſtum, & validum inter ſanguine junctas perſonas matrimonium. 195. *An inceſtus diſtinguantur ſpecie.*

Similiter dubium eſt, an inceſtus in uno gradu v. g. conſanguinitatis ſpecie differat ab inceſtu in alio quocunque conſanguinitatis gradu.

du. Negant multi cum Diana, quia eſt ejuſdem rationis conjunctio, etſi una major alterâ. Affirmant alii multi, idque probabiliùs quoad primum conſanguinitatis, vel affinitatis gradum: nam notabiliter diverſa eſt difformitas in peccato filii cum matre, vel fratris cum ſorore, ab ea, quæ eſt in peccato, cum conſanguinea in ſecundo, tertio, vel quarto gradu. Item in peccato cum noverca, vel cum ſorore uxoris, quàm in peccato cum alia affine remotiore; unde inceſtuoſus explicare in Confeſſione debet, ac peccârit cum matre ſua, an cum ſorore, filia, noverca; ſi cum noverca, an patre ſuo adhuc vivente, quia tunc peccavit ſimul contra juſtitiam & pietatem. Cæterum inceſtus non eſt, ubi non eſt ſimul prohibitio matrimonii: hinc ſi Titius obtentâ diſpenſatione, ut cum conſanguinea ſua iniret matrimonium, ante hoc cum ea peccaret, inceſtum non committeret.

196. *5. Raptus.* 5. Raptus eſt violenta abductio perſonæ cujuſcunque de loco in locum diſſitum, & moraliter diverſum ab eo, in quo erat, libidinis exercendæ cauſa. Si abducatur conſentiens, non eſt raptus; ſi invita ob alium finem, eſt plagium, ſi violente abſtrahatur de conclavi in conclave, fit quidem injuria, ſicut ſi abducatur in locum remotum moraliter alium; non eſt tamen raptus ille famoſus, cui annexæ ſint pœnæ Eccleſiaſticæ. Uti nec, ſi mulier raperet virum, quia hæ ſtatutæ ſunt raptui ordinario: non ſolent autem mulieres rapere viros, quamvis mulier rapiens virum in conſcientia rea eſſet peccati raptûs. Vide dicenda P. 4. N. 547.

6. Sa-

6. Sacrilegium venereum eſt actus venereus, quo violatur vel perſona, vel locus, vel res ſacra, qua talis. Perſona ſacra eſt, quæ voto ſolenni caſtitatis eſt obſtricta, aut ſaltem voto ſimplici religionis approbatæ; locus ſacer, & res ſacra eſt, quæ vel per benedictionem, aut conſecrationem eſt ad cultum Dei deputata, aut ex inſtitutione ſua ad ſanctificandas animas eſt ordinata, ùt templum, Sacramenta, aqua benedicta &c. unde in hac materia etiam ſacrilegium aliud eſt perſonale, quo perſona, aliud locale, quo locus, aliud reale, quo res ſacra dehonoratur, continetque malitiam duplicem in Confeſſione explicandam; unam contra caſtitatem, alteram contra religionem. 197. *Sacrilegium venereum triplex.*

Hinc 1mò. Omnis actus tum in-tum externus luxuriæ, ſeu conſummatæ, ſeu non conſummatæ, à perſona voto ſolenni, vel religioſo caſtitatis obſtricta commiſſus, item omnis actus externus cum aut circa aliam tali voto obſtrictam, ùt ſunt perſonæ religioſæ, & in ſacro ordine conſtitutæ re vel deſiderio commiſſus, ſaltem ſi aſpectum excipias, eſt ſacrilegium perſonale, & quidem duplex, ſi utraque perſona ſit ſacra. Ratio eſt; quia talis perſona per votum corpus, affectuſque ſuos omnes, quoad voluptatem veneream cavendam, Deo conſecravit, & per Eccleſiam eſt deputata ad perpetuum Dei cultum, per obſervationem votorum exhibendum. An perſona voto ſimplici caſtitatis obſtricta peccando contra caſtitatem ſacrilegium committat, non perinde convenit inter Doctores. Affirmant plures, verùm Suar. Sanch. Caſtrop. tr. 17. d. 2. pu. 3. §. 2. n. 2. etſi fateantur dupli- *Perſonale.*

V 5 cem

cem contrahi malitiam ab illa ; negant tamen eſſe ſacrilegium propriè dictum , eò quòd per votum ſimplex non fiat perſona ſacra : hæc enim lege Dei, vel Eccleſiæ debet eſſe deputata ad cultum Dei ; talis autem perſona non niſi ad obſervationem ſui voti ſe aſtrinxit,ergo peccatum ejus, vel circa illam non eſt propriè dictum ſacrilegium perſonale. Sed alii tenent obſtrictum voto ſimplici caſtitatis eſſe perſonam ſacram , non quidem in foro externo & vulgariter , ſed in foro interno , ideoque ſi peccet contra caſtitatem , triplicem contrahere malitiam , unam contra caſtitatem , alteram contra fidelitatem , non implendo promiſſum, tertiam contra religionem, violando perſonam Deo ſacratam. Verùm ſi talis ſit perſona ſacra ; ergo, qui per votum immolaret Deo appetitum ſuum comedendi carnes , videndi ſpectacula , audiendi artificioſos cantus , etiam foret perſona ſacra , & agendo contra votum committeret ſacrilegium, quod nemo dicet. Unde negant Suar. Sanch. & alii triplicem contrahi malitiam , ſi obſtrictus voto ſimplici caſtitatis contra hanc peccet. Quare ſatisfiet in Confeſſione, ſi exprimatur peccatum & votum caſtitatis, præſcindendo, etiam juxta Suar. an ſimplex, an ſolenne fuerit.

Locale. 2. Sacrilegium carnale locale eſt omnis actus externus luxuriæ conſummatæ , etiam occultus , in loco ſacro commiſſus; utì fornicatio, pollutio , imò & copula conjugalis , niſi neceſſitas excuſet. *Ratio eſt :* quia tales actus ſunt contra reverentiam loci ſacri, & ab Eccleſia ejus intuitu prohibentur. Ità Suar. Sanch. Lugo , & alii contra Vaſq. Perez , & alios , putantes actus tales occultos non continere

tinere

tinere malitiam contra religionem, eò quòd locus ſacer tunc non polluatur; ſed ratio illa non videtur firma, quia ſi talis actus publicaretur, locus ſacer, v. g. templum eſſet pollutum, & non liceret in eo celebrare Miſſam; ergo ſignum eſt, quod ante violata fuerit reverentia, loco ſacro debita. Oſcula tamen, tactus impudici, turpiloquia etiam publicè facta in loco ſacro, probabiliter non habent rationem Sacrilegii mortalem. Ità Sanch. Diana, La Croix, niſi cum magna Eccleſiæ irreverentia fierent, ut ſi quis publicè meretricem ante Altare impudicè tangeret, vel turpem cantilenam publicè in templo caneret.

Porro per locum ſacrum hìc intelligitur Eccleſia conſecrata, vel benedicta, vel ſaltem publicâ Epiſcopi authoritate ad divina officia deputata: Item Capellæ in illa, & cœmiterium, pro ſepeliendis Defunctis benedictum; non autem Sacriſtia, nec turris campanarum, campanile, Cameræ Eccleſiæ adjacentes: in ordine enim ad illum effectum illud ſolum ſpatium templi locus ſacer dicitur, quod pertinet ad interiorem Eccleſiam, à tecto interiori uſque ad pavimentum, & à ſummo Altari ad parietem oppoſitum. Similiter in ordine ad illum effectum loca ſacra non ſunt monaſteria Religioſorum, eorumque cellæ, & cubicula. *Quis hìc ſit locus ſacer?*

3. Sacrilegium reale carnale eſt omnis actio, quâ quis re ſacra utitur, tanquam medio, vel occaſione ad actum turpem, aut per hunc aliâ ratione gravem irreverentiam infert rei ſacræ. Tale foret 1mò, ſi quis re conſecratâ, vel benedictâ abuteretur ad turpitudines, verba ſacræ Scripturæ applicaret rebus obſcœnis. 2. *Reale.*

Si

Si Euchariſtiam portaret ad infirmam, intendens, ut iſtâ occaſione turpiter agere poſſet cum ea. 3. Si Confeſſarius pœnitentem ſuam ſollicitaret in Sacramento, vel paulò poſt, vel quia facilem ad peccandum in Confeſſione advertit, vel cœpiſſet eum in finem agere cum ea familiariùs, quia eſt Confeſſarius: vel munus Confeſſarii ſuſcepiſſet, ut occaſionem haberet ad turpia: nam hæc cederent in gravem irreverentiam Sacramenti. Idem dic, ſi occaſione Confeſſionis turpes ſermones, vel tactus haberet cum pœnitente, mare, vel fœmina, etſi Confeſſio non ſequeretur. Imò etſi horum nihil adeſſet, adhuc fore Sacrilegium reale, ſi Confeſſarius cum filia ex Confeſſione fornicaretur, tenent S. Th. Sanch. & alii: quia Canones Cap. *Non debet* 30. q. 1. Et Cap. *Omnes* peccatum illud vocant inceſtum, & adulterium quoddam, redditque Sacramentum odioſum, & ſuſpectum. Unde eſt irreverentia contra illud. Vaſq. tamen Diana, Tamb. Lugo negant eſſe reale Sacrilegium contra Sacramentum, aut eſſe inceſtum, quia cognatio ſpiritualis non oritur, niſi ex Baptiſmo, & Confirmatione; nec apparet, quomodo fiat irreverentia Sacramento, jam præterito, dum peccatum non habet reſpectum ad illud, quo deficiente non videtur Sacramentum reddi odioſum: Canones autem illi peccato pœnam ſtatuunt, & vocant inceſtum propter ſimilitudinem aliquam cum Baptiſmo. Denique 4. juxta varios Sacrilegium foret quoque, ſi quis ſtatim poſt Communionem iret ad lupanar, vel concupiſceret, dum celebrat, communicat, dum adhuc ſacras ſpecies habet apud ſe, dum fert, vel diſtribuit Euchariſtiam Tamb.

putat

putat in his attendendum eſſe, an Chriſto gravis fiat irreverentia. Vid. La Croix l. 6. p. 2. n. 1041.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam?

Reſp. Hæ : Sodomia, Beſtialitas, & voluntaria Pollutio : Eſt autem 1mò Sodomia perfecta concubitus venereus perſonarum ejuſdem ſexûs, ùt maris cum mare, fœminæ cum fœmina ; imperfecta verò eſt copula maris cum fœmina in vaſe præpoſtero. Si mas cum mare concubans ſemen non effundat, erit Sodomia in affectu & incompleta ; ſi effundat extra vas, erit ſimul pollutio. Hujus deteſtandi ſceleris reus debet ſimul explicare in Confeſſione qualitatem ſuæ, & concubantis perſonæ, an nempe matrimonii, vel voti vinculo obſtricta ſit? an ſit conſanguinea &c. ? Item probabiliter an fuerit agens, vel patiens ? quia agens ordinariè reus eſt pollutionis ; quæ ſi etiam ex parte patientis intervenerit, debet quoque exprimi. Vide tamen in Analyſ. ſub N. 102. in fine. Si Conjuges committant Sodomiam, peccant ſimul contra reverentiam Sacramenti, & contra juſtitiam, quia neutra pars ſervat alteri corpus caſtè, quod ſpectat ad fidem matrimonii : unde eſt adulterium duplex. Porro pœnæ ſtatutæ Sodomitis ſpectant Sodomiam perfectam. 198. *Sunt tres 1. Sodomia.*

2. Beſtialitas eſt congreſſus venereus hominis cum beſtia. Qui hoc fœdiſſimo ſcelere ſe fœdavit, debet juxta La Croix explicare, an *2. Beſtialitas.*

cum

cum beſtia mare, vel fœmina, an modo beſtiis naturali, vel Sodomitico coiverit? an actum compleverit &c. quia actus, diverſimodè peracti, modo diverſo repugnant caſtitati; non eſt tamen opus dicere, cujus ſpeciei fuerit beſtia. Ad beſtialitatem reducitur concubitus cum Dæmone, qui repugnat religioni propter commercium cum capitali hoſte Dei. Hujus peccati reus, vel rea explicare in Confeſſione debet, an cum Dæmone in forma beſtiæ, vel hominis, maris, vel fœminæ, conjugatæ, vel religioſæ apparente concubuerit, ut intelligatur, an adfuerit ſimul malitia Sodomitica, adulterii &c.

3. Mollities. 3. Pollutio eſt voluntaria effuſio humani ſeminis extra copulam, ſive manibus, ſive alio modo procurata, ſive ſemen foris effundatur, ùt in maribus, ſive intus diffluat in matricem, ùt in fœminis.

Hæc peccata ſpecie differunt inter ſe, quia caſtitati modo notabiliter diverſo opponuntur: nam pollutio ei opponitur, ùt deteſtanti omne id, quòd generationem poſitivè excludit, Sodomia opponitur illi, ùt intendenti ſervare reverentiam erga parem ſexum & verecundiam circa modum coëundi naturalem; Beſtialitas verò, ùt vetanti, ne affectus hominis ad beſtias detorqueatur, fiatque quodammodo beſtialis. Vide damnatam 24. ab Alexandro VII. in Analyſi N. 100.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆS-

QUÆSTIO V.

An pollutio voluntaria ſic ſit intrinſecè mala, ut nullo caſu liceat eam directè intendere, vel procurare?

Reſp. Eſt ità intrinſecè mala, ut ſub mortali nullo caſu eam liceat directè intendere, aut procurare. Eſt nunc communis omnium contra Caramuel, qui docuit fornicationem, & mollitiem ſolo jure poſitivo divino eſſe prohibitam; ſed Innoc. XI. damnavit hanc 49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona. & aliquando obligatoria ſub mortali.* Ratio autem eſt 1mò; quia repugnat fini naturæ, ſemen humanum ordinantis ad generationem prolis, & propugnationem generis humani: hinc Scriptura Geneſis 38. pollutionem vocat rem deteſtabilem, & Deus nulli dedit Jus in ſemen extra matrimonium. Quare nihil licet ſumere, ut in ſomno effundatur, vel via ordinaria etiam ſine delectatione emittatur, aut corrumpatur. 2. Si liceret in aliquo caſu procurare illam, præſens eſſet periculum, ne homines excœcati, & voluptate abrepti extenderent illam licentiam ad plures caſus in detrimentum generis humani contra bona matrimonii, propagationem ſcilicet ſpeciei humanæ, & prolium educationem. Unde recta humanæ naturæ gubernatio exegit, ut Deus pro omni caſu eam prohiberet, etſi neceſſaria videretur ad vitæ conſervationem. Dixi *Voluntaria*: quia nullatenus voluntaria peccatum non

199. *Eſt intrinſecè mala abſolutè.*

non eſt, ùt conſtat ex dictis. Vide Analyſ. N. 102.

200. *Sæpe aliam malitiam habet adjunctam.* *Nota.* Pollutio ſæpe præter propriam malitiam adjunctam habet aliam, in Confeſſione explicandam, refuſam ex qualitate perſonæ ſe polluentis, vel perſonæ, in quam fertur affectio venerea, vel ex modo, aliave circumſtantia: nam 1mò. Si perſona agens ſit ſacra, vel conjugata, adeſt malitia ſacrilegii, vel adulterii. 2. Si adſit affectio venerea ad aliam perſonam, vel ſuppoſitum, quocum deſideretur carnale commercium; aderit malitia, vel adulterii, vel ſacrilegii, Sodomiæ, fornicationis, vel beſtialitatis, pro qualitate perſonæ, vel ſuppoſiti, in quod fertur. Idem dicit eſſe Cardenas, ſi quis ex vehemente imaginatione, quaſi peccaret cum alio, vel alia, ſe polluat, quia tunc pollutio ab illo motivo ſpecificatur. Non eſt tamen neceſſe explicare, an quis propriis manibus, an aliquo inſtrumento inanimato ſe polluerit, modò affectus non adfuerit ad aliquod vivens. 3. Aderit nova ſpecies malitiæ, ſi quis alieno tactu ſit pollutus, vel alium ipſe polluerit, aut ad id cooperatus ſit. Quare hæc in Confeſſione explicanda ſunt una cum qualitate perſonæ; quia ordinariè adeſt affectus venereus ad perſonam, adeoque vel fornicationis, vel Sodomiæ, vel adulterii.

Porro, qui copulam cœptam non abſolvit, ſed ſemen diſpergit, ne ſequatur imprægnatio, reus eſt fornicationis in affectu, & pollutionis in effectu. Quòd ſi copulam abrumperet non effundendo ſemen, juxta La Croix L. 6. p. 2. N. 1050. ſatisfaceret dicendo: feci turpem tactum cum voluntate fornicandi. Si ſine copula effuderit ſemen in alterius corpus, non erit neceſſe dice-

dicere in quam partem, modò non adfuerit affectus ad actum Sodomiticum.

QUÆSTIO VI.

An omnis delectatio venerea plenè deliberatè admiſſa extra conjugium ſit lethalis?

Nota. Delectatio alia eſt merè ſpiritualis, 201.
eſtque ſimplex complacentia voluntatis in ob- *Delecta-*
jecto, independens ab omni motu in corpore, *tio du-*
ſeu ſine ullo motu ſenſibili; alia eſt ſenſitiva, *plex.*
quæ eſt complacentia appetitûs ſenſitivi cum motu ſpirituum animalium in corpore circa pectus. Hæc alia eſt merè ſenſibilis, quæ quidem eſt conjuncta cum motu in corpore, ut quæ percipitur guſtu ex cibo, vel auditu ex muſica; ſed eſt ſine commotione ſeminis, & ſpirituum genitalium: alia eſt ſimul venerea, quæ eſt complacentia in objecto cum commotione ſeminis, ſpirituumque generationi ſervientium, ſentiturque circa partes genitales; oritur autem tum ex imaginatione, tum ex copia ſeminis. Dicitur venerea, quia ordinatur ad generationem, cui Præſidem Ethnici Venerem ſtatuebant. Dicitur etiam carnalis, & turpis, diſtinguiturque à ſcurrili, quæ capitur ex ſermone de excrementis, & ſimilibus. Delectatio merè ſenſitiva de objecto non malo poteſt vacare culpa; ſcurrilis per ſe tantùm eſt veniale, rationalis de objecto graviter malo, mortalis eſt, uti dictum p. 1. N. 386. De venerea hìc tantùm quæſtio eſt, in qua ante hac quidam putârunt, poſſe eſſe tantùm veniale, ſi modica ſit, & cum his etiam tenuit Sanch.

de Matrimonio L. 9. D. 46. N. 9. ſed ſcribens in Decalogum L. 5. C. 6. N. 12. ſententiam illam retractavit. Item Arr. de peccatis D. 46. N. 17. ſed & ipſe poſtea ſuam ſententiam revocavit, quæ doceri prohibita eſt in Societate JESU tanquam probabilis, vel tolerabilis. Hoc notato

202. *Affirmativa ſententia certa.* Reſp. Omnis delectatio venerea plenè deliberata, extra conjugium quæſita, aut admiſſa, eſt peccatum mortiferum, nec poteſt eſſe veniale ex levitate materiæ. Eſt communiſſima, & nunc moraliter certa ſententia. *Probatur* 1mò. Nam Clemens VIII. & Paulus V. Pontifices juſſerunt denuntiari inquiſitoribus docentes, mortalia non eſſe amplexus, & oſcula, licèt ſola delectatio venerea in eis placeret ſine ordine ad copulam. Et Alexander VII. damnavit hanc ordine 40mam: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, tantùm eſſe veniale oſculum, habitum ob delectationem carnalem & ſenſualem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo conſenſûs ulterioris, & pollutionis periculo.* Per delectationem carnalem hìc intelligitur venerea: dum enim dicitur, ſecluſo periculo ulterioris conſenſûs, nempe in fornicationem, vel aliud opus turpe, ſupponitur conſenſus in delectationem veneream, ortam ex oſculo.

Probatur 2. Quia omnis delectatio venerea ex natura ſua ordinatur ad ſeminis effuſionem, eſtque inchoatio quædam illius: ad hoc enim ordinavit naturæ auctor ſpiritus genitales, ſemini in- & adhærentes, ut imaginatione, vel affectu venereo excitati ad partem genitalem deſcendentes, moverent ſemen ad effuſionem pro generatione; ergo

cùm

cùm ſeminis effuſio extra conjugium ſit mortalis, omnis actus ad eam per ſe tendens extra conjugium eſt mortalis: nam non eſt in poteſtate hominis; ut tantùm parum moveat, & diſpoſitio ſumit ſuam ſpeciem, & malitiam moralem à forma, ad quam diſponit, motus à termino, ad quem tendit, medium à fine, cauſa à ſuo effectu. Confirmatur: nam, uti rectè ait Pallav. de arte perfectionis Chriſtianæ, omnis delectatio venerea fertur in voluptatem ultimam, quæ cùm extra conjugium ſit graviter prohibita, non poteſt non eſſe mortalis. Antec. prob. omnis enim voluptas concupiſcibilis provenit ab imaginatione vivaciore aut obtuſiore finis, & actûs ultimi, ad quem ex natura ſua tendit; conſequenter omnis delectatio venerea tendit ad effuſionem ſeminis, quæ cûm ſit extra matrimonium graviter prohibita, non poteſt vacare culpâ mortali, ſi ſit plenè deliberata.

Probatur 3. Etſi daretur, quòd delectatio venerea modica non multùm moveat de ſe ad ſeminis effuſionem; attamen recta gubernatio generis humani, & commune bonum exigit, ut omnis delectatio talis, quantumvis modica plenè deliberata ſit extra conjugium graviter prohibita: ergo de facto ſic eſt prohibita, & mortifera. Antecedens probatur: nam conſtat inter omnes, quòd, moraliter, & practicè loquendo, minima delectatio venerea quæſita, vel deliberatè admiſſa, ſecum ferat periculum gravioris, & peccati mortalis extra conjugium: nemo enim in hac materia tam lubrica poteſt determinare levitatem, aut dicere: hâc tantùm me delectatione oblectabo: ſicut injiciens ignem pulveri pyreo, non po-

teſt dicere : hucuſque tantùm volo pulverem accendere ; ergo, ratione periculi ſaltem, prohiberi debebat graviter : qui enim vult periculum proximum peccati gravis, vult interpretativè peccatum grave. Ratio autem antecedentis à priori eſt, quia applicatâ potentiâ ſenſitivâ ad delectationem veneream, etiam modicam, ſtatim vehemens naturæ corruptæ inclinatio in venerea auget illam, & hinc periculum majoris proximum, volenſque modicam vult majorem, in cauſa per ſe proxima : magnam autem extra conjugium graviter prohiberi exigit recta gubernatio, & bonum commune generis humani : quia cùm venialia paſſim parum curentur, ſi illa ſolùm ſub veniali prohiberetur ; inflammaretur totum genus humanum, invaleſceret vitium contra naturam, & fornicatio, derogaretur bonis matrimonii : quia plerique nollent ejus onera ſubire, ſicque ſequeretur corruptio, & ordo turbaretur totius naturæ humanæ, cujus auctor ordinavit voluptates illas pro alliciendis hominibus ad ordinatam generis humani propagationem. Unde rectè exclamat Pallavicinus : *Væ generi humano, ſi delectatio venerea ſub veniali tantùm eſſet prohibita !*

203. *Secus, ſi non ſit plene libera.* Dixi 1mò : *Plenè deliberata venerea* : nam ſicut delectatio venerea, libertatem omnem præveniens, & animadverſa, quàm diu feriò diſplicet, peccatum non eſt ; ità mortale non eſt, niſi plenè deliberata admittatur : delectationes autem ſenſibiles non venereæ, nec de objecto graviter malo, licet earum aliquæ, præſertim vehementiores, ſint remotè aptæ motus venereos excitare, per ſe tamen loquendo peccata mortalia non ſunt, modò non intendantur

dantur motus venerei, dumque fortè ſequuntur, abſit periculum conſensûs in illos, delectationemque veneream. *Ratio eſt*, quia recta gubernatio naturæ humanæ, bonumque commune nullâ ratione videtur exigere, ut graviter prohibeantur. Imò nimis dura foret gravis earum prohibitio, v. g. delectationis ſenſitivæ ex tactu alienæ manûs, oſculi ex more patriæ ob honeſtum finem facti, cùm oſcula, & tactus non obſcœni ſenſibiliter delectabilia per ſe mala non ſint; futuræque ſint in cœlo ſenſibiles delectationes. Addidi: *per ſe loquendo:* nam rectè monent omnes, cautelâ opus eſſe, & licèt multi apud La Croix L. 3. N. 894. doceant, non eſſe mortale, velle delectationem ſenſibilem, quæ oritur ex oſculis & tactibus non obſcœnis, quia de ſe nec venerea, nec mala eſt; quia tamen, quàm diu ſumus in hac mortali & fragili, inque ſenſibilia prona carne, videtur fieri moraliter non poſſe, ut tali delectatione ſenſibili, deliberatè quæſita, non adſit periculum proximum delectationis venereæ: hinc ſententia illa non videtur practicè probabilis, probatque Sanch. de matrimonio L. 9. Diſp. 46. N. 7. tenentque omnes, eſſe mortale, quærere delectationem ſenſibilem ex objecto per ſe turpi, quia aderit ſimul delectatio venerea, in quam pariter conſentiet voluntas. Et idem erit, ſi ex objecto non turpi, v. g. tactu manûs, oſculo intendatur ſenſibilis delectatio notabilis. Excipe oſculum nullo modo periculoſum, ut dum mater oſculatur ſuum infantem. 204.

Dixi: *Extra conjugium:* Nam ſicut actus copulæ conjugalis, & actus illum præcedentes & comitantes, conjugibus ſunt liciti, nec *Quid circa eã liceat conjugatis.*

per ſe loquendo, etſi modum excedant, peccent graviter, dummodo copula ſit accommodata generationi; itâ non videtur delectatio venerea conjugi circa ſuam compartem eſſe mortalis, dum alter conjux abeſt, ſecluſo tamen pollutionis periculo. La Croix L. 6. p. 3. N. 337. ex S. Thoma, S. Antonino &c. quia vi ſtatûs conjugii delectatio illa eſt conjugi licita; quòd autem hîc & nunc propter abſentiam conjugis explicitè non ordinetur ad actum conjugii, non videtur inordinatio gravis, cùm ſit velut medium de ſe illi licitum. Deinde prohibitio illa ſub mortali redderet ſtatum conjugii nimis periculoſum: Unde recta gubernatio non videtur exigere, ut graviter conjugi prohibeatur, cùm per hoc non præjudicetur bonis matrimonii, nec ſemper adſit periculum proximum pollutionis, ſed multis modis, cùm delectatio non eſt vehemens, à voluntate cohiberi poſſit. Rationem dat Suar. de peccatis Diſp. 5. Sect. 7. N. 9. quia actus cogitatus eſt conjugi licitus eo tempore; ergo delectatio de illo cogitato non eſt mala graviter ex objecto: nam actus reipsâ poſitus, & delectatio in illo poſita, mala non eſſet. Ex quo è contrario patet, cur conjux graviter peccet delectando de copula, aliove actu venereo cum non ſua, vel aliena; quia nempe actus cogitatus eſt illi graviter prohibitus, & reſpectu illius intrinſecè malus. An autem conjux contrahat ſimul malitiam injuſtitiæ, qui oblectat ſe de actu cum non ſua, dubium eſt. Negat probabiliter Caſtrop. tract. 2. diſp. 2. p. 10. §. 4. n. 4. Tamb. & alii, eò quòd non videantur conjuges ſe obligare ad vitandos illos actus merè internos inefficaces. Affirmant probabiliter Lugo de

pœnit.

pœnit. D. 16. N. 387. eò quòd conjuges per contractum matrimonii reddant ſibi illicitam omnem delectationem veneream circa alienam, tanquam inchoativè repugnantem fini matrimonii. Quòd autem conjux per delectationem de actu cum aliena uxore non faciat injuriam ipſius marito, ex eo ait eſſe, quòd ſe illi non obligaverit. An conjux, extra occaſionem copulæ conjugalis, ſe libidinosè cum delectatione venerea tangens, mortaliter peccet, majus dubium eſt. A mortali eum excuſat Sanch. de matrimonio L. 9. D. 44. N. 16. Perez de matrim. D. 54. S. 2. N. 6. ſi abſit periculum pollutionis. Contradicunt alii apud La Croix L. 6. p. 3. N. 339. eò quòd conjux non habeat Jus utendi ſuo corpore in ordine ad voluptatem veneream ſecum, ſecluſo altero conjuge explendam, tactuſque ille extra occaſionem habendæ conjugalis copulæ, tendat ad pollutionem. At cur non æquè delectatio ſimplex abſente conjuge erit mortalis, cùm & ea ſit inchoatio effuſionis ſeminis, etſi capiatur ex motu carnis ſpontè exurgente? Ex dictis reſolves ſequentia.

1mò. Peccat graviter vidua venereè oblectans ſe copulâ, in matrimonio habitâ; tum quia copula per imaginationem repræſentatur, ùt præſens, & in eam, ùt ſic repræſentatam, fertur delectatio ſenſitiva; copula autem actualis eſt illi nunc illicita: tum quia commotio venerea eſt inchoatio novæ copulæ, quæ viduis eſt illicita. 2. Peccat graviter Sponſus, venereè ſe oblectans copulâ in matrimonio habendâ: quia copula reſpectu illius adhuc eſt graviter prohibita, & delectatio ejus fertur in eam, ùt præſentem. 3. Conjux in tali dubio 205. *Corollaria.*

de matrimonio, ut debitum conjugale non poſſit petere, peccat graviter ſe venereè oblectando extra uſum matrimonii, quia, qui ad hunc Jus non habet, nec illi licet delectatio venerea extra illum.

QUÆSTIO VII.

An ſit peccatum mortiferum, poſt ſufficientem advertentiam negativè ſe habere ad delectationem veneream exortam, eam neque approbando, neque reprobando?

206. *Practicè loquendo, eſt obligatio poſitivè, ſaltem indirectè reſiſtendi.*

Reſp. Practicè loquendo eſt obligatio gravis delectationi venereæ, etiam naturaliter ex motibus carnis ortæ in non conjuge, reſiſtendi poſitivè vel directè vel indirectè, vel ſaltem per poſitivam diſplicentiam abſolutam. Ratio eſt 1mò. Quia qui nequidem per actum diſplicentiæ reſiſtit, exponit ſe periculo proximo conſenſûs in delectationem, cùm motus turpes ad hanc approbandam ex ſua natura voluntatem invitent, & trahant, eoque fortiùs, quò magis permittuntur augeri ob ſympathiam voluntatem inter, & appetitum ſenſitivum. 2. Quia, qui planè negativè ſe habet, cùm facilè poſſet poſitivè reſiſtere, v. g. mentem applicando ad alia, convincitur, non illubenter habere tales motus, eſſetque, inquit Sanch. temeraria præſumptio, credere, tum non adeſſe periculum conſentiendi. Quòd, ſi abeſſet, per ſe, ſpeculativè probabiliter, non foret ſaltem grave, poſitivè non reſiſtere, uti tenet Cajetanus, Tamb. aliique multi, quia juxta

juxta communem ſententiam, quando tales motus oriuntur ex cauſa de ſe honeſta, non eſt obligatio ab ea abſtinendi; ergo multò minùs iis poſitivè reſiſtendi, ſed in utroque caſu permitti poterunt. Unde inquiunt, gratìs aſſeritur præceptum affirmativum illis poſitivè reſiſtendi, cùm ſatis ſit, ità gubernari appetitum à voluntate, ut hæc in ejus actus inhoneſtos non conſentiat, quod ſolùm exigit præceptum: *Non concupiſces.* Verùm etſi hæc ſpeculativè probabiliter dicantur, in praxi reſiſtendum eſt vel directè poſitivè (id quod tamen ſæpè non expedit præſertim meticuloſis, quia ſollicitudo anxia, & reflexa cogitatio auget tentationem) vel indirectè, mentem convertendo ad alia ſeriò cogitanda, vel agendo actionem aliam indifferentem, aut illi, quæ præ manibus eſt, animum magis applicando, aut, ſi tentatio perſeveret, ſibi dolorem imprimendo, Crucis ſignò ſe muniendo, confugiendo ad Chriſti vulnera, Beatiſſimam Virginem, Angelum Cuſtodem, vel eliciendo actum Fidei de inferno, vel actum Charitatis, & contemnendo, aut negligendo tentationem, ùt impertinentem. Hic modus optimus eſt. Omnia tamen pacatè ſine perturbatione, & ſignis externis agenda ſunt. Si motus ſint leves, ſunt contemnendi, & agendum, quod aliàs feciſſes. Vel denique ſi aliud facilius non ſuppetat, ſufficiet, elicere actum poſitivæ diſplicentiæ abſolutæ: ponendo enim diſſenſum impeditur conſenſus. Cæterùm ſine rationabili cauſa non reſiſtere poſitivè, etſi periculum non adeſſet conſensûs, videtur non vacare culpâ omni, quia motus illi important inordinationem contra rectam ratio-

nem, ſecundùm quam voluntas gubernare debet appetitum ſenſitivum, cenſeturque præceptum: *Non concupiſces:* quatenus ſecundariò eſt affirmativum, id exigere.

QUÆSTIO VIII.

An delectatio moroſa de actu luxuriæ v.g. de copula, oſculo, tactu contrahat præter propriam ſpeciem malitiæ, etiam aliam v.g. adulterii, inceſtûs ex qualitate perſonæ, circa quam verſatur?

Reſp. Si ſimplex moroſa delectatio feratur
207. formaliter in ſolam delectabilitatem veneream objecti, vel actûs; in qualitatem verò perſonæ, circa quam verſatur, tantùm materialiter, non contrahit aliam, extra materiam luxuriæ, ſpecie malitiam v.g. adulterii, ſi verſetur circa conjugatam, vel ſacrilegii, ſi circa perſonam ſacram. Ità probabiliùs La Croix L. 6. p. 2. n. 1024. aliique multi, ab illo citati contra Sanch. Lugonem, & alios. *Ratio eſt*, quia delectationes ſimplices non tendunt in objecta, ùt ſunt à parte rei; ſed ùt ſubſtant cognitioni, & delectabiliter movent; atqui, ſi ferantur tantùm materialiter in qualitatem perſonæ, vel objecti v.g. in circumſtantiam conjugii, illa non movet delectabiliter: ergo nec contrahitur malitia ex illa. *Confirmatur.* Delectatio de objecto prohibito ideo mala eſt, quia voluntas illud affectivè approbat, eique ſe conjungit; atqui illud non approbat, niſi ſecundùm rationem, quæ delectat, ergo nec aliam malitiam contrahit: unde, qui delectatur

Probabiliùs non contrahit.

tur de copula, modò cum conjugata, modò cum religioſa, modò cum conſanguinea præcisè ſecundùm ſe, non contrahit malitiam adulterii, ſacrilegii, inceſtûs: quia circumſtantiæ conjugii, voti, ſanguinis non movent; ſed voluntas ab iis affectivè præſcindit. Imò circumſtantiæ illæ potiùs deterrerent, ſi voluptas abeſſet. Secus dicendum, ſi quis delectaretur de copula cum conjugata, ùt tali, utì ſi gauderet de adulterio à ſe patrato cum uxore inimici ſui, huic favendo dedecus uxoris violatæ.

Nec obſtat: quòd delectatio de copula cum aliqua Beata ſit ſpecie diverſa: nam Beatis ſpecialis debetur reverentia etiam mentalis.

Neque urgent rationes adverſæ partis: nam dicunt aliqui, ſemper adeſſe periculum proximum operis externi, aut ſaltem deſiderii ejus: ſed id verum non videtur, cùm multi delectentur objectis obſcœnis, & averſentur operis executionem. Alii putant, plerumque adeſſe deſiderium exequendi opus externum, verùm, quamvis in aſſuetis ejusmodi delectationibus moroſis, aut quando delectatio eſt vehemens, ſæpe adſit deſiderium, ſaltem inefficax, operis externi exequendi, niſi pudor aut infamia, vel alterius mali periculum retraheret; id tamen non eſt ſemper verum. Alii ſic arguunt: Circumſtantiæ ſunt cognitæ, utì ſupponitur, ergo ſunt objectum actûs; actus autem ſpecificantur ab objectis; ſed hoc argumentum eſt exigui roboris: qui enim videns inimicum ſuum malè tractari in loco ſacro, & de hoc gaudet, pro objecto etiam habet locum ſacrum, & tamen non contrahit ſpeciem ſacrilegii, ſi non delectetur de circumſtantia

loci violati, ùt talis. Similiter, qui delectatur verbis contumelioſis, in alterum jactis, non ùt contumelioſa, ſed ùt facetiæ ſunt, cognoſcit injuriam, nec tamen malitiam injuriæ contrahit. Et idem eſt de aliis ejuſmodi. Ob has rationes Leſſ. ait, Sententiam noſtram ſibi ſemper viſam eſſe valde probabilem; rectè tamen addit, ab aſſuetis malè delectandi addendam in Confeſſione circumſtantiam perſonæ ob periculum deſiderii.

208. *Secus dicendum de deſideriis.* *Dixi* in Aſſertione: *Delectatio ſimplex*: nam deſideria: cùm ferantur in opus externum à parte rei ponendum; circumſtantia autem à parte rei ſeparari non poſſit ab objecto, ſpecie diſtinguuntur non tantùm à moroſa delectatione de illis objectis: ſed etiam ſingula à ſe invicem, quando tendunt in objecta vel circumſtantias ſpecie diſtinctas. Unde 1. Qui ſemel turpiter delectatus eſt de actu turpi, ſemel eum ponere deſideravit, tenetur id exprimere in Confeſſione. 2. Qui ſemel deſideravit turpiter aſpicere, ſemel tangere, &c. tenetur objecta exprimere, etſi tantùm deſideràſſet ſub conditione, ſi liceret, ſi auderet; quia conditio non removet intrinſecam malitiam objectivam, & conſenſus non eſt conditionatus reſpectu delectationis intentionaliter præſentis; nec eſt neceſſe exprimere, an actus circa objectum fuerit abſolutus, an conditionatus, ùt docet La Croix l. 6. p. 2. num. 1032. cum Averſa contra Illſung. 3. Qui concupivit mulierem, non reflectens, an eſſet libera, an conjugata, &c. & nullam habuit advertentiam ad has circumſtantias, contraxit tantùm malitiam fornicationis. Si dubitet, an ſaltem reflexerit confusè, tum, ſi antè abhorruit ab adul-

adulterio, ſacrilegio, inceſtu, præſumi poteſt; quòd tantùm fuerit deſiderium ſimplicis fornicationis, niſi fortè concupiſcentia fuerit valde vehemens. Si autem ſolitus eſt obvias quaſcunque concupiſcere, eſt omnium reus; quia aliquo modo advertit, & animus erat ad omnia paratus. Hinc accuſare ſe debet de deſideriis cum tali comparatione animi habitis. Si denique ſatis advertit, non eſſe conjugatam, conſanguineam, non præſumitur malitia adulterii, inceſtûs, &c. contracta.

QUÆSTIO IX.

An delectationes ſimplices in materia venerea diſtinguantur ſpecie morali in Confeſſione explicanda?

Dubium hoc non levem Confeſſariis, qui 209. conantur ſuo officio exactè fungi, creat moleſtiam: nam ex una parte communior in ſcholis ſententia habet, quòd delectationes ſimplices v. g. de copula, oſculo, ſodomiâ, beſtialitate, pollutione diſtinguantur ſpecie, ſintque in Confeſſione explicandæ, etſi in actum externum non prodeant; ex altera parte periculoſum eſt interrogare pœnitentes, de quo objecto cogitaverint, & delectati ſint: facilè enim ſcandalizabuntur, nimiæ curioſitatis arguent Confeſſarios, & reſponſa dabunt, quæ aures offendant. Et fortè ideo communis Confeſſariorum, quorum multos, in Theologia bene verſatos, deſuper interrogavi, praxis habet, ut non jubeant pœnitentes elicere objecta venerea, de quibus ſimpliciter, & nudè ſunt delectati, ſed, accuſantes ſe de turpibus cogi-

Communior affirmat.

cogitationibus, interrogent, an conſenſerint in delectationem; ſi affirment, pergant interrogare, an non adfuerit turpe deſiderium actûs alicujus externi, an nihil mali in iis actum v.g. tactu, &c. ſique negent, petant delectationum numerum, & quoad ſpeciei explicationem acquieſcant. Atque ità ſententiam Arriagæ de peccatis d. 47. num, 25. Berteau, & aliorum apud Dianam 1. p. tr. 7. reſolut. 48. & p. 2. tr. 8. miſcell. reſolut. 34. negantem, delectationes ſimplices in hac materia diſtingui ſpecie morali, tacitè approbant, tanquam probabilem, cui nec deeſt ratio.

Nam 1. Licèt actus (quod eſt fundamentum communioris in ſcholis ſententiæ) ſpeciem ſuam deſumant ab objectis ſecundùm dicta 1. p. n. 37. & 341. non deſumunt tamen illam ab eis, niſi ſecundùm quod in objecta tendunt, aut ab iis moventur: ſic, licèt ſint mala ſpecie diverſa, in quæ tendunt imprecationes; hæ tamen ſpecie non differunt, ſi tendant in mala ſecundùm rationem communem mali, ùt habet probabilis ſententia, niſi adſit intentio ea inferendi. Idem videtur de triſtitia de alterius bono, & gaudio de illius malo. Item licèt ſint diverſa objecta adulterium, inceſtus, fornicatio; attamen ſimplices delectationes de iis, non ùt talibus, ſed præcisè, ùt ſunt carnalis côpula, ſpecie non differunt: jam verò delectationes venereæ ſimplices videntur ordinariè ferri præcisè in delectabilitatem, ortam ex motu ſeminis, & ſpirituum generationi ſervientium, quæ eadem eſt, ſive ex hoc, ſive ex illo objecto cogitato oriatur: proinde videntur non differre ſpecie morali.

2. Objecta in delectationes ſimplices malitiam

tiam non refundunt, niſi in quantum delectant; atqui non videntur delectare, niſi in quantum vim habent commovendi ſpiritus genitales, & ſemen; hæc autem vis non videtur eſſe ſpecie morali diverſa: proinde actus voluntatis, in eam tendens, non participat malitiam ſpecie diverſam. Expendantur dicta n. 198. in fine.

3. Turpiloquium, ſi tendat in objecta venerea, ùt videtur plerumque fieri, ſecundùm rationem communem non contrahit malitias ſpecie diverſas, nec tenetur objecta explicare in Confeſſione, neque Confeſſarii de iis interrogant, ergo à pari.

4. Delectationes ſimplices de oſculis, amplexibus, tactibus venereis ex natura ſua tendunt, & ordinantur in voluptatem ultimam, obtusâ ſaltem cognitione propoſitam; proinde ſemper ſpeciem ab ea participant, & quando pœnitentes ſe accuſant de delectationibus turpibus, de ea ſe accuſant, hæc autem intellecta, ſatis intelligitur ſpecies peccati; ſicut, qui delectatur de tactibus, oſculis, & copulæ cogitatis, ſi ſe accuſet de delectatione copulæ, ſatis intelligitur tota malitia ſecundùm dicta P. 1. n. 356. Unde videtur ſaltem ſatisfacere Confeſſarius, ſi pœnitentem interroget, circa qualem perſonam, vel ſuppoſitum fuerit delectatio, an circa hominem, marem, vel fœminam, ſeipſum, &c. Sic enim intelligitur actus ultimatus; & quia ordinariè tendit in naturalem copulam, puto, niſi aliud circumſtantiæ indicent, non eſſe anxiè indagandum, præſertim, cùm minus malum ſit Confeſſionem non eſſe exactam omnino, quàm pœnitentem ſcandalizari.

Hæc

Hæc ſunt, quæ pro praxi Confeſſariorum occurrunt, quàm autem probabilem faciant ſententiam negantem, diſtingui ſpecie delectationes venereas ſimplices, relinque doctioribus expendendum. Si dicas, delectatio merè ſpiritualis differt ſpecie ex objecto. Reſp. Si verum eſt, id ex eo eſt, quia non ſub communi ratione delectabilitatis in objectum tendit. Sed & vix erit ſpiritualis, niſi orta ex ſenſibili, & ejuſdem cum illa ſpeciei. Nam non eſt in poteſtate hominis de objecto turpi cogitato, ùt præſenti, merè ſpiritualiter delectari; & vix eſt, qui taliter delectetur. Vide Analyſin num. 101. & 103. S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 4. ubi quærit, utrum in tactibus & oſculis conſiſtat peccatum mortale; cumque pro ratione dubitandi tum verba Apoſt. Epheſ. 5. quibus à regno cœlorum excludit, qui fornicationem, non verò, qui tactus & oſcula committunt; tum quòd tactus & oſcula non impediant bonum prolis generandæ & educandæ, ùt fornicatio; tum denique, quòd tactus & oſcula poſſint bene fieri; reſpondet in O. Quòd tactus, oſcula, & amplexus non ſint mortalia ſecundùm ſpeciem ſuam, ſecus, ſi fiant ex libidine; quia tunc datur conſenſus in delectationem fornicationis, quæ mortalis eſt. Unde ſequitur, quòd ex mente S. Thom. delectationes de oſculo, tactu, complexu ſpeciem deſumant à fornicatione, & ſpecie non differant. Quare, ſi pœnitens ſe accuſet de turpi delectatione, & facto examine, deprehendatur ſimplex delectatio interna, nec ſit prudens ſuſpicio, quòd pro objecto habuerit aliquid contra naturam, ùt plerum-

plerumque non habet, Confeſſarius poterit acquieſcere, ne in examinando nimius ſit. Vide Analyſ. n. 102.

QUÆSTIO X.

An, & quando peccata mortalia, vel venialia ſint oſcula, tactus, amplexus, & aſpectus?

Reſp. 1. Si fiant animo venereo, etiam in partibus honeſtis, ſunt mortalia extra conjugium, ùt conſtat ex dictis; & ſpectant ad ſpeciem actûs conſummati, quia ſunt ejus quædam inchoatio contra conditionem perſonæ. Hinc hujus qualitas in Confeſſione explicanda eſt, ſaltem, ſi aſpectum excipias, qui cùm magis præſcindat quàm tactus, nec ſit violatio perſonæ, probabiliter non differt ſpecie, ſive perſona aſpecta fuerit conjugata, ſive libera. Non eſt tamen neceſſe explicare, in qua parte corporis factus ſit tactus, vel oſculum: eſt enim tantùm circumſtantia aggravans. 210. *Mortalia ſunt, ſi fiant animo venereo.*

Reſp. 2. Si actus illi fiant ſine animo venereo, nec ſint cauſa proxima per ſe motûs venerei, ſed fiant ex rationabili cauſa, peccata per ſe non ſunt; ſi fiant obiter ex petulantia, levitate, vel curioſitate, ſine animo venereo, & periculo conſensûs, venialia non excedunt; ſecus ſi fierent cum mora, & repetitione, quia adeſſet periculum proximum conſensûs. 211. *Secus, ſi amicitiæ cauſâ tantùm.*

Reſp. 3. Tactum in parte honeſta v. g. manu, vel oſculum alteri permittere amicitiæ causâ, ex more patriæ, ſi abſit delectatio venerea, & periculum conſensûs in eam, fortè ortam naturaliter, culpâ vacare poteſt, niſi conſtet 212. *Quid de permittente ea?*

de alterius mala intentione ; tactum permittere in parte obſcœna, mortale eſt, niſi neceſſitas v. g. medendi excuſet.

QUÆSTIO XI.

Quale peccatum ſit, turpes cogitationes non excludere, turpes miſcere ſermones, vel cantilenas obſcœnas cantare, ad ea ridere, cum altero ſexu ſaltare?

213. *Cogitatio practica, & ſpeculativa.* *Nota.* Cogitatio de objecto delectabili duplex eſt: Practica nempe, & ſpeculativa. Practica eſt, quâ quis objectum, aptum delectare, ſibi repræſentat modo delectabili id eſt, ùt ſenſui ſuo conveniens, & delectativum carnis. Speculativa eſt, quâ quis ſibi repræſentat objectum delectabile præcisè ſecundùm ſe, abſque relatione ad ſenſum: ùt, ſi quis diſcurrat cum aliquo pro reſolvendo caſu in materia venerea: Hoc notato

214. *Inhærere practicæ illicitum, non verò ex juſta cauſa ſpeculativæ.* Reſp. 1. Plenè deliberatè immorari cogitationi practicæ de rebus venereis, præſertim, ſi vivacior ſit, eſt peccatum mortale, quia per ſe proximè determinat ad delectationem veneream; immorari autem illi ſemiplenè ſolùm deliberatè, eſt tantùm veniale; ex juſta verò cauſa cognitioni ſpeculativæ operam dare, ſi abſit periculum conſensûs in delectationem veneream, fortè orituram, culpâ vacat. Sic poteſt quis licitè ſtudere caſibus ad audiendas Confeſſiones, examinare conſcientiam circa peccata venerea, audire Confeſſiones, reſolvere caſus; quia tales cogitationes de ſe malæ non ſunt, nec per ſe provocant ad Venerem,

rem. Quòd ſi inde oriatur cogitatio practica aut delectatio, id per accidens eſt, debetque reprimi. Si demum quis ex mera curioſitate ſpeculativè cogitet de venereis, vel legat; veniale tantùm erit, modò abſit deliberata delectatio venerea, cujus periculum tunc rarò abeſt in hac materia lubrica.

Reſp. 2. Si turpiloquia fiant cum delecta- 215.
tione venerea, deliberatè admiſsâ, vel quæſitâ, culpâ mortali non vacant, ùt conſtat ex dictis. Idem eſt, ſi quis per ea ſe, vel alios periculo probabili conſenſûs exponat: ſi autem, his ſeclusis, turpiloquia ex levitate, petulantiâ, vel ruſticitate fiant, quaſi de longè abſentibus, & ſuperficie tenus, culpa tantùm venialis erit. Sed quia rarò abeſt periculum in proferentibus, aut audientibus turpia, præſertim, ſi ducantur obſcœni diſcurſus coram juvenibus, & infirmis in virtute, rarò abeſt culpa mortalis, & quidem, ſi quis aliis probabiliter fuit cauſa ruinæ ſpiritualis, explicari debent qualitates perſonarum, & numerus, ſaltem, ut fuit apprehenſus. Quod dico de turpiloquiis, idem dicendum de lectione, cantilenis, geſtibus, ſpectaculis obſcœnis, à quibus omnibus graviter dehortandi ſunt pœnitentes, quia turpia audita, lecta, viſa relinquunt ſpecies ſuî, & ſemen peſſimum, quod generat turpes cogitationes etiam poſt plures annos.

In turpiloquiis ſpectandus animus, & circumſtantia.

Reſp. 3. Ridere ad turpia cum delectatio- 216.
ne venerea, aut ex hac promovere diſcurſum de iis, in non conjugatis mortale eſt; ridere verò, ſi abſit delectatio venerea, ex reſpectu humano, ne videaris alium corrigere, aut notam inurbanitatis incurras, vel ob ſcurrilitatem, modumve proferendi ruſticum, eſt per

Uti & in riſu ad turpia.

ſe veniale tantùm, modò diſcurſum non promoveas cum periculo tuo, vel aliorum. Quod cùm facilè adſit, cavendi ſunt riſus iſti voluntarii, ſique voluntatem præveniant, quoad fieri poteſt, reprimendi ſunt; obſequium Deo præſtant, qui turpia loquentes corrigunt, ſaltem ad alia ſermonem divertendo, ad quod quandoque eſt obligatio ſecundùm dicta 1. p. n. 99. Unde colligendum, quòd quis ſit tantùm de modo loquendi delectatus. Vide p. 1. num. 390.

217. *Saltus ſæpe periculoſi.* Reſp. 4. Saltus, ſeu choreæ ſecundùm ſe quidem malæ non ſunt, ſique fiant cum debitis circumſtantiis; & modo honeſto recreationis convenientis causâ, non ſunt actus libidinis, ſed lætitiæ. At, quia in iis, quas adoleſcentes cum puellis, præſertim de nocte concurrentes, agitant, plerumque interveniunt oſcula, amplexus, geſticulationes turpes, petulantes tactus, ſermones inverecundi, à quibus vix abeſſe poſſunt, corpore jam per agitationem calente, pravi motus, imaginationes, delectationes, deſideria turpia. Hinc La Croix l. 5. n. 282. cenſet, eſſe occaſionem proximam peccatorum mortalium, cùm ut plurimùm committantur, cui ſe exponere, mortale eſt. Diurni, ſi fiant in loco publico, faciliùs excuſari poſſunt, quamvis & hi, niſi magna cautela adhibeatur, periculoſi ſint, præſertim, ſi non vitentur amoroſa oſcula, amplexus ſenſuales, & moroſæ manuum contrectationes. Quare, ſi Parochus ſuos quibusdam diebus à choreis diurnis impedire non poſſit, interdicat nocturnas, horteturque ſeriò, ut nec de die fiant, niſi in loco publico, & cum decore, procul omni actu periculoſo.

QUÆSTIO XII.

An, & quando pollutio, vel commotio venerea imputetur ad culpam illi, qui actione aliquâ ſuâ dat illis cauſam?

218. *Cauſa per ſe efficax poſita eſt mortale, ſecùs inefficax.*

Reſp. 1. Si actio, ex qua prævidetur ſecutura pollutio, vel commotio venerea, ſit cauſa per ſe illius, imputatur ad culpam contra caſtitatem, & quidem gravem, ſi actio ſit cauſa per ſe efficax; ad venialem verò, ſi cauſa illius ſit ſolùm inefficax. *Ratio eſt*, quia lex, prohibens tales effectus, etiam prohibet cauſas illorum per ſe tales: unde, cui voluntaria eſt cauſa, illi & voluntarius eſt effectus ex illa proveniens; at, quia effectus ſolùm in cauſa, niſi directè intendatur, eſt voluntarius, hinc non imputatur ad culpam, niſi quæ reperitur in intentione cauſæ: conſequenter, quando cauſa eſt mortale, effectus ad mortale; quando autem cauſa ſolùm eſt veniale, tantùm ad veniale imputabitur effectus. Porrò cauſa per ſe hìc eſt ſolùm actio in materia venerea, utpote ordinata ex ſua natura ad tales effectus. Cauſæ per ſe efficaces motûs venerei cenſentur cogitatio practica vivacior, tactus ex parte objecti obſcœnus diuturnior, aſpectus nudæ fœminæ voluntariè continuatus: quæ etiam poſſunt eſſe cauſæ efficaces pollutionis, ſi nimiùm continuentur, invaleſcente delectatione; cauſæ verò per ſe inefficaces cenſeri poſſunt turpes joci non valde obſcœni, tactus, vel oſcula levia ex petulantia.

219. *Corollaria.* Hinc 1. Tactus, & aſpectus deliberatus partis obſcœnæ, vel illi proximæ, nudæ alterius ſexûs, ſunt mortales, etſi fiant ex joco, vel levitate citra intentionem venereæ delectationis; quia ſunt cauſa, per ſe efficax, motûs venerei. *Excipe*, niſi juſta cauſa v. g. neceſſitas medendi excuſet: in tali enim caſu cenſentur cauſa per accidens motûs venerei, & medens potius patitur, quàm agat: unde peccatum non ſunt, modò effectui malo obſiſtatur, nec ſequatur in delectationem conſensûs. 2. Tactus, vel aſpectus partis inhoneſtæ proprii corporis ex levitate vel curioſitate, ſi abſit periculum, & affectus libidinoſus, per ſe tantùm veniale eſt. Idem dic de aſpectu etiam alieni corporis ejusdem ſexûs, & coitûs animalium, quia in iis non eſt tanta turpitudo, nec tanta vis excitandi ad Venerem, niſi fortè ex fragilitate propria adſit ſpeciale periculum, ut ſæpe eſt in juvenibus honeſtiùs educatis, & in aſſuetis delectationibus turpibus deliberatis. 3. Si ancilla infantum partes, dum eas ex officiis purgant, mundant, veſtiunt, inhoneſtas tangant, vel obiter videant, per ſe loquendo, non peccant; ſi hoc tantùm ex curioſitate obiter ſine animo libidinoſo faciant, veniale tantùm eſt, 4. Aſpicere partem honeſtam v. g. faciem formoſæ fœminæ, per ſe nullum eſt peccatum; quia viſus eſt ſenſus magìs elevatus, minùsque materialis, quàm tactus, hinc ſuâ ſenſatione minùs excitat; ſi ex curioſitate, vel levitate fiat, erit veniale; ſi fiat fixè, & cum mora intendendo delectationem ſenſitivam, periculo peccati mortalis non vacat. 5. Aſpicere mamillas fœminæ obiter tantùm ex curioſitate, veniale non excedit. Idem eſt de aſpectu partis ob-

obſcœnæ in puero ejuſdem ſexûs, modò abſit affectus venereus.

Reſp. 2. Quando actio, ex qua prævidetur ſecutura pollutio, vel commotio venerea, non eſt in materia luxuriæ, ſed de ſe indifferens, aut honeſta, per ſe loquendo. non eſt peccatum eam ponere ex rationabili cauſa, quia quiſque jus habet ad actionem indifferentem & honeſtam, eſtque talis actio tantùm cauſa per accidens talis effectûs. Dixi: *Per ſe loquendo*; quia debet abeſſe periculum formale conſenſûs in delectationem, illaque non intendi. Quòd ſi non adſit rationabilis cauſa talem actionem ponendi, putat Platelius, hanc imputari ad veniale contra caſtitatem, negat Arriaga, quia caſtitas tantùm prohibet actiones per ſe inductivas ad Venerem. Hinc non peccaret contra caſtitatem, ſaltem graviter, ſi ex nimio potu, vel cibo quis prævideret ſecuturam pollutionem. Dico: *Contra caſtitatem*; nam contra ſobrietatem poſſe peccari graviter, extra dubium eſt. Nihilominus amans caſtitatis, ſi non adſit rationabilis cauſa ponendi actiones, ex quibus hujuſmodi effectus prævidentur ſecuturi, ab iis abſtinebit, quia vel habent, præſertim ſi vigilanti contingant, ſæpe conjunctum periculum conſenſûs ſaltem imperfecti, vel animum reddunt minùs diſpoſitum ad ſpiritualia. Ex his deduco. 220. *Quid ſi ſit cauſa per accidens?*

1. Peccatum per ſe non eſt imò equitare rationabilis recreationis causâ. 2. Honeſtas choreas ducere. 3. Certo & commodo ſitu cubare in lecto. 4. Temperatè ſumere cibos calefactivos. 5. Ex honeſta cauſa loqui cum altero ſexu, &c. etſi per accidens prævideretur *Corollaria.*

ſecutura commotio venerea, aut etiam pollutio, modò abſit periculum probabile conſensûs, quia quando adeſt cauſa honeſta, v. g. neceſſitas, vel utilitas propria vel proximi, jus habemus ad tales actiones, effectuſque per accidens ſecutus ad culpam non imputatur. Quòd niſi verum eſſet innumeras actiones utiles, & honeſtas, imò & neceſſarias teneremur vitare, quæ obligatio cederet in detrimentum generis humani, eſſetque intolerabilis; ac proinde non datur: cum omnis lex debeat eſſe in bonum commune, imò plus boni afferre, quàm ejus negatio: aliàs enim fruſtra onus imponeretur.

QUÆSTIO XIII.

Quæ de pollutione nocturna ſint notanda?

221. *An data ſit cauſa efficax?* Reſp. Sequentia. 1mò. Si pollutio, in ſomno eveniens, nec ſit intenta, nec data ejus cauſa, per ſe notabiliter in illam influens, ex qua ſit prævisa (qualis cauſa non videtur eſſe brevis cogitatio voluntaria de objecto turpi, etſi mortalis de die habita) non imputatur ad mortale, modò evigilans in eam adhuc durantem non conſentiat.

Pollutio naturalis. 2. Pollutio alia eſt naturalis, alia innaturalis: naturalis eſt, quæ ſponte evenit, naturâ ſemen abundans expellente, quo caſu eſt tantùm alleviatio naturæ, & evacuatio humoris ſuperflui, nec eſt objectivè mala, ſive in ſomno, ſive in vigilia, ſine tamen hominis cooperatione eveniat: nec enim præjudicat generationi, quam natura moderatè intendit, neque

neque eſt actus humanæ voluntati ſubjectus, ſed eſt evacuatio naturæ, uti ſudor: Unde uti dixi 1. p. ſub n. 53. de ea, ut eſt naturæ alleviatio, & mitigatio tentationum, vel ſanitati conducens gaudere, ſeclusâ tamen delectatione venereâ ſenſitivâ, eamque, ut ſponte eveniat, deſiderare peccatum ex multorum ſententia non eſt, quanquam conſultiùs eſt ab ejuſmodi gaudio, & deſiderio abſtinere, ſeque Deo committere. Pollutio innaturalis eſt, quæ primariò provenit ab extrinſeco appetitum ſenſitivum irritante, v. g. tactu impudico, objecto turpi cogitato cum delectatione, aut deſiderato. Hæc eſt intrinſecè mala, nec unquam gaudii vel deſiderii liciti objectum eſſe poteſt. Talis quoque eſt in ſomno propriis manibus procurata, non tamen ex nimio potu proveniens. Si dicas: licet optare, imò procurare abſciſſionem pedis, vel manûs, ut ſalvetur vita; ergo etiam pollutionem ſaltem in caſu, quo vita aliàs periclitaretur. R. N. conſequentiam: nam membrum ordinatur ad bonum Phyſicum totius individui: unde licet illud tollere, ut ſalvetur totum; ſemen ordinatur ad bonum ſpeciei, nec eſt pars hominis; unde non eſt par ratio.

3. Si pollutio naturalis ſuâ ſponte eveniat, & abſit periculum conſenſûs in delectationem, non eſt quidem obligatio eam, jam cœptam, reprimendi; quia ſic homo non agit, ſed patitur, eſtque cauſa eam permittendi, ne ſemen abundans noceat ſanitati, & deinde tentationibus diutiùs agitetur, conſultiùs tamen eſt imminenti obſiſtere, ſique jam cœpta eſt, mens ad Deum eſt elevanda isque humiliter rogandus ſine ullo attactu, manibus- *An reprimenda?*

que quietis, ne permittat lapſum in delectationem. Sed neque pollutionem illam patiens inordinatam admittat triſtitiam: eſt enim naturæ corruptæ miſeria, à qua etiam Sancti non fuerunt liberi: hinc ſanctus Athanaſius Eremicolis, ſuo tempore de ea queſtis, ſcripſit, curandas non eſſe illas naturæ evacuationes ſine eorum culpa provenientes. Gerſon ſapientiſſimus Pariſienſis Univerſiatis olim Cancellarius de ea ſcribens p. 2. n. 38. Opuſculo de pollutione nocturna propoſitione 2dâ hoc dat conſilium: *Pollutio diurna vel nocturna, dum ſentitur effluere, non debet violenter prohiberi, ſi probabiliter exiſtimetur, quòd ejusmodi violentia fruſtra eſſet; nihilominus pro exercitatione virtutis, & pro evaſione periculi, videtur expediens, ut homo conetur prohibere, quantum ſentit, & experitur, commodè fieri poſſe: quoniam etſi hæc retentio nocere debeat corpori, proderit animæ. Natura denique poſtmodum uno, aut alio modo talem à ſe humorem ejicit.*

Conſilium Gerſonis.

4. Non licet pollutionem, jam naturaliter cœptam promovere, aut complere proprio conatu; quia hoc non eſſet tantùm pati, ſed operari ad ſeminis effuſionem, quod extra matrimonii uſum non licet.

5. Qui voluntariis pollutionibus antè aſſueti ſe emendant, ſæpe affliguntur nocturnis, quas antiquæ imaginationes obſcœnæ, vel abundantia ſeminis cauſat: nam natura aſſueta copioſiori ſemini conficiendo, quod non amplius per diem effunditur, eò ſe de nocte exonerat. Sed, quia hæc nunc eſt quædam naturæ neceſſitas, & pollutiones illæ, ſi ultra non detur illis cauſa, involuntariæ ſunt, &

culpâ vacant, ferat patienter illam ſuam miſeriam in ſuorum vindictam peccatorum, eoque diligentiùs ſtudeat injurias divino nomini illatas, bonis operibus & mortificationibus compenſare, omni inordinatâ triſtitiâ exclusâ.

Juvat hìc audire S. Gregorium Magnum, qui ad duodecim quæſtiones ab Auguſtino, ab ipſo ad prædicandum Evangelium in Angliam miſſo, propoſitas L. 11. Epiſt. 64. aliàs Epiſt. 12. Epiſt. 31. reſpondens ad undecimam de nocturnis illuſionibus hæc in praxi tenenda tradit : *In illuſione valde neceſſaria eſt diſcretio, quia valde ſubtiliter penſari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Et quidem cùm ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate evenerit, omnino hæc illuſio non eſt timenda ; quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quàm feciſſe. Cùm verò ultra modum appetitûs gulæ in ſumendis cibis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur ; habet inde animus aliquem reatum ; non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii, & Miſſarum ſolennia celebrandi, cùm fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium pro eo, quod Sacerdos alius in eo loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Si tamen dormientis mentem turpis cogitatio non concuſſerit : ſi verò ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio in mente dormientis, patet animo ſuus reatus. Sed penſandum eſt, ipſa cogitatio utrum ſuggeſtione, an delectatione, vel quod majus eſt, peccati conſenſu acciderit.... Cùm enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, & nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omninò perpetratum*

Doctrina S. Gregorii.

tum non eſt : cùm verò caro delectari incipit, tunc peccatum incipit naſci ; ſi autem ad conſenſionem, ex delectatione deſcendat, tunc peccatum cognoſcitur perfici.... Et ſæpe contingit, ut hoc, quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat. nec tamen animus eidem delectationi conſentiat. Et cùm caro ſine animo delectari nequeat, ipſe tamen animus carnis voluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ratione contradicat, nec conſentiat ; & tamen delectatione ligatus ſit ; ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat. Ecce itaque homo eſt, ut ità dixerim, & captivus, & liber. Liber ex juſtitia, quam diligit, captivus ex delectatione, quam portat invitus. Quemadmodum de ſe ipſo teſtatur Apoſtolus. De remediis contra luxuriam vide Neo-Conf. N. 74 & 188.

Petes, quid ſentiendum de his Theſibus Anno 1749 Die 19. Septembris publicæ Diſputationi pro Doctoratu utriuſque Juris propoſitis.

Prima. *Intemperantia venerea quædam ſpecies prohibentur Jure naturæ, quædam Jure gentium.*

Secunda. *Quas ſpecies Jus naturæ damnat, eas potiùs ingenito horrore, quàm ratiocinio percipimus, veluti ſunt Beſtialitas, & Sodomia.*

Tertia. *Quas verò Jus gentium, id eſt, ſolorum hominum, prohibet, earum malitiam manifeſtat reflexio, velut ſunt inceſtus lineæ rectæ, adulterium, fornicatio. mollities, delectatio venerea, quam vulgò moroſam dicunt*

Reſp.

Reſp. Hæ Theſes multis fuerunt offendiculo, & non immeritò. Nam hæ propoſitiones, 1. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt.* 2. *Fornicatio ſecundùm ſe nullam involvit malitiam, ſed ſolùm mala, quia interdicta*, ſunt ab Innocentio XI. damnatæ, ùt conſtat ex dictis N. 191. & 199. & ex 1. p. in Analyſi N 104. Unde Doctores paſſim inferunt, non tantùm mollitiem, ſed etiam fornicationem repugnare juri naturæ. Quare Theſes illæ in ſenſu communi & obvio ſuſtineri non poſſunt: Theſes enim publicæ, ſimpliciter prolatæ, ex omnium ſententia in ſenſu verborum proprio, & obvio intelliguntur. Quare earum Author aut ignoravit communem, receptamque apud Theologos & Canoniſtas juris naturalis propriè dicti definitionem, quâ dicitur Jus naturæ: *Ordinatio Dei, ordinem debitum creaturæ rationalis erga Deum, proximum & ſeipſum ſervari jubens, & perturbari vetans, per lumen naturæ intimata.* Vel: *Voluntas Dei neceſſariò obligantis per lumen naturale à Deo, ùt Authore naturæ, omnibus inditum*: aut, definitione communi neglectâ, maluit cum quibuſdam Civiliſtis juris naturæ impropriè, & latiſſimè dicti ideam mancam recipere, quâ dicitur jus naturæ, *quod natura animalia docuit*; Jus verò gentium cum jure naturæ, ùt ſolorum hominum eſt, confundere. Quidquid dicatur, non ſubſiſtit: nam primum non præſumitur; ſecundum verò repugnat communi & propriæ, in quâ Theſes, ùt jacent, accipiendæ ſunt, vocum ſignificationi, in qua nomine juris naturæ venit lex neceſſaria, obligans in conſcientia, cujus capacia non ſunt bruta; quæque obligat ad omnia, quæ

cum

cum neceſſario creaturæ rationalis ordine aut connexionem, aut repugnantiam indiſpenſabilem habent: inter quæ ſunt non pauca, quæ natura animalia non docuit, ùt vitare invidiam, læſiones, neces, furta, coitum cum matre vel alia ſpecie. Hæc enim faciunt animalia, & tamen jure naturæ interdicta ſunt homini.

Nec juvat, quòd Jus gentium cum jure naturæ, ùt ſolis hominibus proprio, amet confundere: hoc enim iterum repugnat communi ſenſui, juxta quem Jus gentium dicitur *Lex non ſcripta, quæ per liberam omnium, vel ferè omnium nationum conſenſionem, & uſum jus gentium vim obligandi habet.* Vel: *Jus quo gentes qua tales, mutuâ obligatione, ex conſenſu tacito vel expreſſo ſibi impoſita, conſociantur in ordine ad ea, quæ ad communem earum felicitatem, & commercium pertinent.* Inter hæc autem cùm ſaltem multa, ſi non omnia, ad Jus naturæ non pertineant ùt receptio legatorum, eorumque ſecura dimiſſio: ſuſceptio belli ad vindicandam injuriam, vel damnum, ab alio populo illatum; ità ut bellum, antequam inchoetur, per fecialem denuntietur; fœdera pacis, & induciarum, quando rationabiliter petuntur, commercium quæſtuoſum apud exteras, & non hoſtiles nationes &c. Hinc Theſis tertia, relegans inceſtum lineæ rectæ, adulterium, mollitiem, fornicationem ad Jus gentium, ſuſpecta redditur in ſenſu obvio; etſi Auctor videatur tenere cum Eccleſia: At qui tenet cum Eccleſia, loqui quoque debet cum Eccleſia, ne juventuti præbeatur ſcandalum, viaque in hac materia lubrica ad laxitatem aperiatur. Quod & non ſatis cavet poſitio

ſitio quinta, in qua dicitur, quòd omnis cogitatio, & delectatio venerea, ſtudiosè quæſita ordinetur ad ulteriora illicita, ideoque ſubjectum cogitans exponat periculo; quaſi verò non idem faciat delectatio naturaliter orta, vel ex cogitatione, aliunde excitatâ, proveniens, ſi deliberatè admittatur.

CAPUT IV.

De Virtutibus Temperantiæ affinibus.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint Virtutes Temperantiæ affines?

Reſp. Sex ſequentes: Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Studioſitas, Eutrapelia, Circumſpectio: cùm enim temperantia ſpeciatim accepta modum ponat appetitui, & uſui cibi, potûs, & venereorum, hæ autem virtutes aliis affectionibus, operationibus: Hinc conjunctionem habent aliquam, & temperantia generatim dicitur, quæ moderatur affectiones animi, & operationes ex præſcripto rationis. 222. *Sex.*

QUÆSTIO II.

Quid ſit Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, & quæ peccata illis oppoſita?

Reſp. 1. Manſuetudo eſt virtus moralis, quæ moderatur iram, ità ut non iraſcamur, niſi 223. *Manſuetudo,*

niſi quando, quantum, cui, & quomodo oportet: eſt autem ira appetitio, ſeu deſiderium vindictæ; quæ eſt punitio culpæ, ſeu redditio mali pœnæ, pro malo culpæ, ut rectus ordo ſervetur, & perturbatus reſtituatur. Hinc patet, quòd ira non ſit affectus ex objecto malus, utì eſt invidia, odium, inimicitia; ſed indifferens, ità ut benè & malè ſuſcipi, & excitari poſſit; ſicut ſi mediocriter iraſcaris, ubi, quando, cui oportet, ut vitia corrigantur, & juſtitia ſervetur: S. Th. 2. 2. q. 158. a. 1.

Peccata oppoſita per exceſſum duobus modis.

Manſuetudini per exceſſum opponitur peccatum iracundiæ, quæ eſt ira repugnans rectæ rationi: aliquando tamen iracundia accipitur pro habitu vitioſo iraſcendi, vel inclinatione ad iram. Et hinc iracundus dicitur, qui propendet ad iram. Committitur autem iracundiæ peccatum duobus modis: poteſt enim eſſe exceſſus primò ex parte objecti, ùt ſi vindictam deſideres ei, qui non meruit, vel majorem, quam meruit, vel inferendam ſine legitima authoritate, vel ex non recto fine, ſed ex odio. Et hoc modo poteſt eſſe mortale, ſi nempe exceſſus ſit gravis: poteſt etiam eſſe tantùm veniale, ex materiæ levitate, vel imperfectione actûs, ſi nempe ira rationis plenam advertentiam prævertat. Secundò poteſt eſſe exceſſus in modo iraſcendi, ſi nimirum intra te nimium excandeſcas, vel ſignis externis, plus quàm oportet, iram oſtendas: quâ ratione ſi tantùm fiat, eſt veniale tantùm; poteſt tamen per accidens fieri mortale, ratione ſcandali, vel ſi ex commotione iræ graviter in Deum, vel proximum pecces, v. g. blaſphemiis, maledictis, injuriis. S. Th. a. 2. & 3. aut graviter noceres tibi.

Eidem

Eidem virtuti per defectum opponitur iræ vacuitas, cùm nempe quis non iraſcitur, ubi, quando, quantum, & quibus oportet, ut ſcandalum tollatur, vitia corrigantur, juſtitia ſervetur; ſed diſſimulet. Hic defectus eſt ex genere ſuo mortalis: Eſt enim ira velut rationis ſatelles, qui poſt decretum Principis de malo vindicando moveri debet ad vindicandum ſeu exequendum, ne cum detrimento Reipublicæ mala impunita maneant: hoc autem detrimentum grave eſſe poteſt. *Per defectum.*

Ex quibus patet, iram debere non dominari, ſed ſubeſſe rationi, eique miniſtrare, & ſæpe neceſſariam eſſe, ne languore homo deſit officio, & ſcelera graſſentur. Illi affinis eſt indignatio, quæ eſt animi commotio contra alium, ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat.

Reſp. 2. Clementia eſt virtus moralis quâ Superior inclinatur ad pœnam debitam mitigandam, vel remittendam, vel puniendum potiùs infrà, quam ſupra demeritum, quatenus recta ratio, Juſtitia, diſciplinæ bonum, ædificatio publica, & ſalus Reipublicæ permittit; ſicut benignitas inclinat ad præmia conferenda potiùs ultra, quàm infra meritum: quâ ratione Deum clementem, & benignum dicimus. 224. *Clementia.*

Clementiæ per exceſſum opponitur crudelitas, qua quis ex animi auſteritate propenſus exigit pœnam ultra demeritum: differt à feritate, & ſævitia; quia attendit culpam, & extendit pœnam ſupra illam; feritas autem, ſeu ſævitia in puniendo non attendit culpam, ſed potiùs ſuam delectationem, & ſatisfactionem. Unde deterior eſt, quàm crudelitas. *Peccata oppoſita.*

Utraque tamen eſt mortalis ex genere ſuo. Eidem per defectum opponitur nimia lenitas, quâ pœna remittitur, vel mitigatur, ubi ex rectæ rationis præſcripto ſeveritate utendum eſſet, ad corrigendum delinquentem, diſciplinam ſervandam &c. Eſt culpa levis, vel gravis, pro ratione damni, vel ſcandali, inde provenientis.

225. Modeſtia. Reſp. 3. Modeſtia eſt virtus, quæ, conſideratis circumſtantiis perſonæ, loci, temporis, conditionis, facultatum, moderatur ſecundùm rectæ rationis præſcriptum tum motus, & geſtus externos, tum cultum ornatumque corporis, tum apparatum rerum externarum, domûs, ſuppellectilis, conviviorum &c. Et eatenus dicitur modeſtia cultûs.

peccata oppoſita. Modeſtiæ per defectum opponitur motum ruditas, ſeu ruſticitas: per exceſſum imò petulantia, & inſolentia, quâ non ſervatur decorum in voce, geſtu, inceſſu; & aliis moribus externis corporis: ùt ſi quis vocem nimiùm extollat, geſtus inſulſos habeat: Si adoleſcens vocem fœmineam ſectetur, vel caput componat, ùt ſolent mulieres. Si Religioſus mores aulicos imitetur. 2. Luxus, ùt ſi in veſtibus, conviviis, ſuppellectili quis excedat ſuas facultates, conditionem, ſtatum &c. Petulantia & inſolentia per ſe ſunt peccata tantùm venialia, per accidens, ratione ſcandali, poſſunt eſſe mortalia. Luxus ex genere ſuo mortalis eſt: poteſt enim quis ità excedere, ut non ſit par ſolvendis debitis, liberis collocandis in ſtatu convenienti; ſi ſuperior religioſus excedat graviter ſuam facultatem &c. Poteſt eſſe veniale tantùm, ſi exceſſus ſit levis, vel periculum non ſit effectûs graviter mali.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quid ſit Studioſitas, Eutrapelia, & Circumſpectio, & quæ peccata eis oppoſita?

Reſp. 1. Studioſitas eſt, quæ moderatur appetitum naturalem ſciendi, ipſumque ſtudium, ità ut quis moderatè ſtudeat ſcire, quæ ei conveniunt ratione ſtatûs, conditionis, officii; non verò ea, quæ ad ipſum non pertinent, nec ipſi neceſſaria, vel utilia ſunt, nec proximo. Ei per exceſſum opponitur curioſitas, quæ eſt inordinatus appetitus cognoſcendi. Eſt autem inordinatio vel ex parte objecti, ùt cùm quis cupit ſcire ea, quæ ad ipſum non pertinent, ſeu nec ad propriam, nec ad proximi utilitatem, nec ad Dei honorem conducunt; vel ex parte modi, ùt ſi quis ea etiam, quæ ad ſe pertinent, velit addiſcere tempore non congruente, vel laboribus immodicis, corpori, vel menti noxiis. Per defectum autem illi opponitur negligentia, ſeu voluntaria omiſſio ſtudii ad diſcendum, quæ quis ſcire, vel diſcere tenetur. Hæc eſt peccatum mortale, vel veniale, pro quantitate, vel qualitate eorum, quæ quis ſcire debet ſpectato fine. Curioſitas verò, etſi per ſe mortalis non ſit, tranſit in mortale, ſi ſimul repugnet graviter alteri virtuti: utì primò, ſi quis ex curioſitate legeret libros hæreticos, ab Eccleſia prohibitos, aut indagaret dicta in Confeſſione. 2. Si adhiberet media ſciendi graviter prohibita. 3. Si litteras alienas clauſas ſine conſenſu requiſito aperiret, & legeret. 4. Si

216. *Studioſitas, & peccata illi oppoſita.*

quis vellet ab alio ſcire, quòd ſine peccato mortali revelare non poteſt, ſi immoderato ſtudio graviter noceret valetudini aut ab officio in gravi re impediretur &c.

227. *Eutrapelia, & peccata oppoſita.* Reſp. 2. Eutrapelia ſeu Jucunditas eſt virtus, quæ inclinat ad ſervandum modum, & decorem in dictis, & factis ludicris, ad animi recreationem inſtitutis. Contra eam peccatur per exceſſum, ſi adhibeatur genus jocandi, vel ludendi immodeſtum, petulans, injurioſum, obſcœnum, periculoſum, vel prohibitum; vel ſi genus ludendi licitum adhibeatur, ubi, quando, cum quo, coram quibus non decet, vel nimis diu, vel affectu & obſervantia majori quàm oportet. Per defectum verò, ſi quis ex animi moroſitate omnem honeſtam animi recreationem ſibi neceſſariam repudiet, vel in aliis impedire nitatur.

Denique Circumſpectio eſt virtus, quæ moderatur ſermonem, ut non fiat, niſi quando, ubi, de quibus, & coram quibus, & quomodo oportet.

CAPUT V.

De reliquis Virtutibus moralibus à juſtitia & religione diſtinctis.

Virtutes reliquæ morales à juſtitia & religione diſtinctæ, ſunt pietas, obſervantia, obedientia, gratitudo, liberalitas, affabilitas, veritas, fidelitas, ſimplicitas, miſericordia. Hæ virtutes dicuntur affines, & partes juſtitiæ, quia ſicut juſtitia reſpicit debitum rigoroſum ad alterum, ſic hæ quoddam,

etſi

etſi minùs rigoroſum, idque vel legale, ſeu ſub obligatione, vel purè morale, & decentiæ. His virtutibus quoque annumerantur religio, & pœnitentia: de quibus ſuo loco agemus, ùt & de juſtitia; quia ſpeciales tractatus requirunt.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Pietas, obſervantia, Obedientia, & quæ peccata illis oppoſita?

Reſp. 1. Pietas tripliciter accipitur, 1mò pro religione, vel devotione & affectu, inclinante ad cultum Dei: & ſic cultui divino addicti dicuntur pii; ſcelerati verò impii, & quia omne opus honeſtum eſt cultus quidam Dei, hinc & opus pium dicitur. 2. Pro miſericordia, & benignitate præſertim erga filios, opis indigentes. Sic Deus dicitur Pater piiſſimus. 3 Accipitur pro ſpeciali virtute, reſpiciente principium ortûs noſtri: Et ſic definitur: Virtus, quâ parentibus, patriæ, & ſanguine junctis officium, & cultus debitus præſtatur. Parentes reſpicit primariò, tum patriam & conſanguineos; patriam quidem, quatenus parentes fovet, & idonea ad noſtram educationem media ſuppeditat, ſicque eſt quoddam noſtri principium: conſanguineos verò, quia nobiſcum ſanguinem parentum participant, ſicque principium ortûs noſtri quâdam conjunctione in iis reperitur. Cultus conſiſtit tum in honore, ſuo tempore & loco, tum in auxiliis, & obſequiis, dum recta ratio poſtulat, præſtandis: æquum enim eſt, ut

228. Pietatis varia acceptio

iis, à quibus poſt Deum vitam habemus, ſolatium, honorem, & reverentiam exhibeamus. Extenditur pietas etiam ad conjuges propter carnis conjunctionem, & in parentibus ad liberos. Item ad genitores noſtros ſpirituales, à quibus ſecundùm Deum vitam ſpiritualem habemus. Affectus patriæ tanti momenti non eſt, nec tamen omninò contemnendus.

Peccata oppoſita. Ex his patet, peccata pietati oppoſita eſſe, parentes dehonorare, convitiis, maledictis afficere, affligere, cædere, eis detrahere, in neceſſitate non succurrere fratres & ſorores contumeliis afficere, eorum perſonas violare, patriam prodere &c. Quando habeant malitiam gravem contra pietatem, in Confeſſione explicandam. Vide p. 1. N. 347. de peccatis. Quæ ſint obligationes liberorum erga parentes, & horum erga liberos. Vide in Neo-Confeſſ. N. 128. & 137.

229. *Obſervantia.* Reſp. 2. Obſervantia eſt virtus, quâ honor, & obſequium Superioribus ob eminentiam conjunctam cum beneficio gubernationis, aliiſque perſonis excellentibus, ad gubernandum aptis, exhibetur. Sicut enim pietas reſpicit principium ortûs noſtri, ità obſervantia reſpicit principium gubernationis actu, vel potentiâ; illud primariò, hoc ſecundariò: utrique enim aliqua debetur reverentia: ſic debetur Magiſtro à diſcipulo, Duci à milite, Magiſtratui à cive, Principi à ſubditis, Parentibus à liberis, Dominis à famulis, Epiſcopo à Clerico; Parocho à parochianis. Porrò honor & reverentia, quæ Superioribus exhibentur, ſi præſtentur ob excellentiam naturalem, ex ductu cognitionis naturalis, erunt cultus naturalis; ſupernaturalis verò, ſi procedant ex cogni-

cognitione ſupernaturali. Si exhibeatur Beatiſſimæ Virgini, ùt Dominæ noſtræ, erit cultus hyperduliæ: ſi ſanctis Angelis, v. g. Cuſtodibus, erit cultus Duliæ.

Peccata huic virtuti oppoſita ſunt irreverentia erga Superiores, & injuria, quæ communi æſtimatione irreverentiam continet. Cùm autem non ſatis pateat, nec ab AA. explicetur, quæ actiones & omiſſiones contineant irreverentiam gravem in Confeſſione explicandam contra pietatem vel obſervantiam; hæc regula ſervanda eſt: *Si communi æſtimatione actio vel omiſſio contineat ratione ſanguinis vel ſubjectionis ſpecialem deformitatem gravem* (quod ex quantitate, & qualitate actionis, aliiſque circumſtantiis penſandum eſt) *tunc habet ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam.* Sic qui furatur patri, per ſe non peccat contra pietatem, ſecus ſi quis domum ejus incendat, ei detrahat, eum percutiat &c. *Peccata oppoſita.*

Reſp. 3. Obedientia eſt virtus inclinans ad obtemperandum voluntati ſuperioris. Alia eſt generalis, quæ inclinat ad obſervandum quodcunque præceptum ex motivo quocunque honeſto. Hæc eſt complexum ex omnibus virtutibus: Omnis enim virtus inclinat ad obſervandum præceptum in ſua materia: quæ cùm ex motivo ſpecialis obedientiæ poni poſſit; hinc omnis actus honeſtus dicitur obedientia materialis. Obedientiæ generali opponitur generalis inobedientia, quæ eſt in omni peccato vel formalis, vel materialis tantùm, pro menſura cognitionis. Alia eſt obedientia ſpecialis: quæ, ſi ſtrictè accipiatur, eſt virtus inclinans ad ſervandum præcepta, quia præcepta ſunt; ſeu ob honeſtatem relucentem in eo, 230. *Obedientia.*

quòd ſe quis accommodet præcepto ſuperioris. Si verò accipiatur paulò latiùs, eſt virtus inclinans ad obtemperandum voluntati ſuperioris, ſive ea præceptiva ſit, ſive meri beneplaciti; quia id honeſtum eſt: cùm enim ſuperioris voluntas ſit quædam regula ſubditi, eò perfectior erit obedientia: teſte S. Th. 2. 2. q. 104. art. 2. ſi præceptum præveniat exemplo Chriſti, cui voluntas, & complacentia Patris ſummum præceptum fuit, ùt inquit Albertus magnus cap. 3. de virtutibus. Ut autem præcepto obedientiæ ſatisfiat, neceſſe non eſt ex ſpeciali ejus motivo operari; ſed ſatis eſt opus imperatum poni ex motivo alterius virtutis. Quòd ſi fiat ex affectu erga excellentiam Dei, erit actus religionis; ſi, quia id poſtulat dignitas Vicarii Chriſti, actus obſervantiæ religioſæ; ſi, quia id exigit dignitas Principis, obſervantiæ politicæ; ſi, quia placet Deo, Charitatis; ſi quia placet ſuperiori, actus benevolentiæ erga ipſum erit; ſi denique præcisè, quia honeſtum eſt obtemperare præcepto Superioris, actus erit obedientiæ, cui aliæ in eodm actu honeſtatis conjungi poſſunt.

Peccata oppoſita. Obedientiæ ſpeciali opponitur inobedientia formalis ſpecialis, quâ excluditur ſpecialis honeſtas, ex cujus affectu præceptum à Superiore procedit, aut quæ actui ineſſe poſſet: ùt cùm quis non obedit, quia præceptum eſt cum formali contemptu legislatoris, quà talis, vel poteſtatis præceptivæ, aut ſine contemptu quidem illo formali, attamen poſitivè non vult hìc & nunc obedire, etſi paratus in aliis, ſecundùm dicta P. 1. ſub N. 379. & 380. Ex quo patet, quòd turpitudo formalis ſpecialis ino-

inobedientiæ non reperiatur in omni peccato, neque in omni inobedientia filiorum erga parentes, & famulorum erga heros ſuos; quia vel parentes, & Heri non imperant ex affectu honeſtatis, obedientiæ ſpecialis; ſed vel ex affectu Religionis, dum ad divina mittunt, vel ex affectu rectæ ſuorum gubernationis, & boni ſtatûs domûs, aliove motivo: aut quia filii & famuli non apprehendunt honeſtatem obedientiæ ſpecialis, vel eam directè non excludunt. Unde non obediendo peccant filii contra pietatem & obſervantiam; quia ſciunt cultum & reverentiam deberi parentibus & gubernatoribus ſuis, vel inobedientiâ quadam generali, & omni prævaricationi communi, dum non obediendo apprehendunt ſe debere obedire. *Inobedientia liberorum.*

QUÆSTIO II.

Quæ ſit Gratitudo, Liberalitas, Affabilitas, & quæ peccata illis oppoſita?

Reſp. 1. Gratitudo eſt virtus inclinans ad rependendum aliquid pro beneficio accepto, quantum, ubi, & quando id recta ratio poſtulat; quia id decens eſt. Primus ejus actus eſt beneficium agnoſcere, benignè acceptare, & recordari; ſecundus eſt agere pro eo gratias; tertius illud pro tempore, loco, & facultate compenſare, v. g. per orationem, auxilium, munus reciprocum, &c. 231. *Gratitudo, & ejus actus.*

Gratitudini opponitur ingratitudo tum materialis, tum formalis. Actus ingratitudinis materialis ſunt: primus beneficium non compenſare, *Ingratitudo.*

 quod

quod per ſe peccatum non eſt, niſi benefactor ſit in neceſſitate, vel inde meritò ſit offendendus; ſecundus eſt, non agere gratias. Has omittendo faciliùs peccari poteſt; tertius eſt, non agnoſcere, non æſtimare beneficium, quod per ſe valde turpe eſt, non tamen mortale in beneficio ab homine accepto, niſi benefactor eſſet graviter inde offendendus; quia non agnitio parum incommodi affert benefactori. Nihilominus ingratitudo affectum avertit benefactoris, ut ultra non benefaciat, &, uti S. Bernardus loquitur, exſiccat fontem gratiarum. Ingratitudinis formalis actus ſunt, benefactorem, quà talem, vel beneficium contemnere, extenuare, ne videamur obligati benefactori, ne impediamur à retribuendo pro bono malum, malè interpretari benefacientis animum. Hæc ingratitudo ex genere ſuo mortale eſt, etſi poſſit ex levitate materiæ veniale tantùm eſſe.

Porrò, ſicut gratitudo maximè decet creaturam rationalem, ſic ingratitudo turpiſſimum eſt vitium. Turpe eſt, non referre beneficium, ubi benefactor eget; turpius, non agere gratias; adhuc turpius, beneficium non agnoſcere, non recordari; turpiſſimum illud contemnere, vel malè interpretari. Quàm ingrati permulti erga Deum! In quorum numero ne ſis. 1. Frequentem illi redde beneficiorum memoriam, & commemorationem. 2. Amorem, quo gaudeas & exultes de ejus bonis. 3. Laudem, deprædicando ejus excellentiam, maximè in factis mirabilibus. 4. Benedictionem, gratulando ſeu ſignificando gaudium de bonis, quæ habet intrinſecis, & optando extrinſeca, id eſt, honorem, cultum & gloriam ab omnibus creaturis, quæ nondum habet.

5. Gra-

5. Gratiarum actionem, profitendo eum authorem omnis boni tui. 6. Fatere te ſervum ejus, & offer te ad ejus obſequium ſecundùm beneplacitum ſuæ divinæ voluntatis. Denique opere oſtende, te agnoſcere eum fontem omnium bonorum. Hæc ut magno affectu fiant, conſidera frequenter Dei non ſolùm beneficia, ſed etiam conferentis majeſtatem, amoremque infinitum, à quo illa procedunt, & tuam recipientis vilitatem, & indignitatem; ex his enim creſcit beneficiorum magnitudo.

Reſp. 2. Liberalitas eſt virtus, quæ moderatur pecuniæ & divitiarum amorem, ut ea in noſtram, proximique utilitatem, Deique honorem, ubi recta ratio poſtulat, libenter, prompteque elargiamur; non ſimus tamen magìs, quàm oportet, ad ea elargienda prompti: idque, quia honeſtum eſt, non quia proximus eget, aut beneficium accepimus, aut aliunde debemus. 232. *Liberalitas.*

Per exceſſum illi opponitur prodigalitas, quâ quis ſua non conſervat; uberiùs elargitur, quàm convenit. Per defectum opponitur avaritia, quæ eſt appetitus immoderatus divitiarum. Utraque eſt per ſe veniale tantùm, evadere poteſt mortale, ſi alteri virtuti repugnet. De avaritia & remediis contra eam, vide Neo-Conf. à n. 62. *Peccata oppoſita.*

Reſp. 3. Affabilitas eſt virtus inclinans, ut noſtra cum proximo in colloquiis, convictu, aliiſque cum illo actionibus converſatio ſit grata, & decens, ſpectatiſque circumſtantiis non nimis blanda, nec aſpera: cum enim homo ſit animal ſociabile, ſimuſque ejuſdem humanæ Reipublicæ membra; quiſque debet proximo, ubi fert occaſio & tempus, conver- 233. *Affabilitas.*

ſatio-

ſationem decentem. Differt ab amicitia, quæ eſt benevolentia in quadam communione & virtute fundata, vi cujus unus alterum amat, ùt ſe ipſum.

Peccata oppoſita. Affabilitati per exceſſum opponuntur blanditiæ & adulatio, per defectum moroſitas & aſperitas. Adulatores dicuntur, qui utilitatis; blandi, qui placendi ſtudio in omnibus ſe accommodant, omnia probant, omnia laudant; aſperi & moroſi dicuntur, qui in converſatione difficiles, ubique contradictores, nuſquam ſe accommodant Decoro, parum ſtudent convenienti ſocietati. Hi parum idonei ſunt humanæ ſocietati.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Veritas, quid, quotuplex Mendacium, & quomodo malum, an abſolutè, intrinſecè.

234. *Veritas, fidelitas* Reſp. 1. Veritas ſeu veracitas eſt virtus, quâ inclinamur ad conformandum verba, facta, & ſigna menti noſtræ, & facta dictis. Duo itaque præſtat veritas: 1. Ut verba, ſigna, & facta, quibus alteri loquimur, & mentem manifeſtare prætendimus, menti conformemus, ne mentiamur. 2. Ut facta conformemus dictis ſine promiſſione, ne falſum reddamus, quod diximus. Differt à fidelitate; quia hæc inclinat ad implendum promiſſa; à ſimplicitate ſolâ ratione diſtinguitur. Eadem enim virtus dicitur veritas, inquit S. Thomas 2, 2, l. 109. artic. 2. ad 4. in quantum ſigna ſignatis concordant, ſimplicitas autem, in quantum non tendit in diverſa, exclu-

eluditque duplicitatem, ſicque indirectè facit intentionem rectam, quam directè facit omnis virtus.

235. *Mendacium.* Reſp. 2. Mendacium, quod veritati opponitur, eſt locutio contra mentem: cùm nempe aliud loquimur verbis, aut factis, vel ſignis exteriùs ſignificamus quàm interiùs ſentimus. Sicut itaque actus veritatis eſt expreſſio veri opinione noſtrâ, ità mendacium eſt expreſſio falſi opinione noſtrâ. Dico: *Opinione noſtrâ*: quia ſi dicas in ſe verum, opinione autem tuâ falſum, mentiris: ècontra, ſi dicas re ipsâ falſum, tuâ opinione verum, non mentiris, ſed dicis ex virtute veritatis formaliter, ſeu ſecundùm quod exiſtit in mente, verum: ex quo quidem ſequitur præter intentionem tuam deceptio alterius: quæ tamen, ſicut & intentio deceptionis, ad mendacium neceſſaria non eſt; poteſt enim quis velle mentiri, ne convincatur delicti, etſi ſciat, alterum non crediturum; quanquam mentiens ordinariè intendit deceptionem, & opinionem falſam in mente alterius.

236. *Triplex.* Reſp. 3. Mendacium ratione finis, & effectûs triplex eſt: Officioſum, quod utilitatis; jocoſum, quod causâ voluptatis, vel recreationis propriæ, vel alienæ committitur; & pernicioſum, quod eſt non tantùm contra veracitatem, ſed etiam contra Juſtitiam, vel Religionem. Tale eſt omne mendacium in Sacramento Confeſſionis, juramentis, falſo teſtimonio, calumniâ, iniquis contractibus, &c. Ratione ſigni poteſt dividi in verbale, quod verbis; & reale, quod actionibus committitur, ut ſunt nutus, geſtus, ſcriptio, aliæque actiones externæ, quibus mentem ſicut verè, ità & mendaciter ſignificare poſſumus, & mentiri:

ſunt

ſunt enim æquivalenter locutio, ſi iis mentem ſignificare prætendimus. Et hoc mendacium dicitur formalis ſimulatio : quæ eſt actio, quâ quis externè ſignificare intendit, quod in mente non habet. Hujus ſpecies eſt Hypocriſis, quâ quis ſe ſimulat juſtum, ſanctum, &c. cùm revera non ſit etiam ſuâ opinione.

237. *Quale ſit peccatum?* Reſp. 4. Nullum mendacium præcisè, ùt repugnat veracitati, eſt mortale; quia inordinatio ejus nulli graviter nocet, & deceptio proximi, quando nihil intereſt, an ſic, an aliter res ſe habeat, eſt parvi momenti, & vitam ſocialem non evertit, etſi illi nonnihil incommodet : cumque pronum ſit verbo labi, præceptum prohibens mendacium ſub mortali, fuiſſet potiùs perniciosum, quàm utile. Dixi : *Præcisè, ùt repugnat veracitati* : nam poteſt eſſe mortale ratione oppoſitionis cum alia virtute : ut, ſi quis mentiretur in Confeſſione Sacramentali, Judicio, ſi mentiendo grave damnum inferret proximo, Dei honorem graviter læderet, ſe jactaret de gravi peccato, tanquam à ſe commiſſo, cum complacentia in illo, vel gravi aliorum ſcandalo. Si tamen id referret ſine complacentia in illo & ſcandalo, ut appareret ejus dexteritas & ingenium, excuſari poſſet à mortali.

238. *Eſt intrinſecè malum.* Reſp 5. Mendacium ſemper, & abſolutè eſt intrinſecè malum, adeoque nullo caſu licitum. 1. Quia ſemper eſt turpis contradictio inter mentem & linguam, quæ moralis turpitudo ità manifeſta eſt, ut homo ingenuus, deprehenſus in mendacio, ſtatim erubeſcat. 2. Mendacium eſt deceptivum per ſe proximi, violativumque amicitiæ, & vitæ ſocialis : Eſt enim abuſus ſignorum ad commercium humanum,

num, ſocialemque vitam inſtitutorum. 3. Si mendacium ullo caſu liceret; turbaretur rectus in Republica humana ordo; quia homines ſibi facerent, vel fingerent facilè caſus, quibus id licere putarent & committerent; ſicque rueret humanum commercium & fides. Unde Dei ſapientiſſimi Gubernatoris perfectio exigit, id pro omni caſu prohiberi. Imò ſi aliquo caſu liceret, perſuaderent ſibi homines, & Deum forte mentiri poſſe; ſicque periret apud eos ſumma Dei in loquendo authoritas.

Quod dixi de mendacio, idem dic de ſimulatione formali, quia reale mendacium eſt. *Simulatio.* Secus eſt de ſimulatione materiali, & impropriè dictâ: hæc enim eſt actio vel omiſſio ad plura ſignificanda indifferens, quâ non intenditur alterius error, etſi prævideatur; eſtque, per ſe loquendo, licita, ſi adſit cauſa juſta, fiatque extra materiam Sacramentorum. Sic poteſt quis poculo ori admoto ex juſta cauſa parum, aut nihil libare, non intendens, ut alii id judicent, ſed hauſtûs declinandi causâ, etſi prævideat, alios in errorem inducendos. Sic poteſt Bellidux movere caſtra, ut hoſtem alliciat, etſi prævideat, eum judicaturum, quòd ex metu vel intentione fugiendi id faciat. Dixi: *Per ſe loquendo*; quia poteſt eſſe mala, ùt, ſi vergeret in detrimentum proximi, vel honoris Dei. Similiter diſſimulatio per ſe mala non eſt, nam eſt actio, vel omiſſio, quâ occultatur veritas: ſic licitè diſcurſum diverteres ad alia, quaſi non audiens, ſi interrogareris, an habeas pecuniam: poteſt tamen eſſe mala, quando eſt periculum ſcandali, aut obligatio non diſſimulandi.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An & quando amphibologia, reſtrictioque mentalis ſit licita, & excuſetur à Mendacio?

Difficultatem faciunt hæ propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. Prima, quæ eſt ordine inter damnatas 26. ſic habet: *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quoque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis alind additum verum; revera non mentitur, nec eſt perjurus.* 2da ordine 27. ſic habet: *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ità ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Pro reſolutione

239. *Reſtrictio mentalis triplex.* *Notandum*, amphibologiam, quæ eſt locutio, plures importans ſenſus, tripliciter fieri poſſe. 1. Si quis utatur verbis æquivocis, quæ plura diverſa ex ſua inſtitutione æquè imò ſignificant. Si his utens mentem ſuam reſtringat ad unam ſignificationem; dicitur reſtrictio mentalis, ſed non purè talis: cùm verba, & alterum ſenſum habeant, & in utroque ab intelligente intelligi poſſint; niſi ad unum ex circumſtantiis determinentur. 2. Si quis verbis, quæ de ſe unum tantùm ſenſum habent, in iis circumſtantiis utatur, quæ cum verbis con-

conſignificant, ità ut cum iis & alium ſenſum faciant, qui ab audiente humano modo intelligi poſſit, vel explicitè, ſi perſpicax eſt, vel ſaltem confusè, ſi ſit ingenio tardus. Si quis in talibus circumſtantiis utatur verbis, & ſuum judicium reſtringat ad ſenſum, quem faciunt cum circumſtantiis, ex quibus ſenſus, quem loquens in mente habet, intelligi poſſit; dicitur reſtrictio mentalis interna, non pura, ſed realis, & externa determinabilis, vel humano modo perceptibilis: tales circumſtantiæ ſunt qualitas perſonæ loquentis, vel interrogantis, ùt Confeſſarii, Legati, Secretarii, modus actionis, finis, qualitas temporis, loci, actio, adjuncta, qualitas rei: ùt, ſi Exactor Gabellæ interrogaret te: Habesne in curru, vel navi rem talem? Et tu habens privilegium, quo liber eſſes à Gabella talis rei, reſponderes: Non habeo, intelligendo rem obnoxiam Gabellæ: cùm enim interrogeris de re obnoxia Gabellis, interrogans poteſt intelligere, te de ea loqui. 3. Si quis utatur verbis unum ſenſum habentibus, & reſtringat mentem ad aliquid, quod nec verba ſignificant, nec ex circumſtantiis intelligi humano modo poteſt, ùt, ſi redux ex Italia interrogareris, vidiſtine Papam? & reſponderes: vidi, ſubintelligendo pictum in charta; hæc dicitur reſtrictio pure mentalis, merè interna, non determinabilis, non perceptibilis humano modo. Hoc notato

Reſp. 1. Amphibologiâ non determinabili, & reſtrictione purè mentali, nunquam uti licet. Eſt communis, & certa ex propoſitione 26. damnatâ, quam licèt referantur multi etiam magni nominis AA. docuiſſe, tamen ſi 240. *Reſtrictio purè mentalis eſt mendacium.*

crederent, tanquam veritatem manifeſtantibus. Quare interroganti, an liceat uti reſtrictione mentali, reſpondendum eſt negativè, quia non licet paſſim, & nomine illo primùm reſtrictio purè mentalis venit.

243. *Non purè mentalis quando liceat;* Reſp. 3. Licet uti amphibologiâ perceptibili, & reſtrictione non purè mentali, ſed reali & extremâ, vocibuſque æquivocis ex communi TT. permittendo in alio errorem 1. Quando adeſt obligatio occultandi veritatem, nec adeſt alius facilis modus eam occultandi: ùt, ſi Confeſſarius de auditis in Confeſſione, Conſiliarius de actis in conſilio Principis, aut aliquis de commiſſis ſibi ſub ſecreto, quæ revelare non poſſit, interrógetur. 2. Quando adeſt juſta cauſa veritatem celandi, ùt, ſi tibi, vel proximo, ex ejus revelatione immineat grave damnum in bonis corporis, famæ, fortunæ, animæ; vel ſi occultatio conferat ad actum virtutis, & aliunde non ſit obligatio manifeſtandi veritatem. *Ratio eſt*; quia bonum commune exigit, ut ſit modus aliquando occultandi veritatem, ſæpe autem alius non eſt; deinde amphibologia determinabilis & reſtrictio non purè mentalis, mendacium, & per ſe deceptiva non eſt: nam, ſi verba ſint æquivoca, ex ipſis verbis, vel ſi non ſint æquivoca, ex circumſtantiis conſignificantibus, quibus verba, ſubſtant ſenſus loquentis intelligi poteſt: proinde locutio externa eſt conformis judicio interno; quòd autem circumſtantiæ conſignificent, patet in exemplis profanis & ſacris: Nam 1. Si quis te interroget: Esne malè ſanus? & tu ſubridendo, vel indignando reſpondeas: Non ſum malè ſanus, intelligendo

do, ſanitate mentis; modus loquendi ſatis indicat, de hac te loqui.

2. Si quis tibi occurrat cum ardore interrogans: Vidiſtine Petrum? Et tu reſpondeas: Non vidi, etſi heri videris, verè reſpondes: quia fervor interrogantis ſatis indicat, te interrogari, an videris recenter; adeoque ad mentem interrogantis reſpondes, quod & is poteſt intelligere.

3. Si Profeſſor die Lunæ examinet abſentes die Dominicâ in Sacro, interrogetque Cajum: Fuiſtine heri in Sacro? Circumſtantiæ ſignificant, interrogari de Sacro Studioſorum; unde, cùm Cajus teneatur reſpondere candidè, ſi reſpondeat, fui, ſubintelligendo, in ſummo templo fui in Sacro; mentitur.

4. Joannis 7mò. Chriſtus Dominus rogatus à Diſcipulis, ut aſcenderet ad diem feſtum, reſpondit: *Ego non aſcendam*, poſtea autem aſcendit, & tamen verè dixit: *Non aſcendam*, quia enim Diſcipuli volebant, ut aſcenderet ad ſuam divinitatem oſtendendam, Chriſtus ad mentem eorum reſpondit: *Non aſcendam*: eo nempe fine & modo: quod reſponſum Diſcipuli potuerunt intelligere, attendendo ſuam petitionem.

5. Marci 13. de die Judicii ajebat Chriſtus: *De illo die, vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Et quamvis ipſe ſciret, & quà Deus, & quà homo, tamen verè dixit; quia qualitas perſonæ loquebatur ſimul: erat enim legatus à Deo, ad docendum mundum, & quà Legatus id non ſciebat, ſcientiâ nempe communicabili.

6. Matthæi 17. dixit: *Elias jam venit*, loquebatur de Joanne Baptiſta; Joannes au-

tem Joannis c. 1. dixit : *Non ſum Elias* : verè dixit uterque , quia Chriſtus locutus eſt de Elia in ſpiritu ; Joannes negavit de Elia in perſona.

7. Joannis 2. dixit Chriſtus Judæis : *Solvite templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud* , Judæi intelligebant de templo ſuo Jeroſolymitano : Chriſtus loquebatur de templo corporis ſui , quod licet non intellexerint Judæi , invidiâ excœcati , poterant tamen ex circumſtantiis intelligere , uti intellexerunt Diſcipuli , qui poſtea recordati ſunt , quòd hoc dixerit de templo corporis ſui ; eſt autem corpus juſti templum Spiritûs ſancti Deo conſecratum per gratiam , in quo anima Deum adorat, colit, amat.

8. Joannis 11. dixit ad Diſcipulos : *Lazarus amicus noſter dormit :* quod Diſcipuli intelligebant de ſomno naturali viventis , Chriſtus autem intellexit de morte , quod intelligere Diſcipuli poterant ; addidit enim Chriſtus : Sed vado , ut à ſomno excitem eum : quid enim erat opus , ut Chriſtus eum à ſomno naturali excitaturus iret , cùm naturaliter evigilare , & ab aliis excitari potuiſſet.

9. Apud Emmaus finxit ſe longiùs ire , & tamen voluit manere cum Diſcipulis , nec ideo mendacium reale fuit , ſed voluit ſignificare, ſe adhuc longè abeſſe , ab eorum fide , ùt exponit S. Gregorius : vel velle ſe per hoſpitalitatem apud eos poſt aſcenſionem ad cœlum retineri , ùt explicat S. Auguſtinus : vel ſe omninò longiùs abiturum fuiſſe , niſi invitaretur ; proinde finxit , ſe longiùs ire , ut virtutem eos doceret. Quæ omnia facta ſunt ſine fallacia , & dolo malo.

Reſp. 4.

Reſp. 4. Ex his ſex modi ſtatuuntur à Cardena licitè veritatem occultandi, ubi eſt cauſa juſta, & deeſt obligatio eam fatendi. 144. *Sex modi celandi veritatem.*

Primus eſt, uti verbis æquivocis, & ambiguis, modò ſint talia, ut ex circumſtantiis ſenſus loquentis intelligi poſſit humano modo, aut ex ipſis verbis. Sic dixit Raph'ël Tob. 5. *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*, id eſt, auxiliator à Deo, filius adoptivus æterni Patris. Azarias enim etiam ſignificat auxilium Domini, & Ananias nubem; per hanc autem, teſte S. Ambroſio, ſignificatur Pater æternus. Et idem eſt de aliis vocibus æquivocis, modò circumſtantiæ non determinent ad ſenſum alium, & adſit juſta cauſa.

2dus modus eſt, uti verbis non ambiguis quidem, quæ tamen cum circumſtantiis ſignificent etiam ſenſum loquentis. Sic Chriſtus ſuis Diſcipulis dixit, ſe non aſcendere ad montem, patetque & in aliis exemplis jam datis.

3tius eſt, uti Metaphoris & Allegoriis: ſic Jacob excuſatur à mendacio, dum dixit patri ſuo Iſaco: *Ego ſum filius tuus Eſau*, nempe jure hæreditario eum repræſento. Sic & excuſari poteſt homo mortificatus dicens: Cibus ille delicatus mihi non prodeſt, nempe in ſpiritu: & patiens dolores, ſi dicat, ſibi eſſe bene, nemde quoad animæ profectum ex doloribus. Sic Eremita quidam juſſus aves ferre ad domum divitis, tulit eas ad ſepulchrum, quod dives ſibi conſtruxerat; & interrogatus, ubi eſſent aves, repoſuit: tuli eas ad domum tuam. Ex quo fit, quandoque actum virtutis eſſe cauſam ſufficientem utendi amphibologiâ.

4tus eſt, reſpondere ad mentem interrogantis, etſi hic reſponſionem non rectè percipiat.

Sic interrogatus in Confeſſione, an furtum fecerit? ſi ab ultima Confeſſione non fecit; rectè reſpondet: non feci, etſi antè feciſſet: quia Confeſſarius interrogat de commiſſo ab ultima Confeſſione, & quod confeſſus non ſit. Similiter ſi petenti à te pecuniam mutuam, dum non habes, niſi tibi neceſſariam, aut ſcis, tibi vix reddendam, reſpondeas: Non habeo pecuniam, ſcilicet mutuò dandam, quæ petitur: aut ſi famulus à ſuo domino multis occupato, juſſus dicere volentibus eum alloqui, quòd non ſit domi; dicat: Dominus meus non eſt domi, excuſari à mendacio poteſt, quia ſenſus eſt, non eſt domi, ut alloquium dare poſſit. Sed hæc ſecluſo ſcandalo, & ſemper cum cauſa proportionata.

5tus eſt, circumlocutione uti, ſicut ſi interrogeris à non habente jus cognoſcendi à te veritatem, an fueris in ſuſpecta domo iſta, & diceres: Doleo, quòd talem de me opinionem habeat: hoc non decet: abſit, ut unquam ſim tam imprudens.

Uſus duplicis ſcientiæ. 6tus eſt, uſus variæ ſcientiæ, quæ per verbum *Scio* ſignificatur: ſignificat enim cognitionem certam & evidentem per præmiſſas certas & evidentes; ſignificat & cognitionem probabilem, ſcientiam communicabilem, incommunicabilem, ſub obligatione communicandam, & non ſic communicandam. Sic reſpondere poteſt 1. Secretarius interrogatus de actis in Concilio Principis, ſe neſcire, & Chriſtus negavit, ſe ſcire diem Judicii,

2. Judex ſciens privatâ ſcientiâ, Cajum eſſe reum furti; ſi juridicè non ſit probatus reus, poteſt ſedens pro tribunali pronuntiare eum inno-

innocentem, quia ùt Judex procedit ex ſcientia publica.

3. Confeſſarius interrogatus à Tyranno, an Titius ſit confeſſus homicidium, reſpondere verè poteſt: non ſcio: quia Confeſſarius id non ſcit ſcientiâ communicabili, nec Tyrannus jus habet interrogandi, ut manifeſtetur, quòd Confeſſarius non ſcit ùt homo. Si Tyrannus inſtaret: an hoc non ſcis ſcientiâ Sacramentali & incommunicabili? adhuc verè reſpondere poteſt: non ſcio; quia nec ùt homo, & ſcientiâ communicabili ſcit ſe ſcire, ſed ùt vices Dei gerens, & ſcientiâ incommunicabili, cùm reflexa ſcientia ſit ex ſpeciebus in Confeſſione hauſtis, nec alia hìc eſt via reſpondendi: ſi enim diceret: de auditis in Confeſſione nec interrogari nec reſpondere debeo, ſuſpicionem moveret interroganti: cogitaret enim: ſi reus non eſſet Titius, apertè negaret eſſe confeſſum. Putant aliqui, Confeſſarium poſſe uti vocibus merè materialiter: v. g. dico: non ſcio, id eſt, has voces dico; quia licèt voces ſint inſtitutæ cum obligatione iis utendi ſignificativè extra caſum graviſſimæ neceſſitatis; non videtur tamen Reſpublica obligare potuiſſe, ad iis ſic utendum, ubi ſigillum Sacramentale aliud exigit. Uſus duplicis ſcientiæ ſervire poteſt rudibus, ubi amphibologia non occurrit, & veritatem aperire non licet, imò ſufficit iis, quòd ſciant in genere, ſe modo licito poſſe negare.

4. Si uxor interrogetur de occulto adulterio à marito, poteſt negare ſe feciſſe: quia maritus non habet Jus hoc ſciendi, & ſenſus eſt: non feci, ut tenear me infamare, vel, non ſcio ſcientia tibi ſub obligatione commu-

nicanda: aut ſi confeſſa jam eſſet ſacramentaliter & abſoluta, dicere poſſet: Non ſum rea; idem eſt de ſimilibus caſibus.

5. Si Judex non juridicè (de quo p. 3. tr. 4.) interroget reum de crimine criminaliter, ſeu in ordine ad eum puniendum; poteſt negare crimen, etſi coram Deo reus ſit; quia tunc non eſt obligatio fatendi crimen, & ſenſus eſt; non ſcio ſcientiâ tibi ex obligatione communicandâ: vel in ſenſu, in quo tu me poſſis obligare ad fatendum: vel non ſcio ità, ut tibi hìc & nunc tenear fateri; Judex enim interrogare non poteſt in eo caſu, niſi ſuppoſitâ ſemiplena probatione, & obligatione fatendi. Quare reſponſio eſt ad mentem interrogantis, qui & cogitare poteſt, eo ſenſu ipſum loqui; proinde ex circumſtantiis venire poteſt in notitiam ſensûs, quem reſpondens habet in mente. Imò ſi Judex interrogaret: an ſaltem fuiſti in illa domo ſuſpecta? & hoc negare poſſet, etſi in ea fuiſſet; quia interrogatio eſt: an fuiſti in ea ità, ut deliqueris? aliter enim interrogare non poteſt. Unde reſponſio iterum eſt ad mentem interrogantis.

6. Si Magiſtratùs interroget Titium, an non ex mutuo debeat Cajo 100. ſi debeat, tenetur fateri; quia non eſt cauſa negandi legitima, nec agitur in ordine ad pœnam infligendam, ſed in ordine ad ſatisfactionem præſtandam, ad quam ex contractu in conſcientia tenetur. Atque ità interrogatio eſt abſoluta.

7. Qui occidit hominem ſine culpa, vel promiſit matrimonium puellæ, ſcitque ſe jam non amplius teneri promiſſione, negare poteſt ſe quidquam de his ſcire, & coram Judice di-

cere,

cere, ſe non commiſiſſe homicidium, ſe non promiſiſſe matrimonium: nam interrogatio eſt de homicidio culpabili, & de promiſſione matrimonii adhuc obligante. Unde iterum reſponſio eſt ad mentem interrogantis, quam ſaltem habere debet. Atque hæc omnia, quæ quis verè, & ſine mendacio negare poteſt, poteſt etiam ſine perjurio jurare, modò adſit proportionata cauſa, quæ gravior requiritur ad jurandum ſub Amphibologia, & reſtrictione reali determinabili, quàm ad ſimpliciter loquendum, exigente id reverentia divini nominis. Quòd autem locutio Amphibologica ex juſta cauſa uſurpata ſervire poſſit quandoque ad fraudes, id per accidens eſt; ſicut eſt, quòd eò ſervire poſſit humiliatio, imò oratio, & jejunium, aliaque bona opera.

Contra hanc doctrinam, communemque tum Theologorum, tum Canoniſtarum ſententiam, uſum locutionis Amphibologicæ ex juſta cauſa licitum aſſerentium, multis quidem verbis egit Cap. 3. quidam in Theſibus, pro Doctoratu in utroque Jure publicè propoſitis, ſed parum cohærenter: quod enim in Theſi negat, in exemplis aſtruit; ùt expendenti patebit: nam 1mò §. x. permittit in aſteriſco ei, qui probabiliùs credit factum, ſed non eſt plenè convictus, ſalvâ religione dicere in ſenſu juridico: *Nondum credo;* 2. §. XI. Qui in Confeſſione veri facti injuſtè læderetur, poteſt negare, inquit, in ſenſu juridico poſitionem. Deinde ponitur hic caſus: Titius hæres condicit à te 100. ex mutuo; quos ab anteceſſore ejus verè accepiſti; tu ſcis indubiè, quòd mutuum reſtitueris, ſed cares apochâ, & teſtibus. Ad hunc caſum Auctor *Refellitur recentior.*

The-

QUÆSTIO IV.

An & quando amphibologia, reſtrictioque mentalis ſit licita, & excuſetur à Mendacio?

Difficultatem faciunt hæ propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. Prima, quæ eſt ordine inter damnatas 26. ſic habet: *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quoque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; revera non mentitur, nec eſt perjurus.* 2da ordine 27. ſic habet: *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ità ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Pro reſolutione

239. *Reſtrictio mentalis triplex.* *Notandum*, amphibologiam, quæ eſt locutio, plures importans ſenſus, tripliciter fieri poſſe. 1. Si quis utatur verbis æquivocis, quæ plura diverſa ex ſua inſtitutione æquè imò ſignificant. Si his utens mentem ſuam reſtringat ad unam ſignificationem; dicitur reſtrictio mentalis, ſed non purè talis: cùm verba, & alterum ſenſum habeant, & in utroque ab intelligente intelligi poſſint; niſi ad unum ex circumſtantiis determinentur. 2. Si quis verbis, quæ de ſe unum tantùm ſenſum habent, in iis circumſtantiis utatur, quæ cum verbis con-

conſignificant, ità ut cum iis & alium ſenſum faciant, qui ab audiente humano modo intelligi poſſit, vel explicitè, ſi perſpicax eſt, vel ſaltem confusè, ſi ſit ingenio tardus. Si quis in talibus circumſtantiis utatur verbis, & ſuum judicium reſtringat ad ſenſum, quem faciunt cum circumſtantiis, ex quibus ſenſus, quem loquens in mente habet, intelligi poſſit; dicitur reſtrictio mentalis interna, non pura, ſed realis, & externa determinabilis, vel humano modo perceptibilis: tales circumſtantiæ ſunt qualitas perſonæ loquentis, vel interrogantis, ùt Confeſſarii, Legati, Secretarii, modus actionis, finis, qualitas temporis, loci, actio, adjuncta, qualitas rei: ùt, ſi Exactor Gabellæ interrogaret te: Habesne in curru, vel navi rem talem? Et tu habens privilegium, quo liber eſſes à Gabella talis rei, reſponderes: Non habeo, intelligendo rem obnoxiam Gabellæ: cùm enim interrogeris de re obnoxia Gabellis, interrogans poteſt intelligere, te de ea loqui. 3. Si quis utatur verbis unum ſenſum habentibus, & reſtringat mentem ad aliquid, quod nec verba ſignificant, nec ex circumſtantiis intelligi humano modo poteſt, ùt, ſi redux ex Italia interrogareris, vidiſtine Papam? & reſponderes: vidi, ſubintelligendo pictum in charta; hæc dicitur reſtrictio purè mentalis, merè interna, non determinabilis, non perceptibilis humano modo. Hoc notato

Reſp. 1. Amphibologiâ non determinabili, & reſtrictione purè mentali, nunquam uti licet. Eſt communis, & certa ex propoſitione 26. damnatâ, quam licèt referantur multi etiam magni nominis AA. docuiſſe, tamen ſi

240. *Reſtrictio purè mentalis eſt mendacium.*

ſi expendantur eorum fundamenta & caſus; ex, & de quibus loquuntur; liquidò apparebit, eos non eſſe locutos de reſtrictione purè mentali, inquit Viva in damnatam 26. ſcribens: *Ratio autem reſponſionis eſt;* quia talis locutio nec verbis ſolis, nec verbis cum circumſtantiis exprimit judicium tuum reſtrictum, ſed aliud, quod non habes; ergo eſt difformis menti, & mendacium, conſequenter perjurium, ſi juratò loquaris. V. g. hæc locutio: v. g. vidi Papam, intelligendo pictum, eſt mendacium, ſique accedat juramentum, erit perjurium: Eſt enim difformis menti imprimis negativè; quia non exprimit judicium mentis tuæ: nam interrogatus, an videris Pontificem, quem non vidiſti; ſi reſpondeas: vidi, ſubintelligendo depictum; verba tua exprimunt veram, & realem perſonam Pontificis, cùm voces analogæ ſimpliciter prolatæ ſupponant pro principali analogato tantùm, & judicium tuum ſit de pictura Pontificis. Deinde locutio tua eſt poſitivè difformis menti: nam dicis: vidi Pontificem, quem ſcis, te non vidiſſe, judicas, te non vidiſſe in ſe, & tamen verba ſignificant, te vidiſſe; ergo ſunt poſitivè contra mentem, adeoque abuteris ſignis ad communicandos conceptus inſtitutis: quod ſi liceret, panderetur via fraudibus, & commercium humanum everteretur. De hac reſtrictione loquitur Propoſitio 26. damnata.

241. *Et quandoque non purè mentalis illicita.* Reſp. 2. Neque licet uti amphibologiâ determinabili, & non purè mentali 1. Ex intentione decipiendi, quia & hoc foret mendacium, & abuſus ſignorum. 2. Quando interrogans habet jus inquirendi, & jus ſub peccato imperandi veritatis confeſſionem: juri enim

enim illi reſpondet in ſubdito obligatio fatendi ſine ambiguitate, regulariter loquendo, veritatem.

Hinc 1. Si Judex interroget, & adſit ſemiplena probatio; tenetur reus reſpondere, ſaltem, ubi non agitur de pœna capitis, de quo alibi, & videri poteſt Viva in damnatas ſupra relatas. Item, ſi parens interroget filium, an v. g. fuerit in popina, tenetur candidè aperire veritatem; quia parens habet jus interrogandi, & abſolutè interrogat, nec circumſtantiæ conſignificant, adeoque reſtrictio eſt interna & pura. Excipe, niſi eſſet crudelis, tunc enim non interrogaret, ùt pater. 3. Quando non adeſt juſta cauſa celandi veritatem: nam, licèt proximus jus non habeat, à te cognoſcendi veritatem illam; tamen cùm ſimus membra communitatis humanæ, bonum commune, & lex ſocietatis exigit, ut ſine cauſa non utamur amphibologiâ etiam determinabili, & reſtrictione non merè internâ, ſed ſecundùm ſenſum obvium reſpondeamus. Et niſi hoc eſſet, everteretur fides, & commercium humanum: unde uſus reſtrictionis ſine cauſa, repugnat fidelitati & ſinceritati: quiſque enim aſſocians ſe humanæ ſocietati, tacitè promittit, ſe uſurum fideliter ſignis, ad commercium humanum inſtitutis, ubi non eſt juſta cauſa celandi veritatem. Proinde peccat ſaltem venialiter ſine cauſa loquens amphibologicè. Videri poteſt S. Thom. 2. 2. Q. 109. Art. 3. ad 1. ubi docet, legem iſtam fundari in natura hominis, in quantum animal ſociabile eſt: eatenus enim debet homo homini id, ſine quo humana ſocietas non poteſt conſiſtere; non poſſet autem conſiſtere, niſi ſibi invicem homines

242. *Corollaria.*

crederent, tanquam veritatem manifeſtantibus. Quare interroganti, an liceat uti reſtrictione mentali, reſpondendum eſt negativè, quia non licet paſſim, & nomine illo primùm reſtrictio purè mentalis venit.

243. *Non purè mentalis quando liceat;* Reſp. 3. Licet uti amphibologiâ perceptibili, & reſtrictione non purè mentali, ſed reali & extremâ, vocibuſque æquivocis ex communi TT. permittendo in alio errorem 1. Quando adeſt obligatio occultandi veritatem, nec adeſt alius facilis modus eam occultandi: ùt, ſi Confeſſarius de auditis in Confeſſione, Conſiliarius de actis in conſilio Principis, aut aliquis de commiſſis ſibi ſub ſecreto, quæ revelare non poſſit, interrogetur. 2. Quando adeſt juſta cauſa veritatem celandi, ùt, ſi tibi, vel proximo, ex ejus revelatione immineat grave damnum in bonis corporis, famæ, fortunæ, animæ; vel ſi occultatio conferat ad actum virtutis, & aliunde non ſit obligatio manifeſtandi veritatem. *Ratio eſt*; quia bonum commune exigit, ut ſit modus aliquando occultandi veritatem, ſæpe autem alius non eſt; deinde amphibologia determinabilis & reſtrictio non purè mentalis, mendacium, & per ſe deceptiva non eſt: nam, ſi verba ſint æquivoca, ex ipſis verbis, vel ſi non ſint æquivoca, ex circumſtantiis conſignificantibus, quibus verba, ſubſtant ſenſus loquentis intelligi poteſt: proinde locutio externa eſt conformis judicio interno; quòd autem circumſtantiæ conſignificent, patet in exemplis profanis & ſacris: Nam 1. Si quis te interroget: Esne malè ſanus? & tu ſubridendo, vel indignando reſpondeas: Non ſum malè ſanus, intelligendo

do, ſanitate mentis ; modus loquendi ſatis indicat, de hac te loqui.

2. Si quis tibi occurrat cum ardore interrogans : Vidiſtine Petrum ? Et tu reſpondeas : Non vidi, etſi heri videris, verè reſpondes : quia fervor interrogantis ſatis indicat, te interrogari, an videris recenter ; adeoque ad mentem interrogantis reſpondes, quod & is poteſt intelligere.

3. Si Profeſſor die Lunæ examinet abſentes die Dominicâ in Sacro, interrogetque Cajum : Fuiſtine heri in Sacro ? Circumſtantiæ ſignificant, interrogari de Sacro Studioſorum ; unde, cùm Cajus teneatur reſpondere candidè, ſi reſpondeat, fui, ſubintelligendo, in ſummo templo fui in Sacro ; mentitur.

4. Joannis 7mò. Chriſtus Dominus rogatus à Diſcipulis, ut aſcenderet ad diem feſtum, reſpondit : *Ego non aſcendam*, poſtea autem aſcendit, & tamen verè dixit : *Non aſcendam*, quia enim Diſcipuli volebant, ut aſcenderet ad ſuam divinitatem oſtendendam, Chriſtus ad mentem eorum reſpondit : *Non aſcendam* : eo nempe fine & modo : quod reſponſum Diſcipuli potuerunt intelligere, attendendo ſuam petitionem.

5. Marci 13. de die Judicii ajebat Chriſtus : *De illo die, vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Et quamvis ipſe ſciret, & quà Deus, & quà homo, tamen verè dixit ; quia qualitas perſonæ loquebatur ſimul : erat enim legatus à Deo, ad docendum mundum, & quà Legatus id non ſciebat, ſcientiâ nempe communicabili.

6. Matthæi 17. dixit : *Elias jam venit*, loquebatur de Joanne Baptiſta ; Joannes au-

tem Joannis c. 1. dixit : *Non ſum Elias* : verè dixit uterque, quia Chriſtus locutus eſt de Elia in ſpiritu ; Joannes negavit de Elia in perſona.

7. Joannis 2. dixit Chriſtus Judæis : *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, Judæi intelligebant de templo ſuo Jeroſolymitano : Chriſtus loquebatur de templo corporis ſui, quod licet non intellexerint Judæi, invidiâ excœcati, poterant tamen ex circumſtantiis intelligere, utì intellexerunt Diſcipuli, qui poſtea recordati ſunt, quòd hoc dixerit de templo corporis ſui ; eſt autem corpus juſti templum Spiritûs ſancti Deo conſecratum per gratiam, in quo anima Deum adorat, colit, amat.

8. Joannis 11. dixit ad Diſcipulos : *Lazarus amicus noſter dormit* : quod Diſcipuli intelligebant de ſomno naturali viventis, Chriſtus autem intellexit de morte, quod intelligere Diſcipuli poterant ; addidit enim Chriſtus : Sed vado, ut à ſomno excitem eum : quid enim erat opus, ut Chriſtus eum à ſomno naturali excitaturus iret, cùm naturaliter evigilare, & ab aliis excitari potuiſſet.

9. Apud Emmaus finxit ſe longiùs ire, & tamen voluit manere cum Diſcipulis, nec ideo mendacium reale fuit, ſed voluit ſignificare, ſe adhuc longè abeſſe, ab eorum fide, ùt exponit S. Gregorius : vel velle ſe per hoſpitalitatem apud eos poſt aſcenſionem ad cœlum retineri, ùt explicat S. Auguſtinus : vel ſe omninò longiùs abiturum fuiſſe, niſi invitaretur ; proinde finxit, ſe longiùs ire, ut virtutem eos doceret. Quæ omnia facta ſunt ſine fallacia, & dolo malo.

Reſp. 4.

Reſp. 4. Ex his ſex modi ſtatuuntur à Cardena licitè veritatem occultandi, ubi eſt cauſa juſta, & deeſt obligatio eam fatendi. 144. *Sex modi celandi veritatem.*

Primus eſt, uti verbis æquivocis, & ambiguis, modò ſint talia, ut ex circumſtantiis ſenſus loquentis intelligi poſſit humano modo, aut ex ipſis verbis. Sic dixit Raph ël Tob. 5. *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*, id eſt, auxiliator à Deo, filius adoptivus æterni Patris. Azarias enim etiam ſignificat auxilium Domini, & Ananias nubem; per hanc autem, teſte S. Ambroſio, ſignificatur Pater æternus. Et idem eſt de aliis vocibus æquivocis, modò circumſtantiæ non determinent ad ſenſum alium, & adſit juſta cauſa.

2dus modus eſt, uti verbis non ambiguis quidem, quæ tamen cum circumſtantiis ſignificent etiam ſenſum loquentis. Sic Chriſtus ſuis Diſcipulis dixit, ſe non aſcendere ad montem, patetque & in aliis exemplis jam datis.

3tius eſt, uti Metaphoris & Allegoriis: ſic Jacob excuſatur à mendacio, dum dixit patri ſuo Iſaco: *Ego ſum filius tuus Eſau*, nempe jure hæreditario eum repræſento. Sic & excuſari poteſt homo mortificatus dicens: Cibus ille delicatus mihi non prodeſt, nempe in ſpiritu: & patiens dolores, ſi dicat, ſibi eſſe bene, nemde quoad animæ profectum ex doloribus. Sic Eremita quidam juſſus aves ferre ad domum divitis, tulit eas ad ſepulchrum, quod dives ſibi conſtruxerat; & interrogatus, ubi eſſent aves, repoſuit: tuli eas ad domum tuam. Ex quo fit, quandoque actum virtutis eſſe cauſam ſufficientem utendi amphibologiâ.

4tus eſt, reſpondere ad mentem interrogantis, etſi hic reſponſionem non rectè percipiat.

Sic interrogatus in Confeſſione, an furtum fecerit? ſi ab ultima Confeſſione non fecit; rectè reſpondet: non feci, etſi antè feciſſet: quia Confeſſarius interrogat de commiſſo ab ultima Confeſſione, & quod confeſſus non ſit. Similiter ſi petenti à te pecuniam mutuam, dum non habes, niſi tibi neceſſariam, aut ſcis, tibi vix reddendam, reſpondeas: Non habeo pecuniam, ſcilicet mutuò dandam, quæ petitur: aut ſi famulus à ſuo domino multis occupato, juſſus dicere volentibus eum alloqui, quòd non ſit domi; dicat: Dominus meus non eſt domi, excuſari à mendacio poteſt, quia ſenſus eſt, non eſt domi, ut alloquium dare poſſit. Sed hæc ſecluſo ſcandalo, & ſemper cum cauſa proportionata.

5tus eſt, circumlocutione uti, ſicut ſi interrogeris à non habente jus cognoſcendi à te veritatem, an fueris in ſuſpecta domo iſta, & diceres: Doleo, quòd talem de me opinionem habeat: hoc non decet: abſit, ut unquam ſim tam imprudens.

Uſus duplicis ſcientiæ. 6tus eſt, uſus variæ ſcientiæ, quæ per verbum *Scio* ſignificatur: ſignificat enim cognitionem certam & evidentem per præmiſſas certas & evidentes; ſignificat & cognitionem probabilem, ſcientiam communicabilem, incommunicabilem, ſub obligatione communicandam, & non ſic communicandam. Sic reſpondere poteſt 1. Secretarius interrogatus de actis in Concilio Principis, ſe neſcire, & Chriſtus negavit, ſe ſcire diem Judicii,

2. Judex ſciens privatâ ſcientiâ, Cajum eſſe reum furti, ſi juridicè non ſit probatus reus, poteſt ſedens pro tribunali pronuntiare eum inno-

innocentem, quia ùt Judex procedit ex ſcientia publica.

3. Confeſſarius interrogatus à Tyranno, an Titius ſit confeſſus homicidium, reſpondere verè poteſt: non ſcio: quia Confeſſarius id non ſcit ſcientiâ communicabili, nec Tyrannus jus habet interrogandi, ut manifeſtetur, quòd Confeſſarius non ſcit ùt homo. Si Tyrannus inſtaret: an hoc non ſcis ſcientiâ Sacramentali & incommunicabili? adhuc verè reſpondere poteſt: non ſcio; quia nec ùt homo, & ſcientiâ communicabili ſcit ſe ſcire, ſed ùt vices Dei gerens, & ſcientiâ incommunicabili, cùm reflexa ſcientia ſit ex ſpeciebus in Confeſſione hauſtis, nec alia hìc eſt via reſpondendi: ſi enim diceret: de auditis in Confeſſione nec interrogari nec reſpondere debeo, ſuſpicionem moveret interroganti: cogitaret enim: ſi reus non eſſet Titius, apertè negaret eſſe confeſſum. Putant aliqui, Confeſſarium poſſe uti vocibus merè materialiter: v. g. dico: non ſcio, id eſt, has voces dico; quia licèt voces ſint inſtitutæ cum obligatione iis utendi ſignificativè extra caſum graviſſimæ neceſſitatis; non videtur tamen Reſpublica obligare potuiſſe, ad iis ſic utendum, ubi ſigillum Sacramentale aliud exigit. Uſus duplicis ſcientiæ ſervire poteſt rudibus, ubi amphibologia non occurrit, & veritatem aperire non licet, imò ſufficit iis, quòd ſciant in genere, ſe modo licito poſſe negare.

4. Si uxor interrogetur de occulto adulterio à marito, poteſt negare ſe feciſſe: quia maritus non habet Jus hoc ſciendi, & ſenſus eſt: non feci, ut tenear me infamare, vel, non ſcio ſcientia tibi ſub obligatione commu-

nicanda: aut ſi confeſſa jam eſſet ſacramentaliter & abſoluta, dicere poſſet: Non ſum rea; idem eſt de ſimilibus caſibus.

5. Si Judex non juridicè (de quo p. 3. tr. 4.) interroget reum de crimine criminaliter, ſeu in ordine ad eum puniendum; poteſt negare crimen, etſi coram Deo reus ſit; quia tunc non eſt obligatio fatendi crimen, & ſenſus eſt; non ſcio ſcientiâ tibi ex obligatione communicandâ: vel in ſenſu, in quo tu me poſſis obligare ad fatendum: vel non ſcio ità, ut tibi hìc & nunc teneat fateri; Judex enim interrogare non poteſt in eo caſu, niſi ſuppoſitâ ſemiplena probatione, & obligatione fatendi. Quare reſponſio eſt ad mentem interrogantis, qui & cogitare poteſt, eo ſenſu ipſum loqui; proinde ex circumſtantiis venire poteſt in notitiam ſensûs, quem reſpondens habet in mente. Imò ſi Judex interrogaret: an ſaltem fuiſti in illa domo ſuſpecta? & hoc negare poſſet, etſi in ea fuiſſet; quia interrogatio eſt: an fuiſti in ea ità, ut deliqueris? aliter enim interrogare non poteſt. Unde reſponſio iterum eſt ad mentem interrogantis.

6. Si Magiſtratùs interroget Titium, an non ex mutuo debeat Cajo 100. ſi debeat, tenetur fateri; quia non eſt cauſa negandi legitima, nec agitur in ordine ad pœnam infligendam, ſed in ordine ad ſatisfactionem præſtandam, ad quam ex contractu in conſcientia tenetur. Atque ità interrogatio eſt abſoluta.

7. Qui occidit hominem ſine culpa, vel promiſit matrimonium puellæ, ſcitque ſe jam non amplius teneri promiſſione, negare poteſt ſe quidquam de his ſcire, & coram Judice dicere,

cere, ſe non commiſiſſe homicidium, ſe non promiſiſſe matrimonium: nam interrogatio eſt de homicidio culpabili, & de promiſſione matrimonii adhuc obligante. Unde iterum reſponſio eſt ad mentem interrogantis, quam ſaltem habere debet. Atque hæc omnia, quæ quis verè, & ſine mendacio negare poteſt, poteſt etiam ſine perjurio jurare, modò adſit proportionata cauſa, quæ gravior requiritur ad jurandum ſub Amphibologia, & reſtrictione reali determinabili, quàm ad ſimpliciter loquendum, exigente id reverentia divini nominis. Quòd autem locutio Amphibologica ex juſta cauſa uſurpata ſervire poſſit quandoque ad fraudes, id per accidens eſt; ſicut eſt, quòd eò ſervire poſſit humiliatio, imò oratio, & jejunium, aliaque bona opera.

Contra hanc doctrinam, communemque tum Theologorum, tum Canoniſtarum ſententiam, uſum locutionis Amphibologicæ ex juſta cauſa licitum aſſerentium, multis quidem verbis egit Cap. 3. quidam in Theſibus, pro Doctoratu in utroque Jure publicè propoſitis, ſed parum cohærenter: quod enim in Theſi negat, in exemplis aſtruit; ùt expendenti patebit: nam 1mò §. x. permittit in aſteriſco ei, qui probabiliùs credit factum, ſed non eſt plenè convictus, ſalvâ religione dicere in ſenſu juridico: *Nondum credo:* 2. §. XI. Qui in Confeſſione veri facti injuſtè læderetur, poteſt negare, inquit, in ſenſu juridico poſitionem. Deinde ponitur hic caſus: Titius hæres condicit à te 100. ex mutuo; quos ab anteceſſore ejus verè accepiſti; tu ſcis indubiè, quòd mutuum reſtitueris, ſed cares apochâ, & teſtibus. Ad hunc caſum Auctor *Refellitur recentior.*

The-

Theſium, poſtquam, ſicut ſuprà §. II. cauſidicos compellavit rabulas, Theologos dixiſſet conſiliarios, quibus ſat tuto fidi non poſſet; reſpondet, quòd poſſis poſitionem purè negare.
3. §. XIII. Si factum extiterit ſine effectu, & Judex ſit laturus ſententiam effectûs præſumpti, tu verò certus ſis de effectu non ſecuto; reſpondet Author Theſium, factum te poſſe negare, quia in ſignificatione juridica factum inutile, ſterile, effectuque carens, habetur pro infecto; uti ſi habuiſti copulam cum ſoluta, & certus es, quòd non fuerit perfecta; mulier autem imprægnata te convenit in puncto excitatæ prolis; abſolutè negare potes copulam à te eſſe habitam. In his, & ſimilibus, niſi quis, plus cæteris ſapiens, velit à communi, & recepto modo loquendi recedere, certum eſt, intervenire reſtrictionem mentalem, non quidem merè internam, ſed externam, realem, & humano modo perceptibilem ab audiente: nam verba reſpondentis, ſecundùm ſe ſolitariè accepta, ſenſum habent alium ab eo, quem habent in & cum circumſtantiis, in quibus proferuntur, & ad hunc reſpondens reſtringit mentem ſuam, quam etiam Judex interrogans percipere poteſt; cùm ſciat reſpondentem nullâ lege ad reſpondendum in alio obligari.

Præterea inter poſitiones de Jure naturæ & gentium, ex eadem penu productas, eodem die ab eodem publicæ diſputationi propoſitas, quarta aſſerebat, quòd *pax, vi armorum extorta, non aſtringat, ſed datâ occaſione reſpirandi, queat belli, injuſtè moti, vindicta peti.* Hæc Aſſertio ex communiſſima Theologorum ſen-

ſententia equidem falſa eſt, ſed quia eam expendere alterius loci eſt, hìc id ſolùm peto conſiderari, quomodo ejuſmodi pacis fœdera iniri poſſint ſine reſtrictione mentali? nam vi armorum adactus, paciſcendo utitur verbis abſolutis, & tranſactionem jure jurando confirmat. Si itaque verba non reſtringat tacitè ad conditionem, vel modum, v. g. *niſi, vel donec occaſionem nactus fuero belli, injuſtè moti, vindictam petendi*, mendax eſt, & perjurus, utpote verba menti, quam habet, non ſervandi, ſed à tranſactione recedendi, non conformans. Si autem reſtringat, jam per Authorem Theſium pariter reus erit mendacii & perjurii, idque in materia gravi: imò cùm jure gentium, & ex communiſſima perſuaſione fœdera publica etiam hoſtî ſint ſervanda, etſi injuſtè extorta, adeoque non præſumatur, ſub verbis abſolutis latere conditionem vel modum, ad quem reſtringantur; cogitur Author poſitionum, reſtrictionem non purè mentalem damnans, admittere, quòd ejuſmodi paciſcens uti poſſit reſtrictione purè mentali, cùm verba nec ſe ſolis, nec cum circumſtantiis ſenſum in mente paciſcentis latentem ſignificent; atque ità iterum committitur mendacium in re gravi, & perjurium.

Demum, ut oſtendat, quo teneatur amore pacis, in aſteriſco poſt §. XV. delabitur ad ſcommata. *Loquela*, inquit, *reſtrictorum ſuo modo Reip. pernicioſior eſt lingua Ambronum Ambubajarum, ac Balatronum*, als die Jauner-Sprach; *tametſi enim iſta fax hominum in eo cum reſtrictoribus conveniat, quòd tam hæc, quam iſti utantur ſermone peregrino,*

regrino, nullâ publicâ inſtitutione condito; in eo tamen melioris candoris ſunt Ambubajæ, quam reſtrictores, quòd Ambubajæ ſe invicem intelligant, licèt non intelligantur ab aliis; at verò reſtrictores, ne ſe quidam invicem intelligant: unde arte reſtringendi Ambubaja Ambubajam, nebulo nebulonem circumvenire, naſoque adunco ſuſpendere poteſt. §. verò XVIII. hortatur reſpondentem his verbis: *Nullus ultra Judas eſto, nullus improbus, nullus alia in ore verſans, alia in mente retinens.*

Verùm, ni fallor, ab his abſtinuiſſet, ſi in mentem ei venire potuiſſet, iiſdem ſe pariter imò magis quàm alios, à ſe impeti; ſcommatis nihil probari, ſed Doctoris eſſe, aſſertiones ſuas authoritate & rationibus firmare, præſertim ſi à ſenſu communi deflectat, eoſque qui his deſtituuntur, ad ſcommata prolabi faciliùs.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quid ſit Miſericordia, & quæ ad ejus exercitium incitamenta?

Reſp. Miſericordia eſt virtus inclinans ad ſublevandam alienam miſeriam: vel, quâ ex commiſerationis affectu miſeriis proximi ſubvenimus, ob ſpecialem honeſtatem in eo relucentem. Ejus materia, ſeu objectum materiale remotum ſunt miſeriæ proximi tum corporis, ut fames, ſitis, nuditas, captivitas, ægritudo &c. tum animæ, ùt ignorantia, & cæcitas intellectûs, propenſio voluntatis in malum, lapſus in peccata &c. Objectum verò materiale proximum ſunt actus; quibus miſerias proximi ſublevamus, vel quantum in nobis eſt, tollimus: ùt paſcere eſurientes, potum dare ſitientibus, nudos veſtire, ægros inviſere, captivos redimere, ignorantes docere, errantes corrigere, dubitantibus rectè conſulere, conſolari mœſtos, offenſas condonare, injurias remittere &c. Denique objectum formale motivum eſt ſpecialis honeſtas, in iis actibus reperta; qui, ſi fiant ex motivo charitatis, majoris perfectionis & meriti ſunt. Incitamenta ad hujus virtutis exercitium ſunt 1. Operibus miſericordiæ maximè imitamur Deum, Patrem noſtrum cœleſtem, cujus miſerationes ſunt ſuper omnia opera ejus, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Unde dicitur Lucæ 6. *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* 2. Quòd præſtamus pauperibus, & egentibus, Chriſto præſtamus. *Quòd uni ex minimis meis feciſtis,*

245. *Quid ſit miſericordia?*

ciſtis, mihi feciſtis. Quis Chriſto abnuat ? 3. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Prov. 19. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matthæi 5. *Qui dat pauperi, non indigebit.* Prov. 28. 4. Cor durum erga pauperes cor reprobi, cor miſericors cor prædeſtinati eſt. *Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam. Ite maledicti, venite benedicti.* Cauſa redditur, quia hi, non verò illi, fuêre miſericordes. Quare ſi non potes multum, tribue animo benevolo parum: ſi non potes præſtare corporalia, ſuccurre ſpiritualibus, orando ſaltem pro afflictis, pro peccatoribus, pro converſione infidelium, pro animabus purgatorii &c.

TRACTATUS IV.

De Virtute Religionis.

VOx religio, à verbo religo derivata, ſignificat 1mò naturæ rationalis, ex debito & inclinatione naturali cultui Dei, Authoris ſui, devincta religationem ad eum colendum per liberam electionem. 2. Doctrinam de Deo, & cultu ei exhibendo; & ſic alia eſt falſa, ùt nunc religio Judæorum, Hæreticorum &c. Alia vera, qualis nunc eſt ſola Chriſtiana Catholica. 3. Ductum conſcientiæ, quo ſenſu dicimur aliquid religioni nobis ducere. 4. Statum, in quo à religatis per certas regulas, conſtitutiones, & vota, ſingu-

ſingulari ſtudio, & obſervantiâ Deus colitur; & ſtatus religionis dicitur. 5. Virtutem, quâ inclinamur ad cultum tum in-tum externum Deo exhibendum. In hoc ſenſu de ea nobis hìc eſt ſermo.

Definitur autem: Virtus, quâ Deo tanquam primo omnium principio, ſupremoque Domino cultus debitus exhibetur cum quadam ſubmiſſione noſtrî erga ejus excellentiam, propter honeſtatem in eo cultu relucentem: ſi enim Principi terreno propter eminentiam, & quandam boni ſtatûs Reipublicæ ab ipſo dependentiam cultus aliquis exhibendus eſt; multò magìs Dei infinitæ excellentiæ, à quo dependet omni momento eſſe, vita & omne bonum noſtrum; ſingularis honor cum ſubmiſſione noſtrî deferendus eſt, velut quoddam tributum, quo excellentiam ejus, noſtramque ſubjectionem, & dependentiam conteſtemur. 246. *Virtus religionis.*

In hujus virtutis exercitio quatuor potiſſimùm actus exercendi ſunt. Primus eſt infinitæ Majeſtatis Dei & principii omnium; ſecundus noſtrî nihili, continuæque ab ipſo dependentiæ conſideratio; tertius profunda ſubmiſſio, quâ iſta mente teſtemur; quartus eorundem exterior profeſſio verbis, geſtu corporis, v. gr. genuflexione, complicatione, elevatione manuum, aliiſque modis. Unde actus religionis alii ſunt merè interni, ùt mentalis oratio, adoratio, votum &c. Alii ſimul externi, ùt ſacer cantus, oratio vocalis, genuflexio, auditio Miſſæ, ſolutio decimarum, fundatio, collatio beneficii Eccleſiaſtici &c. cùm enim corpus, & animam habeamus à *Actus ejus.*

 Deo,

Deo, eum tanquam utriuſque principium utroque venerari oportet.

Objectum. Objectum *cui* religionis eſt Deus, materiale *quod* cultus, formale honeſtas ejus.

CAPUT I.

De cultu religionis, qui Deo exhibetur per adorationem, orationem privatam & publicam, ſeu Horas Canonicas.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit adoratio, & devotio?

247. *Quid ſit devotio, & adoratio?* Reſp. Devotio eſt prompta voluntas Deo exhibendi cultum. Hæc eſt actus elicitus religionis, reliqui ſunt actus imperati ab ipſa. Adoratio lätiùs accepta eſt actus, quo teſtificamur alterius excellentiam, noſtramque propter eam erga ipſum ſubjectionem. Strictè accepta eſt cultus latriæ, quo Dei increatam, & infinitam excellentiam, & noſtram ſummam ab ipſo dependentiam cum humili ſubmiſſione teſtificamur, agnoſcimuſque ſupremum ejus in res omnes dominium tum internè per actus intellectûs & voluntatis, tum ſignis externis, à devota voluntate profectis: à devotione enim reliqui actus religionis imperantur.

Diviſio adorationis. Adoratio latiùs accepta dividitur primò in latriam, quâ Dei increatam, & in hyperduliam,

liam, quâ Beatiſſimæ Virginis ſuper reliquas creaturas ſupereminentem excellentiam ſupernaturalem , & in duliam, quâ Sanctorum ſupernaturalem excellentiam cum noſtrî erga ipſos ſubmiſſione veneramur, & teſtificamur. 2. In politicam & ſacram ; abſolutam & reſpectivam. Politica eſt , quà viros Principes & ſapientes &c. propter excellentiam ſuam ; ſacra, quâ Sanctos ob eminentiam ſupernaturalem veneramur. Abſoluta eſt, quâ perſona propter intrinſecam ipſi ; relativa , quâ aliquid propter excellentiam perſonæ, ad quam dicit habitudinem , vel conjunctionem aliquam colitur. Sic ſi Deum propter ſuam excellentiam colas , erit adoratio abſoluta ; ſi Sanctos propter Deum , erit adoratio ſeu cultus reſpectivus : ſi Beatiſſimam Virginem ob ſuam excellentiam colas , erit cultus abſolutus , ſi propter ipſam , ejus imaginem , erit cultus reſpectivus. Uterque cultus debet eſſe proportionatus perſonæ. Hinc Chriſtus cultu latriæ abſoluto , imago ejus cultu latriæ reſpectivo colitur : Sancti duliæ cultu abſoluto , eorum imagines reſpectivo : nam cultus reſpectivus eſt reverentia & ſubmiſſio ſigno externo exhibita imagini ad teſtificandam excellentiam perſonæ repræſentatæ , noſtramque erga hanc perſonam ſubmiſſionem. Differt autem adoratio & cultus ab honore ; quia hic eſt teſtificatio alterius dignitatis , quæ ſecundùm ſe , quatenus præcisè honor eſt, non importat ſubmiſſionem , ùt importat cultus & adoratio : poteſt enim quis honorare plebejum abſque eo , quòd ei ſe ſubmittat.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit oratio?

248. *Quid ſit oratio, & quàm neceſſaria?* Reſp. 1. Oratio ſtrictè accepta eſt humilis decentium petitio, ad Deum, tanquam fontem omnis boni, directa, vel immediatè, vel mediante Sanctorum interceſſione. Dicitur 1mò. *Humilis petitio*; quia oratio debet fieri cum ſubmiſſione, & noſtræ indigentiæ confeſſione, cum recta intentione, attentione, & fiducia, decentique corporis compoſitione. Dicitur 2dò. *Petitio decentium*; qualia inprimis ſunt ad ſalutem neceſſaria, ùt auxilia gratiæ, virtutes, donum perſeverantiæ, beatitudo, quæ peti poſſunt abſolutè; tum alia, quatenus ad ſalutem poſſunt conducere, ùt ſunt divitiæ, honores, nominis claritas &c. quæ peti non debent, niſi conditionatè, & quatenus ex Dei ordinatione, cumque ejus auxilio conferre poſſunt, ad ejus gloriam, noſtramque ſalutem; rem verò malam etiam venialiter à Deo petere, aut auxilium ad eam, gravis foret Deo injuria; quia eſſet velle eum mali authorem, vel fautorem eſſe. Dicitur 3. *Directa immediatè ad Deum*; ùt eſt Oratio Dominica, & paſſim orationes Eccleſiæ; vel mediante Sanctorum interceſſione; Sanctos enim in cœlo poſſe orationes noſtras comitari, & ſuam interceſſionem pro nobis interponere de fide eſt. Animas in purgatorio poſſe pro nobis orare, affirmat communis ſententia; quia ſunt conjunctæ cum Deo, & in communione Sanctorum. Porrò oratio neceſſaria eſt adultis, utentibus ratione, ad ſalutem non tan-

tantùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medii, ùt habet communis omnium Theologorum: voluit enim Deus, ut ipſum fontem omnis boni agnoſcamus, profiteamur noſtram indigentiam, ſine quo nullus adultus gratias finaliter efficaces, donumque perſeverantiæ obtinebit.

Reſp. 2. Oratio alia eſt purè mentalis ſeu interna, ùt ſancta deſideria ad Deum directa, vel Sanctos, imò, ſi oratio latiùs acciperetur, eſt quivis actus virtutis, v. g. Fidei, Spei, Charitatis. Alia ſimul vocalis. Hæc ſubdividitur in privatam, quæ fit à perſona privata nomine ſuo; & publicam, quæ fit à communitate, vel à miniſtris, ab ea deputatis, utì ſunt Clerici, qui ex inſtituto Eccleſiæ in Choro perſolvunt officium Canonicum: hoc enim fit nomine Eccleſiæ à miniſtris, ad id deputatis, utì tenent omnes. Quare fideles non excommunicati fiunt participes talium precum, tenenturque tales miniſtri Eccleſiæ offerre preces Canonicas pro fideli populo ſeu Eccleſia. Poteſt tamen quis ſibi applicare, vel alteri primò, quæ ad eſſentiam Horarum non ſpectant, ùt moleſtias corporis & animi accidentales, quas perfert, fervorem, devotionem non debitam. 2. Fructum obedientiæ, & juſtitiæ in ſe redundantem. 3. Genuflexionem, ſtationem &c. 249. *Diviſio.*

An non aſtricti Choro debeant officium perſolvere nomine Eccleſiæ, dubium eſt. Affirmat Suarez, oppoſitum putat probabiliùs eſſe Gobat. In dubio ſtandum eſt pro libertate, quæ eſt res inæſtimabilis. Si tamen deſtinatus ad Chorum privatim id perſolvat, putat Sporer certum eſſe, quòd debeat id facere no- *An Hora dicenda nomine Eccleſiæ?*

 mine

mine Eccleſiæ, tanquam legatus ejus ad Deum, adeoque non debet agere tantùm ſuam cauſam, ſed totius Eccleſiæ. Vide Gobat in Theologia morali Experiment. tract. 5. N. 769. & 789. Sporer in Theologia Sacram. de horis N. *66.* Sed quidquid ſit de hoc, ſatisfacit, qui perſolvit officium cum intentione implendi ſuum officium, poteſtque habere intentionem ſibi vel alteri applicandi, quidquid poteſt. Ut oratio (per quam quiſque poteſt ſibi, vel alteri beneficia imperrare, & etiam peccatores ſibi gratias) infallibilem effectum habeat, debet fieri nomine Chriſti tanquam Salvatoris; nomine cujus peti non poteſt, niſi quòd ad gloriam Dei noſtramque ſalutem secundùm divinam providentiam conducit. Dein debet fieri perſeveranter cum debita humilitate & fiducia, atque ad debitum finem. Quæ attentio ſit de eſſentia orationis, dicetur N. *266.*

QUÆSTIO III.

Quid, & quot ſint Horæ Canonicæ?

250. *Quid ſint?* Reſp. 1. Horæ Canonicæ ſunt publicæ, & ſtatæ preces, nocturnis diurniſque horis ex ſacrorum Canonum decreto, ab Eccleſiaſticis perſonis perſolvendæ. Dicuntur hæ preces Horæ, ſumendo quaſi continens pro contento; quia certis horis perſolvendæ ſunt. Dicuntur etiam Officium Canonicum; quia per Canones, ſeu leges Eccleſiæ inductæ: officium Divinum; quia Dei laudem & honorem continent: officium Eccleſiaſticum, quia à perſonis Eccleſiaſticis, quas maximè decet orationi

tioni Deum pro Fidelibus inſiſtere, ſunt dicendæ: Breviarium; quia ſunt breve compendium Divinæ Scripturæ. Dicuntur diurnis nocturniſque horis perſolvendæ; quia olim tres nocturni feſtis ſaltem ſolennioribus perſolvi debebant de nocte.

Secundò horæ Canonicæ ſunt ſeptem: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, Completorium, quæ myſteriis Paſſionis Chriſti his verſibus accommodantur: *Quot ſint?*

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat:
Prima replet ſputis, condemnat tertia mortis,
Sexta Cruci affixit, ſuffixum Nona necavit,
Veſpera deponit, tumulo Completa recondit.

Pro his intelligendis notandum. Sicut hodiedùm diem naturalem, id eſt tempus, quo ſol ſuum curſum circa orbem terrarum, illuminando ſucceſſivè, totum abſolvit, in viginti quatuor partes æquales per totum annum, quas horas appellamus, dividimus, incipiendo more Romano à media nocte; ità olim Hebræi dividebant quidem diem illum, qui noctem nobis ſimul complectitur, in viginti quatuor horas; verùm diei vulgari, qui & artificialis dicitur, tribuebant horas duodecim, & totidem nocti: proinde horæ erant pro diverſo anni tempore jam breviores, jam longiores, jam æquales. Horas duodecim noctis dividebant iterum in quatuor partes, quas Vigilias vocabant. Prima Vigilia incipiebat ab occaſu ſolis, & continebat tres ipſorum vulgares horas: proinde deſinebat in 251. *Nox olim diviſa in quatuor vigilias, & horas inæquales.*

puncto, inter occaſum ſolis, & mediam noctem medio, in quo incipiebat Vigilia ſecunda, quæ deſinebat in media nocte; dein ſequebatur Vigilia tertia, quæ complectebatur dimidium temporis à media nocte ad ſolis ortum; tertiam excipiebat quarta, quæ finiebatur in ortu ſolis. Singulæ itaque Vigiliæ continebant tres horas artificiales. De his Vigiliis meminit Evangelium: nam Matth. 14. dicitur Chriſtus quartâ Vigiliâ noctis veniſſe ad Diſcipulos ambulans ſuper mare. Et Luc. 12. Chriſtus beatos dicit ſervos, quos Dominus invenerit vigilantes, ſi venerit in ſecunda Vigilia, & ſi in tertia Vigilia venerit, & ità invenerit.

Dies olim diviſa in horas 12. inæquales profanas, & in 4. ſacras.

Similiter horas duodecim diei artificialis dividebant in quatuor partes æquales, quæ ſingulæ complectebantur tres horas artificiales, ſeu profanas, & erant horæ ſacræ ſeu orationis. Prima incipiebat ab ortu ſolis, durabatque ad punctum medium inter ortum ſolis & meridiem; dein incipiebat tertia, & terminabatur in meridie; ab hac ſequebatur Sexta, quæ durabat ad punctum temporis dimidium, inter meridiem, & occaſum ſolis; Sextam excipiebat Nona uſque ad ſolis occaſum.

Hora mortis Chriſti explicata.

Ex his facilè conciliantur Evangeliſtæ, qui de tempore Crucifixionis Chriſti diſſentire videri poſſent: nam Joannis Cap. 19. dicitur: *Erat autem Paraſceve hora quaſi ſexta, & dicit Judæis*, nempe Pilatus: *Ecce Rex veſter*. Marci 15. *Erat autem hora tertia*, ſcilicet jam completa, *& crucifixerunt eum.* Additur: *Et factâ horâ ſextâ tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram uſque ad horam nonam, & horâ nonâ exclamavit JEſus.* Joannes

nes loquitur de tempore propinquo meridiei, ſive fuerit hora ſexta profana incipiens, ſive hora orationis ſexta jam appropinquans. Marcus loquitur de hora tertia orationis jam exactâ ferè: in ipſo enim puncto meridiei Chriſtus jam pendebat in cruce, tribuſque horis in ea vivus pependit, nempe uſque ad nonam à ſexta ſacra ſeu orationis uſque ad nonam, quæ Nona dicitur; quia jam elapſis novem diei artificialis horis incipiebat; ſicut altera dicitur Tertia, quia tribus; altera Sexta, quia ſex jam horis elapſis incipiebat, erantque etiam hæ horæ deſtinatæ ad orationem in veteri teſtamento.

Hora orationis in primæva Eccleſia Chriſti.

Secundùm hanc in quadrantes quatuor noctis & diei diviſionem peragebatur olim in primæva Chriſti Eccleſia Officium divinum; de nocte in quibuſdam Eccleſiis Pſalmi dividebantur in tres partes, quas Nocturnos vocamus, & in Feſtis, præſertim ſolennioribus, primus Nocturnus, ùt opinatur Layman, habebatur ad principium ſecundæ Vigiliæ, ſecundus poſt noctis medium, tertius ad initium quartæ Vigiliæ, in Romana Eccleſia iis jungebantur Laudes, quæ in aliis dicebantur ad Galli cantum, ſeu ſub Solis auroram. In omnibus prima dicebatur ſub ortum Solis, tertia tribus horis profanis, ſeu minoribus jam elapſis, ſexta in meridie, & dein tribus profanis horis præteritis nona; Veſperæ ad Solis occaſum, dein Completorium, velut totius Officii complementum; atque ità Officium erat diviſum in Nocturnum, Matutinum, quod Laudes & Primam complectebatur. Liquent hæc ferè ex Hymnis.

Hæc primæva Officii celebrandi praxis et-

iam olim nonnihil immutari cœpit, nimirum anticipando nonnihil Officium veſpertinum, ùt liquet ex Hymno Completorii. Hodiedum Matutinum cum Laudibus ferè in Monaſteriis tantùm dicitur à media nocte, in aliis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis ad Solis ortum, vel ſummo mane decantari ſolet, & conſequenter etiam aliæ Horæ anticipantur, cùm Veſperæ dicantur circa ſecundam vel tertiam, Completorium circa quartam. In quo conſuetudo approbata eſt retinenda. De privata recitatione dicam infrà. Vide Layman Cap. 4. Tract. 1. C. 2. ubi oſtendit, antiquiſſimam eſſe conſuetudinem Fidelium, diu noctuque Deum in Eccleſiis laudandi.

QUÆSTIO IV.

Quinam teneantur ad Horas Canonicas ſeu Officium divinum?

252. *1. Sacro ordine initiati tenentur.* Reſp. 1. Tenentur ſub mortali omnes ſponte & liberè in aliquo majore ordine ſacro conſtituti ab eo tempore, quo ordinem ſuſceperunt, ſingulis diebus, per ſe loquendo, ad Horas Canonicas, ità ut, ſi notabilem partem omittant, peccent graviter. *Ratio eſt;* quia eos obligat præceptum Eccleſiæ ad illas, & eſt in re gravi. Quod colligitur ex Capite *Presbyter* 1. & Capite *Dolentes* 9. Titulo 41. Et explicat optima juris dubii interpres conſuetudo, tenetque hoc, etſi aliqui cenſurâ aliquâ eſſent irretiti, irregulares, depoſiti; quia nullibi eximuntur. Nec æquum eſt, ut ex delicto commodum reportent. Dixi: *Sponte & liberè;* quia, cùm electio ſtatûs debeat eſſe planè libe-

libera, non convenit obligari, niſi ſponte ordinatos. Unde, ſicut gravi, & injuſto metu adactus ad ordinem ſuſcipiendum non tenetur ad caſtitatem perpetuam, ſic nec ad Horas Canonicas. Quod ſi tamen dein liberè uteretur ordine ſuſcepto, teneretur ad omnia illi annexa; quia per uſum illum ratificaret ſuſceptionem Ordinis. Idem eſt de ordinato ante uſum rationis, vel pubertatem cum ignorantia obligationis: hanc enim, ſi ſciviſſet, teneretur.

Porrò notabilis pars Officii cenſetur una Hora parva v. g. tertia, & quod ei æquivalet, etſi interruptim & in diverſis Horis omitteretur; quia verum manet, quòd notabilem partem omiſerit. Mitiùs loquendum videtur de Veſperis in Sabbato ſancto. An totum Officium omittens peccatum unicum gravius, an verò ſeptem mortalia committat, dubium eſt: unicum per ſe committi, habet communior; quia omnes Horæ faciunt unum diei Officium; ſeptem committi tenet Leſſius, quod verum eſſet, ſi partes Officii ſub mortali eſſent affixæ certis diei horis. *Pars notabilis.*

Reſp. 2. Tenentur pariter ſub mortali omnes Religioſi profeſſi utriuſque ſexûs, ad Chorum deputati, ubi conſuetudo ſub mortali eſt recepta, etſi in ſacris non ſint conſtituti, atque etiam eſſent fugitivi, ejecti, aut ad triremes damnati; quia verè manent Religioſi ad Chorum deputati. Hæc obligatio fundatur in conſuetudine vim legis habente, conſtatque ex communi uſu & conſenſu. Dixi 1. *Profeſſi ex ſuo inſtituto ad Chorum deputati:* nam Novitii & Novitiæ, quia ſtatum ſtabilem necdum habent, non tenentur, uti nec fratres Laici profeſſi, nec Religioſi Societatis JESU 253. *2. Religioſi ad Chorum deputati.*

nec,

necdum in ſacro Ordine conſtituti, nec Religioſi militarium Ordinum, utpote ad Chorum non deputati. Dixi 2. *Ubi conſuetudo ſub mortali eſt recepta* : nam ab obligatione ad Horas extra Chorum Sotus L. 30. de Juſt. q. 5. a. 3. Dominicanos, Aragonius Auguſtinianos, Caramuël Ciſtercienſes profeſſos, in Sacris non conſtitutos eximit. Leſſius in conſiliis moralibus caſu 14. multis contendit, Moniales nullâ conſuetudine ſub mortali quotidie ad eas obligari. Proinde ſpectanda ſunt ſtatuta Ordinis, & conſuetudo. Janſen ſimiliter negat, obligari vi conſuetudinis, aut ſtatuti Præmonſtratenſes Sacris non initiatos, qui ſunt deputati quidem ad Chorum, ſed non ideo obligantur extra eum.

254. *3. Beneficiati.* Reſp. 3. Similiter obligantur, etſi Sacris non initiati omnes, qui Beneficium Eccleſiaſticum quietè poſſident, & eo fruuntur. Conſtat ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſione 9. & ex motu proprio S. Pii V. edito 12. Calend. Octob. 1571. in quo obligat ad Horas Beneficiatos ſub pœna fructus non faciendi ſuos pro rata temporis & Officii omiſſi, ſi hoc factum ſit poſt ſex menſes à Beneficii conſecutione & ſine legitima cauſa. Nomine Beneficii Eccleſiaſtici venit tam ſimplex, quàm curatum, Epiſcopatus, Paſtoratus, Decanatus, Rectoria, Canonicatus &c. non tamen Coadjutoria, Præſtimonium, Sacellanatus, non erecta ab Epiſcopo in Beneficium.

Dixi : *Omnes, qui quietè poſſident Beneficium.* Nam 1. Ratione Beneficii ad Horas non tenetur, qui illud collatum ſibi necdum poſſidet ; tum quia jus adhuc incompletum, incertum, & impedimento obnoxium habet,

nec

nec jura Beneficii adhuc exercere poteſt ; tum quia ante poſſeſſionem Beneficium necdum plenè conſecutus eſt , adeoque onus certum illi imponi non debet. *Excipe* , niſi ſponte negligat poſſeſſionem capere ; quia fraus & negligentia ſua non debet ei patrocinari , nec Eccleſiam obſequio privare. 2. Si poſſeſſionem quidem cepit , at lis ei moveatur , nulloſque fructus percipiat , dubitetque , an unquam ſit litem evicturus. Secus eſt , ſi aliquibus præſentiis fruatur , ſpeſque probabilis ſit cauſam evincendi , & fructus interim ſequeſtratos percipiendi. Quòd ſi neuter litigantium eſſet in poſſeſſione , & neuter perciperet fructus , neuter teneretur ad Horas. Nihilominùs evincens litem & fructus ſequeſtratos, licitè hos retineret ; quia Horas non omiſiſſet culpabiliter.

Dixi 2. *Et eo fruuntur.* Nam ſi Beneficium fructus non ferat , Beneficiatus non tenebitur ; quia Beneficium propriè dictum non habet ; ſi autem fructus annexos habeat , diſtinguendum eſt : nam 1. Si ſuâ culpâ non percipiat v. g. quia eſt excommunicatus , ſuſpenſus , aut à loco Beneficii abſens , aut præſens quidem, at negligit intereſſe Divinis , ideoque non percipit , tenebitur ad Horas : ſi verò alienâ fraude , vi , aliove modo injuſto à conſequendis fructibus impediatur , ſeclusâ omni ſpe aliquando eos percipiendi , non tenebitur. 2. Si novus Canonicus nec fructus , nec diſtributiones quotidianas percipiat , eò quòd primi , ſecundi aut plurium annorum applicentur fabricæ vel alteri piæ cauſæ , ex ſtatuto Eccleſiæ, probabiliter excuſatur ab Horis ; quia, cùm non habeat jus percipiendi reditus , Beneficium

nec

necdum plenè poſſidet. Ità Layman L. 4. Tract. 2. Cap. 5. num. 4. Navarrus & alii contra Leſſium & alios probabiliùs contradicentes; quia Canonici tenentur ad fabricæ conſervationem, & ità carentia compenſatur per immunitatem ab illo onere. Si fructus cedant ſenioribus Canonicis, aut reſerventur Canonici demortui ſepulturæ, vel debitis ſolvendis, ab Horis non excuſabitur, quia Beneficium ad illum tranſit cum onere ſibi annexo, & fructus æquivalenter percipit: ipſe enim ſenior poſtea percipit uberiores, ſique neceſſarii non ſint ejus ſepulturæ, vel debitis extinguendis, poterit de iis diſponere, vel tranſibunt ad hæredes.

255. *An, qui tenue Beneficium habet, tenetur?* *Dubitatur.* An, qui Beneficium habet tenue, quod ad moderatam ſuſtentationem non ſufficit, vi illius teneatur ad Horas. Negat Sotus, eò quòd tale Beneficium non mereatur nomen Beneficii ſimpliciter. Leſſius obligat ad Horas diebus Dominicis & Feſtis, eò quòd teneatur aliquando; opportunius autem tempus non ſit, quàm dies Dominici & feſti. Non tenetur autem omni die; quia inter ſtipendium & onus debet eſſe æqualitas. At Sylvius, Navarrus, Azor, Suarez, Bonac. Palao, & alii probabiliùs obligant ad Horas quotidie recitandas. *Ratio eſt*: quia Concilium Lateranenſe, & S. Pius V. ſuprà relatus obligant omnes Beneficium habentes, quale revera eſt illud tenue, utpote jus perpetuum percipiendi fructus temporales propter officium ſpirituale ſine exceptione. Et meritò; tum quia onus illud compenſatur exemptione, honore, aliiſque privilegiis; tum quia homines ad libertatem proni facilè ſibi perſuaderent, ſuum Beneficium eſſe nimis tenue, ſicque facilè inducerentur ad omittendum officium divinum.

vinum. Quòd ſi Beneficium eſſet adeò tenue, ut nequidem tertiam vel quartam partem decentis ſuſtentationis ferret, probabiliter excuſaretur, niſi illud Beneficium ſciens volensque liberè acceptâſſet, aut plura haberet tenuia, quæ ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiant; quia tunc onus illud liberè admiſiſſet, nec deeſſet ſuſtentatio. Putant aliqui, eum ; qui duo Beneficia pinguia habet, teneri ad Horas bis quotidie perſolvendas; tum qui, qui ſentit commodum, ſentire debet onus, Beneficiumque ſeu fructus dantur propter officium; tum quia, qui debet 100. ſingulis ex duobus, non ſatisfacit unâ ſolutione 100. qui tenetur ex ſingulis duabus Capellaniis ad Miſſam, non ſatisfacit legendo unam. At praxis Eccleſiæ declarat contrarium, nec novum eſt, quòd pluribus obligationibus ſatisfiat unicâ actione. Sic tribus ſacris Ordinibus initiatus, profeſſus in Religione ſimul & Beneficiatus ſatisfacit perſolvendo ſemel Officium Eccleſiaſticum, feſto incidente in Dominicam ſatisfacis audiendo unum Sacrum. Unde & omittens tunc non niſi unum peccatum committit. Nec obſtant argumenta allata; quia non debet ſentire aliud onus, quàm quod imponitur. Beneficium datur propter officium ad mentem Eccleſiæ, Miſſæ etiam legi debent ad mentem Fundatorum, qui in caſu requirunt duas Miſſas; qui uni debet & ſolvit 100. per hoc non extinguit jus ſtrictum alterius: perſolvendo ſemel Officium quotidie extinguitur jus Eccleſiæ legale, ùt patet in aliis: Horæ enim ex præcepto debentur Eccleſiæ: An Canoniſſæ ſæculares teneantur ad Horas, dicetur infrà, ubi de Beneficiis. *Ex his reſolves.*

Qui

256. *Ad quid qui hodie ſacrum Ordinê ſuſcipit?* Qui hodie ſacrum Ordinem ſuſcipit, tenetur à tempore ſuſceptionis ad eas Horas, quæ ſecundùm conſuetudinem loci adhuc reſtant, in Choro perſolvendæ, tempus computando moraliter: ſi manè prævenirſſet, multi tenent, non ſatisfeciſſe; quia tenentur ad Horas, ſaltem Choriſtæ, ùt perſonæ ab Eccleſia deputatæ, eaſque orare nomine Eccleſiæ. Probabilis eſt ſententia oppoſita Lug. Tamb. Gobat; quia eſt anticipata ſolutio debiti prævifi, & moraliter præſentis. Idem dicendum de profeſſionem faciente in Religione, & poſſeſſionem capiente Beneficii cum ſpe fructuum, percipiendorum ex jure jam completo.

QUÆSTIO V.

Quo tempore Horæ ſingulæ ſint perſolvendæ?

257. *Intra diem naturalem ſub gravi.* Reſp. 1. In Choro ſpectanda & ſervanda eſt probata conſuetudo loci, cui etiam privatim recitans, quoad commodè fieri poteſt, laudabiliſſimè ſe accommodabit; non peccabitur tamen graviter, modò intra diem naturalem, id eſt, ab una media nocte ad alteram recitentur.

2. Matutinum, Laudes, Prima, & Tertia dicenda ſunt ante meridiem, eſtque veniale, ſine cauſa differre poſt meridiem, Sexta & Nona dici poſſunt ante, vel poſt meridiem; Veſperæ & Completorium ſunt dicenda poſt meridiem, eſtque veniale, anticipare ſine cauſa extra Quadrageſimam, In hac enim in Choro dicendæ ſunt Veſperæ ante prandium, cui privatim recitans ſe accommodare poteſt; non tamen

tamen tenetur, quia olim Veſperæ dicebantur in Quadrageſima etiam ante cœnam ſub veſperum.

3. Matutinum & Laudes dici poſſunt pridie à tempore, quo Sol propinquior eſt occaſui, quàm meridiei, ex privilegio, juxta tabellam Romæ impreſſam, quæ paſſim exſtat in Directoriis, quia illo tempore jam incipit feſtum alterius diei. Id tamen non licet quoad alias Horas. Laudes quoque à Matutino ſeparari poſſunt, ità, ut Matutinum pridie ſub veſperum, & Laudes altero die dicantur; quia olim ſeparabantur extra Eccleſiam Romanam. Id ſi fiat, in fine Matutini additur: *Pater noſter* ſine oratione diei; initio autem Laudum non eſt opus præmittere *Pater & Ave*, ſicut non præmittitur Completorio. La Croix L. 4. n. 1305.

4. Matutinum & Laudes probabiliter ſub veniali præmitti debent Sacro, quia Rubricæ Miſſæ §. 10. omiſſionem numerant inter defectus peccaminoſos. Suar. Tamb. & alii tenent, per ſe loquendo, nullum eſſe peccatum; quia nullibi invenitur præceptum, & Rubrica intelligi poteſt de Officio in Choro, præmittendo Miſſæ Conventuali. Nec eſt connexio inter Sacrum & Matutinum cum Laudibus. Et hoc certum eſt, ſi adſit cauſa rationabilis, etſi non omnino gravis, v. g. major commoditas ſtudii, vel itineris. La Croix l. 6. n. 230. p. 2.

5. Si adſit juſta cauſa non ſervandi tempora orandi, non peccas non ſervando: cauſæ verò cenſentur Concio paranda, major devotio, periculum impedimenti obventuri, iter, occupatio, tempus aptius ſtudiis. Et quando periculum eſt, ne differri debeant Horæ, me-

lius eſt anticipare, quàm poſtponere. Sic ob iter poterunt manè dici omnes Horæ, ſaltem præter Completorium & Veſperas de Feſto, altero die ſecuturo. Si autem tempora ſine ulla cauſa non ſerventur, erit veniale tantùm; quia ſubſtantia præcepti adhuc impletur; eſt tamen inordinatio aliqua contra morem Eccleſiæ, adeoque veniale peccatum.

QUÆSTIO VI.

Quale Officium ab obligatis ad Horas ſit recitandum?

R. 1. Ab iis omnibus recitandum eſt Officium ſecundùm formam Breviarii Romani ex vi Bullæ Pii V Breviario præfixæ, exceptis ſolùm iis, in quorum Eccleſiis vel Conventibus 200. annis ante Pii V. Decretum aliud Breviarium fuit inſtitutum, vel conſuetudine approbatum, ad quod ipſi etiam nunc, ſaltem in recitatione publica, tenentur, niſi cum conſenſu ſui Prælati, & totius Capituli, atque ipſius etiam Epiſcopi, ſi exempti non ſint, Romanum Breviarium receperint, quod deinde tenebuntur recitare. Dixi: *Saltem in recitatione publica:* nam plures, teſte Leſſio L. 2. Cap. 37. num. 34 probabiliter docent, in recitatione privata non peccare, qui, neglecto ſuæ Eccleſiæ Breviario, uteretur Romano; eò quòd ſe conformet Eccleſiæ, primæ omnium Matri. Econtra plures cum Tamburino putant, peccare mortaliter, qui vel uno die, potens recitare more ſuæ Eccleſiæ, recitat Officium more alio; quia Pius V. expreſsè dicit, eum non ſatisfacere, qui ſuæ Eccleſiæ orandi formam non cuſto-

258. *In oratione publica juxta formam Breviarii propria Ecleſia.*

cuſtodit: unde infert Gobat, qui non habet penes ſe Breviarium Ordinis, vel Eccleſiæ propriæ, non teneri ad Officium ex alieno; quia non poteſt ſatisfacere. *Excipe*, niſi Breviaria parum differrent, quia tunc non mutaretur notabiliter forma Breviarii proprii, adeoque ſubſtantia impleretur; ad quam tunc foret obligatio. Sed alii non in tanto rigore Pium V. intelligunt, ut velit non ſatisfacere quoad ſubſtantiam, qui, relicto Breviario proprio, utitur privatim Romano. Sic non putant peccare graviter Eccleſiaſticum Cajetan, Diana, Navar. Sanch. Layman Cap. 1. n. 2. Idem dicunt de Religioſo Leſſius & alii.

Porrò, qui aſſumpto utuntur Breviario Romano, non tenentur extra Chorum ad Officium Beatiſſimæ Virginis, nec ad Officium Defunctorum, Pſalmos Pœnitentiales, Graduales, diebus in Rubricis præſcriptis, ex Bulla citata. Ad Officium tamen Defunctorum 2dâ Nov. & ad Litanias Feſto S. Marci, & diebus Rogationum, quæ à Matutino & Laudibus pridie dictis ſeparari poſſunt, aut poſtridie conjungi, cùm ſit pars notabilis Officii illius diei. Tenebuntur ſinguli ſub mortali, niſi interſint Proceſſioni, in qua, ut ſatisfaciant, debent alternatim canere, vel orare cum aliis, aut, ſi mos ſit, ut ab aliis decantentur, ſaltem devotè attendere. La Croix num. 1292. In Eccleſiis autem, ubi erat conſuetudo recitandi Officium parvum Beatiſſimæ Virginis, eadem ſervanda eſt, juſſu Pii V. quique non utuntur Breviario Romano, tenentur ad omnia, ad quæ erat obligatio ante Bullam. Pro quo ſpectanda eſt conſuetudo: neque enim Bulla ab ulla re eos eximit, & exceptio firmat regulam in caſi-

259. *Utentes Romano a quibus liberi?*

bus non exceptis. Denique, qui habet plura Beneficia in diverſis Diœceſibus, poteſt, ubicunque ſit, uti Breviario vel Romano, vel proprio alterutrius Diœceſis, quo volet. La Croix L. 4. n. 1240.

260, *Regulariter recitandū eſt Officium pro die præſcriptum.* Reſp. 1. Quiſque ad Horas obligatus, tenetur, per ſe loquendo, ſaltem ſub veniali, dicere officium, illo die præſcriptum; quia aliàs non ſervat legem, ſaltem quoad modum præſcriptum; ergo ſaltem peccat venialiter. Dixi: *Per ſe loquendo:* nam ex rationabili cauſa Officium mutari poteſt. Uti 1mò. Si exiſtat, etiam tantùm ùt peregrinus, in loco, ubi eſt Feſtum & Officium diverſum; attamen ejuſdem cum ſuo formæ, poteſt ſe accommodare loco. 2. Capellanus Monialium poteſt recitare de Sancto, de quo Officium habent Moniales; quia æquiparatur Beneficiato in illo loco. 3. Qui per inadvertentiam omiſit hoc die Officium v. g. de Sancto, poteſt id alio die, Officio 9. Lectionum non impedito, recitare, juxta Gobat; ſed Lugo putat, tunc eſſe omittendum, ne bis ſe difformet Rubricæ; & hoc probabilius eſt. Vide Lugonem in reſponſis moralibus. L. 5. D. 8. 4. Si quis ſit infirmus, vel neſciat orare, & eum ex charitate adjuves. 5. Si per errorem inceperis Officium indebitum, id advertens potes pergere, donec convenienter poſſis proſequi præſcriptum; ùt, ſi matutino de feriâ, magnâ jam ex parte abſoluto, adverteres errorem, poſſes id abſolvere, & dein Laudes dicere Officii præſcripti v. g. de Sancto, 6. Exiſtens alibi, tanquam advena, poteſt recitare Officia, quæ recitantur in ſuo loco, à quo abeſt, v. g. de Reliquiis, Dedicatione, Patrono. Si mutet domicilium, poteſt com-

compenſare omiſſa in priori loco, etſi tranſierint in ſecundo. Dixi 2. *Saltem ſub veniali*: nam, licèt juxta multos peccet mortaliter, qui ſine cauſa mutat ſcienter Officium hujus diei in aliud, & præcepto non ſatisfaciat, eò quòd videatur Officium determinatum præcipi, velut ſubſtantia præcepti: multi tamen probabiliter docent cum Cardena, du Bois, Illſung, non eſſe mortale, quando non fit frequenter, ſicque cum interpretativo formali contemptu præcepti, nec mutatur forma Officii ordinarii, ùt fieret, ſi loco Officii, die Palmarum habendi, diceretur Paſchale, aut Pentecoſtale: Hæc enim cùm habeant tantùm in Matutino tres Pſalmos, non habeant formam ordinariam, & ſignificationem valde diverſam continent. Rationem dant; quia, qui legit Officium ſecundùm formam ordinariam, non violat legem quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum accidentalem; ſicut, qui legit Miſſam unam pro alia, ſecundùm tamen ritum Miſſæ, non permiſſam per Rubricas illo die, vel Horas non legit ordine præſcripto, non violat legem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum tantùm accidentalem, & peccat tantùm venialiter.

Quando modus ſit de ſubſtantia?

Aliud foret, ſi modus eſſet præſcriptus tanquam de ſubſtantia præcepti, ùt modus legendi Miſſam, adminiſtrandi Sacramenta, modus communicandi in Paſchate, cum jejunio naturali: nam modus cenſetur de ſubſtantia præcepti, quando ordinatur ad finem gravem; & ad illum multùm conducit. Illa Sententia ſaltem admitti poteſt, dum Officium pro alio aſſumptum non eſt notabiliter minus. Quanquam & tunc peccari graviter, negat Illſung,

ùr, ſi pro Officio de Dominica diceretur de Sancto; quia ſervata eſt forma communis, & generica præſcripta: aliàs, qui per errorem recitâſſet de Sancto die Dominicâ, non ſatisfeciſſet: cùm tamen ferè omnes admittant, eum, qui per inculpabilem errorem unum Officium recitavit pro alio, ad nihil ultra teneri. Et quanquam aliqui dicant, ſi die Dominico per errorem de Sancto dictum eſſet, Pſalmos novem ex primo Nocturno adhuc dicendos eſſe: negat tamen id Cardenas & Illſung; quia nec ad Officium Dominicale, nec ad Officium de Sancto jam conferunt.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Horæ Canonicæ ſint recitandæ?

261. *Debent recitari ſtudioſè & devotè.* Reſp. Studioſè & devotè: Innocentius enim III. Cap. *Dolentes* de celebratione Miſſæ ait: *Strictiſſimè præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebretur pariter & devotè:* ut devotè autem celebretur, debet celebrari cum attentione & intentione debitâ. De quo Quæſtione ſequenti. Ut celebretur ſtudioſè? 1 mò debet pronunciatio eſſe vocalis exterior, diſtincta, & intelligibilis, ſaltem à recitatione, ſi nullum adeſſet extrinſecum impedimentum: cùm enim conſtemus mente & corpore, ad Deum laudandum creatis, jubemur mente & corpore eum laudare. 2. Debet eſſe integra ſine ſyncopa, mutilatione verborum & ſyllabarum. 3. Debet eſſe continua unius horæ ſine ejus interruptio-

ne,

ne, ubi non eſt rationabilis cauſa. 4. Debet eſſe ordinata, ut ordo in Horis ſine cauſa non invertatur, & Horæ dicantur ſtatuto per legem, vel conſuetudinem tempore ſecundùm dicta.

Hinc deduco 1. Peccat pro quantitate materiæ, qui voluntariè mutilat verba vel ſyllabas, vel non ità articulatè exprimit verba, ut eorum, quæ legit, ſenſus intelligi poſſit; ſi autem id fiat ex balbutie, aut inveteratâ conſuetudine, quæ lentâ recitatione ſucceſſivè corrigi, id quod aliàs conari teneretur, non poſſit, excuſatur à peccato; quia plus ab eo non exigitur. Similiter plerumque excuſatur, ſi mutilatio fiat tantùm in ultima ſyllaba, modò id non fiat frequenter, & ex negligentia, vel præcipitantia nimia; quia tunc rarò mutilatur ſenſus. Si autem cum culpa, mutilando hinc inde verba, vel verſus, perveniatur ad gravem materiam, juxta La Croix n. 1302. tenetur ſupplere ſaltem, non quidem repetendo mutilata, quia hæc eſſet confuſio carens ſenſu, ſed orando aliquid mutilationi æquivalens v. g. unum, aut plures Pſalmos; ſed non apparet, quid hi Pſalmi conferant ad integrandum Officium. Unde potiùs teneretur illam partem Officii repetere, in qua notabilis mutilatio facta eſt. 262. *Corollaria.*

2. Si duo vel plures in- vel extra Chorum alternando Horas recitent, vel cantent, ſic debent pronuntiari omnia, ut, quæ ab una parte recitantur, vel pronuntiantur, vel cantantur, ab altera intelligibiliter audiantur, quia aliàs non faciunt ſibi invicem orationem communem; quod enim nec recitas, nec cantas, nec auditu percipis, non facis in oratione tuum: Hinc non ſatisfit obligationi, ſi una pars inci- *De recitatione cum ſocio, vel cantu in Choro.*

 piat,

piat, antequam altera verſum abſolverit, idque fiat in magna quantitate; quæ enim ſimul proferuntur, non conſtituunt orationem ſucceſſivam, quam Eccleſia requirit. Si tamen nimia celeritas cauſa ſit, cur ſocius verba audita non ſatis percipiat, attendat tamen, quantùm morali diligentiâ poteſt, ordinariè non peccat, ſi non poſſit alios corrigere, debeatque cum iis Officium perſolvere, nec eſt obligatio repetendi. La Croix n. 1301.

3. Qui cum blæſo recitat, voces tantùm ex media parte proferente, non ſatisfacit, quia, licèt blæſum excuſet impotentia, non ideo excuſat alium, ſi non ſit neceſſitas cum illo recitandi, ſed poſſit alià commodè ſolus recitare totum.

4. Non ſatisfacit, qui externâ tantùm devotione Horæ aſſiſtit; quia talis non vocaliter orat, nec illam orationem muſicorum facit moraliter ſuam; cùm non alternet juxta morem Eccleſiæ: ſufficit tamen, ſi unus, altero audiente, recitet omnes Antiphonas, Capitula, Reſponſoria, Lectiones, Orationes, modò alternet in Pſalmis; ſic enim etiam fit in Choro: ſecus eſſet, ſi unus continuam mediam Horam diceret, & alteram mediam audiret ab alio, quia non eſt conſuetudo Eccleſiæ ità recitandi; qui vult autem uti privilegio recitandi cum ſocio, non poteſt aliter eo uti, quàm concedat Eccleſia. Ob eandem rationem non ſatisfit, ſi unus diceret omnes Pſalmos; alter autem novem Lectiones, aut alternatim recitatis Pſalmis cum ſocio, Lectiones audiret ex tertio. Poteſt tamen aliqua cum ſocio, alia ſolus recitare. Poſſunt quoque Lectiones juxta numerum Sacerdotum dividi.

5. Qui

5. Qui recitata à ſocio, vel choro planè non percipit, etſi conetur percipere, & in confuſo audiat, non ſatisfacit, quia illam orationis partem non facit ſuam. Ità Caſtrop. contra Tamb. Attamen poteſt percipere fructus, ſi attendat, quantùm poteſt, & non poſſit corrigere errorem Chori, quia juvat Chorum, ità Caſtrop. Suar. Bonac. & alii.

6. Qui cum choro vel ſocio horas perſolvit, ſi involuntariè diſtractus audiat, quæ dicuntur, ſatisfacit; quia per intentionem oratione communi laudandi Deum, utramque partem facit ſuam, aliàs in choro difficulter ſatisfieret, & ſine culpa repetitione nimiâ opus eſſet.

7. Qui in choro ſuam partem ſubmiſsè orat, & attendit ad aliam partem chori, ſatisfacit quidem præcepto, non tamen lucratur diſtributiones, quia non adeſt ùt pars chori, cùm illum non juvet, quod tamen ad participandas diſtributiones Trid. Seſſ. 24. cap. 12. & Pius V. requirunt. Layman tamen permittit illi partem, quia aſſiſtentia ejus ad decorem chori confert. Econtra qui canit, & non attendit ad alteram partem chori, facit diſtributiones ſuas, quia juvat chorum, ſed tenetur horas repetere. Putârunt plures, in diverſis Germaniæ Eccleſiis ex recepta conſuetudine poſſe fructus, & diſtributiones lucrari qui adſunt choro, non tamen canunt per ſe, ſed per ſubſtitutum. Verùm cùm modernus Pontifex Benedictus XIV. in Bulla: *Cum ſemper oblatas*, data die 19. Auguſti Anno 1744. dicat ejusmodi conſuetudines ſæpe eſſe improbatas, quibus ſuffulti in quibuſdam Eccleſiis Canonici putant, ſe ſatisfacere muneri ſuo, ſi beneficiatis,

ſeu manſionariis in choro præſentes, cantu ſe non adjungant, & verendum eſſe, ne fructus non faciant ſuos, & ad reſtitutionem teneantur, niſi illis præſto ſit Apoſtolicum indultum legitimum, ac vigens; non videtur amplius tutum, iſtis conſuetudinibus inſiſtere; eſt enim obligatio perſonalis, & Trid. l. c. exigit, ut per ſe cantent. Neque mens Fundatorum fuit, alere otioſos, & alteri fructus, alteri onus attribuere; ſed ad decorem cultûs divini & augmentum, propter officium conferre Beneficium.

8. In choro ſatisfacit, qui non percipit, dum thurificat, lumina portat, campanas pulſat, lectiones quærit, vel revidet, aliàs erraturus, aut aliter, miniſterio ad officium pertinente, occupatur; quia chorus, cujus pars eſt, pro eo ſupplet. Idem eſt de eo, qui tuſſit, exſpuit, aut neceſſarium alteri quid dicit. Quæ tamen ſolo organo vel inſtrumento muſico ſine voce humana peraguntur, ſupplenda ſunt, vel ab uno, aliis audientibus, vel à ſingulis, interim dum organum reſonat; quia ſonus organi non eſt oratio. Hunc tamen ab Eccleſia in vicem orationis acceptari docet Sanch.

9. Qui recitat cum ſocio (qui etiam poteſt eſſe Laicus, non tamen amens) ſatisfacit, ſi & ſua dicat, & dicta à ſocio audiat, etſi is nec attendat, nec audiat, modò oret, & non tantùm materialiter recitet.

Quid de interruptione, & inverſione? 10. Peccat, non tamen niſi venialiter, qui ſine cauſa horam dicit interruptim; quia ſubſtantia præcepti quidem impletur, non tamen modus in Eccleſia receptus; ſi autem adſit juſta cauſa, v. g. pœnitens audiendus, alloquium

alicui

alicui dandum, aliquid adnotandum, culpâ vacat; quia ſinguli Pſalmi, imò & ferè Verſus habent completum ſenſum.

11. Peccat quoque, ſed ſolùm venialiter, qui ordinem, quo horæ ponuntur in Breviario, ſine cauſa invertit, ob eandem rationem. Ex cauſa tamen eum invertere licet, ut ſi quis haberet penes ſe Diurnale, ex quo dicere poſſet Horas, & non Matutinum, poſſet incipere à Laudibus; ſi rogaretur ab ægro, ut ſecum diceret Veſperas, aut Matutinum pro altero die, & ipſe necdum dixiſſet Nonam, vel Veſperas. Denique unum Nocturnum ſeparare ab altero ad horam, vel ſecundûm aliquos etiam ad duas, culpâ vacat; quia olim ſeparabantur, nec tunc opus eſt præmittere Pater & Ave, quia nullibi præſcribitur. Imò ſi quis unum Nocturnum diceret Veſperi, & reliquos aliâ die, non peccaret niſi venialiter, quia ſubſtantia præcepti adhuc impleretur.

QUÆSTIO VIII.

Quâ intentione, attentione, ſeu devotione tum in- tum externâ Horæ ſint perſolvendæ?

Reſp. 1. Horæ perſolvendæ ſunt cum intentione, ſeu voluntate orandi, vel Deum laudandi. *Ratio eſt;* quia cùm præcipiatur oratio, & cultus Dei, externa autem officii lectio, recitatio, cantus ſit indifferens, ut fiat temporis fallendi, ſcientiæ, recreationis, vel curioſitatis causâ; debet per intentionem, ùt per formam ſuam determinari ad rationem orationis, laudis, & cultûs Dei. Poteſt autem 263. *Cum intentione orandi &c.*

tem eſſe, & ſufficit intentio, vel explicita, quâ ſignanter, & ſatis ſenſibiliter percipiens intentionem ſuam quis vult orare, Deum laudare, &c. vel implicita, & virtualis, quæ quidem experimentaliter non ità ſe manifeſtat, adeſt tamen, & verba determinat ad rationem orationis, & cultûs Dei: ùt ſi quis accipiens Breviarium velit ſatisfacere ſuæ obligationi, officio: cùm enim præcipiatur oratio, volens ſatisfacere præcepto, vult orare. Similiter, ſi cum confuſa cognitione, & propoſito præſtandi opus ſolitum, legat Horas: vel ſi ſic ſit conſtitutus, ut ſi interrogaretur, quid agat; reſpondere poſſet, ſe orare; habet intentionem orandi: neque enim agit, niſi ex aliquo fine. De attentione controverſia eſt inter Authores; pro qua reſolvenda.

264. *Quid & quotuplex ſit attentio?*

Nota: Attentio alia dicitur externa, alia interna. Externa eſt, inquit Leſſ. quæ eſt circa externam pronuntiationem verborum, & totius corporis compoſitionem, quâ quis ſe exteriùs gerit in ſpeciem orantis, & abſtinet ab omnibus actionibus, cum quibus ſtare non poteſt attentio interna ad Deum vel ſacra. Aliis eſt advertentia ad prolationem verborum, ut diſtinctè & integrè pronuntientur, excludens omnem actionem incompoſſibilem cum attentione interna. Quales actiones ſunt ſcribere, pingere, ludere, fabulantibus ſtudiosè attendere. Attentio interna eſt converſio mentis ad Deum, vel Divina, cum affectu & reverentia erga Deum. Eſt autem triplex. 1ma, quâ attenditur ad verba, ut integrè, & cum reverentia ad Deum pronuntientur. Hæc dicitur ſuperficialis, & eſt infima. 2da eſt, quâ advertitur ad ſenſum verborum, & ei affectus accom-

accommodatur. Hæc perfectiſſima eſt, & dicitur literalis. 3tia eſt, quâ quis meditatur, v. g. de humanitate Chriſti, ejus paſſione: reflectit ad id, quod petit cum reverentia ad Deum &c. vel conſiderat aliquam Dei perfectionem, beneficia ab eo accepta, præmia bonis, ſupplicia malis præparata, ut affectus excitetur ad Deum laudandum. Et hæc dicitur ſpiritualis, & melior eſt quàm prima. Attentio ad Deum iterum alia eſt formalis, quâ quis ſignanter de Deo cogitans, ad eum verba precatoria, vel laudis dirigit; alia eſt virtualis, eſtque attentio initio orationis habita, perſeverans in proceſſu ejus, donec vel expreſsè revocetur per voluntatem non orandi, vel attendendi; vel indirectè, agendo aliquid cum attentione incompoſſibile, vel per talem diſtractionem mentis ad alia, ut ceſſet pronuntiatio verborum, quod quandoque contingere docet experientia. Quin quælibet ex his attentionibus internis ad orationem, præceptoque ſatisfaciendum hic ſufficiat, dubium non eſt, ſaltem ſi excludat diſtractiones voluntarias. Controvertitur 1mò. An ad ſatisfaciendum præcepto de Horis Canonicis, ſufficiat attentio externa. 2. An ad orationem requiratur attentio excludens diſtractiones voluntarias. 3. An attentio compatiens diſtractiones voluntarias ſufficiat ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ de Horis. His præmiſſis.

Reſp. 2. Ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ de Horis non ſufficit attentio merè externa, quâ verba proferantur, & quis ſe gerat in ſpeciem orantis, viteтque actiones cum interna attentione incompoſſibiles; ſed requiritur aliqua attentio interna ſaltem confuſa ad Deum, 265. *Non ſufficit attentio merè externa.*

Deum, quæ habetur, quamdiu intentio Deum orandi, laudandi, verba orationis, & laudis dirigit. *Ratio eſt* ; quia ſola externa attentio non ſufficit ad orationem; hanc autem præcipit Eccleſia non tantùm quoad actum externum, ſed etiam internum, qui eſt anima actûs externi, poteſtque ab Eccleſia ſaltem indirectè præcipi, ùt nunc certum eſt, conſtatque ex dictis de legibus p. 1. n. 142.

266. *Eſſentiæ orationis non obſtat diſtractio voluntaria.* Reſp. 3. Ad eſſentiam orationis non requiritur attentio excludens diſtractiones voluntarias. Ità S. Th. 2. 2. q. 83. a. 13. ubi docet, ſolam intentionem, non verò attentionem eſſe de eſſentia orationis, contrà, ac docuerat in 4. d. 15. q. 4. a. 2. Thomas Hurt. Dicaſt. Storz. Tamb. Lugo, de Euch. d. 22. S. 2. n. 25. & alii apud La Croix ſub n. 1341. contra alios, ex quibus tamen, teſte Illſung falsò citatur Suar. Leſſ. Layman, qui tantùm volunt, ad orationem requiri attentionem, quæ excludat actionem cum oratione incompoſſibilem.

Ratio noſtra eſt 1mò. Quia cum eſſentia orationis ſtat diſtractio involuntaria; utì fatentur omnes; aliàs involuntariè diſtractus non oraret, & teneretur Horas repetere. Et hujus ratio à priori eſt; quia licèt diſtractio involuntaria tollat attentionem, & devotionem majorem, non tollit tamen omnem: non enim tollit intentionem orandi, Deum laudandi, & debitam ex eâ profectam verborum pronuntiationem, & eorum directionem ad Deum, adeoque nec attentionem ad Deum ſaltem confuſam, ideoque oratio ſic procedens manet meritoria; id autem fieri poteſt etiam, dum quis voluntariè eſt diſtractus: poteſt enim adhuc habere animum laudandi Deum, petendi, quæ per verba ſigni-

nificantur, aut quæ antè petere intendit; poteſt adhuc verba debitè pronuntiare, actum religionis ponere, niſi diſtractio foret nimis vehemens applicatio ad aliena: conſequenter adhuc manet confuſa attentio ad Deum. Sicut qui colligens herbas, faciens iter, poteſt opus & iter voluntariè diſtractus, cum alio loquens, proſequi, manente intentione & cognitione confusâ finis, vel ſcopi præfixi. 2. Poteſt quis infirmo validè conferre extremam unctionem cum voluntaria diſtractione, ùt nemo facilè negabit, ſi maneat intentio debita, formaque debitè pronuntietur, & unctiones fiant; ergo & orare poterit. Ant. patet; quia cum voluntaria diſtractione non minùs fieri iſta poſſunt, quàm adminiſtrari, & confici alia Sacramenta. Conſ. quoque patet, quia forma extremæ unctionis eſt oratio. 3. Qui peragit orationem non præceptam, peccat venialiter, ſi ſit voluntariè diſtractus, quia eſt irreverentia, Deum alloqui, & mente ſpontè vagari ad alia; atqui non peccaret, ſi eſſentia orationis non ſtaret cum voluntaria diſtractione: quia non eſſet diſtractus in oratione, ſed extra illam: non alloqueretur Deum, ſed verba vel materialiter tantùm, vel alio modo recitaret.

Nec juvat, ſi dicas, quòd irreverenter agat, quia aſſumit ſpeciem orantis, & non orat: nam ad orationem non requiritur externus habitus orantis, v. g. genuflexio, complicatio manuum, ſed poteſt quis partem Pſalmorum ex intentione orandi recitare, & dein aliam partem ſtudii, vel recreationis, aut curioſitatis causâ legere, nec ideo peccabit, quòd ceſſet ab oratione non præcepta.

Dices

267. *Solvuntur oppoſita.* *Dices 1mò.* Oratio eſt elevatio mentis in Deum; voluntariè diſtractus mentem elevatam in Deum non habet. *2dò.* Voluntariè diſtractus ceſſat à voluntate devotè dicendi verba orationis; ergo ceſſat ab oratione. 3. Voluntariè diſtractus ponit actum, qui diſplicet Deo, eſt dignus pœnâ, non præmio; non verò ponit actum religionis, qualis eſt oratio. *4tò.* Talis actus eſt hypocriſis, & ſimulatio orationis.

Reſp. ad 1mum. Voluntariè diſtractus habet adhuc mentem elevatam ad Deum per cognitionem confuſam, quia intendit adhuc laudare, & orare Deum: intentio enim orandi Deum, & colendi, includit quandam confuſam attentionem ad Deum.

Ad 2dum. Voluntariè diſtractus ceſſat à voluntate orandi devotè devotione omni N. aliqua majore C. Habuit voluntatem orandi, colendi, laudandi Deum, & intentionem ſine diſtractione voluntaria ea præſtandi. Hæc 2da intentio revocatur per diſtractionem voluntariam, prima manet, quamdiu rectè pronuntiantur verba ad Deum directa.

Ad 3. Voluntariè diſtractus orans ponit actum, qui eſt actus religionis, nec diſplicens Deo, nec ſecundùm ſe dignus pœnâ, ſed orans meretur pœnam, & Deo diſplicet propter adjunctam diſtractionem voluntariam.

Neque talis actus eſt hypocriſis, aut ſimulatio, quia verè orat. Si ſimularet ſe ſine diſtractione orare, velletque talis haberi; ſimulatio eſſet, & hypocriſis. Simile eſt in eo, qui ex vana gloria orat: is enim veram ponit orationem, nec oratio Deo diſplicet, ſed in-

intentio vanæ gloriæ, ad hanc ordinans, orationem.

268. *Non ſatisfacit præcepto voluntariè diſtractus.*

Reſp. 4. Voluntariè, pleneque deliberatè per notabilem partem in Horis Canonicis diſtractus ſeu internè non attendens (A.A. enim pro eodem ſumunt hic internè non attendentem, & voluntariè eſſe diſtractum) probabiliùs mortaliter peccat, & præcepto Eccleſiæ non ſatisfacit. Ità Thom. aliique valde multi. *Ratio eſt:* quia Innocentius III. ùt ſupra audivimus, diſtinctè præcipit ſtudioſam, & devotam recitationem officii divini, atqui qui officium voluntariè diſtractus recitat, non dicitur illud devotè recitare, utì nec partem, quam ſic recitat: etſi enim actum religionis ponat, & orationis eſſentiam; non tamen dicitur ſimpliciter orare devotè, ſed potiùs tantùm devotè apparenter. Sicut qui attendit quidem in Sacro ex intentione illud audiendi, ad ea, quæ aguntur in Altari, ſimpliciter audit Sacrum; ſi tamen ſimul foveat deliberatè alienas cogitationes, non dicitur ſimpliciter devotè audire Sacrum, etſi actum religionis exerceat. Similiter Trid. Seſſ. 24. cap. 12. jubet, ut officium recitetur reverentèr, diſtinctè, & devotè. Unde videtur non tantùm præcipi ſubſtantia orationis; ſed etiam modus evitans diſtractiones voluntarias, qui cùm multum conferat ad finem legis, qui eſt cultus, & adoratio Dei, videtur cadere ſub obligationem gravem, ut non verificetur de Clericis illud Chriſti Marci 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longè eſt à me*; ſed potiùs illud Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate: nam Pater tales quærit, qui adorent*

eum : Deus Spiritus eſt, & eos, qui adorant in ſpiritu, & veritate oportet adorare.

Oppoſita ſententia probabilis. Nihilominus oppoſita ſententia, quam tenent S. Antoninus, Lugo, Mendo, aliique multi, probabilis eſt: quam & in praxi tutam dicunt etiam plures adverſæ ſententiæ Patroni; quia cum diſtractionibus voluntariis ſtare poteſt eſſentia orationis: an autem modus orandi eas excludens præcipiatur ab Eccleſia, non eſt certum; ſed probabiliter cap. *dolentes*, & à Trid. tantùm præcipitur actus religionis externus, ùt notat Suar. evincitque Lugo N. 27. ex capite: *dolentes*, nihil concludi contra ſententiam negantem præcipi iſtum modum orationis; & ſine eo adhuc habetur vera adoratio, & devotio, etſi non niſi imperfecta, & infima, & Deus adhuc corde colitur, quamdiu ex intentione laudandi eum nomine Eccleſiæ verba debitè proferuntur. Cùm itaque, inquiunt, obligatio ſit incerta, lexque non ſatìs nota, non eſt obligatio certa imponenda, donec Eccleſia intentionem ſuam magìs declaret.

Nec obſtat : quòd oratio voluntariè diſtracti (qualis utique eſſe poteſt) fortè non ſit ſupernaturalis: nam teſte Suar. apud La Croix N. 1349. nemo dubitat, quin oratio naturalis ſufficiat ad ſatisfaciendum præcepto. Hæc ſententia ſervire poteſt ſcrupuloſis. Prima in praxi meritò tenenda eſt. Nec ideo Horæ ſunt difficiles: nam Eccleſia nihil aliud exigit, quàm ut animo orandi, & laudandi Deum ſacra illa verba recitentur cum relatione ad Deum, & animo non volvantur ſpontè, quæ attentionem neceſſariam ad verba, & reverentiam ad Deum excludant, inquit Leſſ. hìc N. 71.

Pro

Pro praxi in utraque ſententia vera ſunt ſequentia. 1mò. Qui recitando Horas occupat ſe actione, cum qua ſtare non poteſt attentio aliqua interna, ad orationem ſufficiens, non ſatisfacit præcepto. Tales actiones cenſentur, ùt dixi, ſcribere, pingere, attentè audire loquentes, magnâ curâ aliquid exteriùs agere; non verò ſe tardè veſtire, exuere, lavare, modeſtè ambulare, quæ ſicut exerceri poſſunt dicendo preces non præceptas, ſic & dicendo præceptas. *269. Corollaria pro praxi.*

2. Peccat ſaltem venialiter, qui oraturus Horas eligit locum valde obnoxium diſtractionibus, v. g. forum, vel plateam publicam. Item qui dat cauſam diſtractionibus, aut ſine animi recollectione à luſu, profano negotio, vel diſcurſu properat ad orationem. Poterit tamen adeſſe ſufficiens attentio, etſi circa orantem fiant fabulationes, cantus, tumultus, modò non iis, ſed orationi animum ſeriò applicet. Nec tenetur eligere locum opportuniorem, aut orationem differre in aliud tempus.

3. Non videtur peccare, qui memoritet recitando quærit neceſſaria ad officium. Poteſt quoque ſine ullo peccato admitti ceſſando brevis evagatio mentis ad refocillandum cor vel cerebrum.

4. Non expedit, ut quidquam repetat, qui involuntariè fuit diſtractus; quia via panditur perturbationi & ſcrupulis.

5. Non tenetur quidquam repetere, qui non poteſt certò affirmare, ſe fuiſſe planè deliberatè diſtractum; quia recitatio eſt in poſſeſſione; imò nec is, qui advertenter diſtra-

ctus non advertit ſe deficere à debita attentione fortè præcepta.

6. Pro cavendis, excludendiſque diſtractionibus non eſt opus ſumma, ſed ſufficit mediocris diligentia. Expedit ſuavis ſine intenſione moleſta capitis reflexio ad Deum, vel divina. Cæterum pro attentione juvat legiſſe brevem commentarium in pſalmos, ad ſingulos pſalmos renovare memoriam Dei præſentis, vel modò hunc dirigere ad Deum Patrem, illum ad Filium Salvatorem noſtrum, illum ad Spiritum ſanctum: per ſingulos, vel ſingulas horas petere diverſas virtutes v. g. Fidem, Spem, Charitatem, humilitatem, patientiam, caſtitatem, manſuetudinem &c. vel pro diverſis beneficiis gratias agere. Optimus modus eſt attendere ad ſenſum, & excitare affectum convenientem.

7. Non peccat, qui aliquid legens cogitat, ſe illo uſurum; quia adhuc ſtat attentio ſufficiens: nam poſſumus plura ſimul cogitare.

8. Non eſt obligatio procurandi meliorem attentionem, quàm ſuperficialem, & ad verba, ut benè proferantur; quia, ſi excludat diſtractiones voluntarias, hæc ſufficit juxta omnes. Nec neceſſaria eſt attentio ad ſingula verba, ſed ſufficit moralis, & generalis, quâ quis ſcit ſe orare, & curat rectè proferre ſententias; hiſtorias, increpationes, adhortationes, bona propoſita, in horis contenta, ſufficit proferre recitativè; Hymni, Pſalmi, preces, orationes recitandæ ſunt ſignificativè, quod fit, ſi adſit intentio orandi, gratias agendi, Deum laudandi, & attentio ad externam pronuntiationem.

9. Qui advertit diſtractionem, & eam negli-

gligenter repellit, peccat tantùm venialiter. Vide La Croix à N. 1343.

Reſp. 5. Ut evitetur omnis culpa etiam venialis, Horæ eâ devotione internâ ſunt recitandæ, ut excludantur omnes diſtractiones voluntariæ, uti conſtat ex dictis; externa autem talis eſſe debet, ut publicæ ædificationi conſulatur. Cæterum per ſe loquendo in omni loco oratio tam vocalis, quàm mentalis fieri poteſt; quia Deus ubique laudabilis, & adorabilis eſt, & reſpectu illius nullæ ſunt ſordes phyſicæ. Nullus quoque in horis certus ſitus corporis de præcepto eſt. Unde ſedere, cùm rubrica dicat flectendum eſſe, per ſe peccatum non eſt; quia rubrica eſt tantùm ſuaſiva, pro majore devotione habenda, in choro tamen ſervanda eſt, ne detur ſcandalum. Ità Suar. La Croix N. 1321. aliique multi. 270. *Oratio fieri poteſt in quocunque loco & ſitu corporis.*

QUÆSTIO IX.

Quænam excuſent ab Horis Canonicis?

Reſp. Sequentia: 1mò. Gravis infirmitas, ità ut ſine notabili incommodo ſeu incremento morbi, aut horum periculo gravi recitari nequeant; quia leges Eccleſiæ cum tanto incommodo regulariter non obligant. In dubio conſulendus eſt medicus peritus, & prudens; ſi hic dubitet de ſufficienti cauſa excuſante, adeundus eſt Superior, ut diſpenſet. Si nec medicus conſuli, nec alius vir prudens, nec adiri Superior poſſit, non tenetur infirmus ſe exponere periculo gravis mali recitando horas; quia licèt lex videatur eſſe in poſſeſſione, præſumitur tamen de benignitate Eccleſiæ, 271. *Excuſat gravis infirmitas.*

cleſiæ, quod nolit obligare cum periculo gravis, & fortè irreparabilis mali, cùm huic ſe exponere ſit illicitum, adeoquè lex ipſa non erit in poſſeſſione. Quòd ſi non poſſit quidem ſolus, poſſit tamen cum ſocio horas recitare, ad hoc tenetur, ſi ſocium commodè habere poſſit; quia, qui tenetur ad finem, etiam tenetur ad media, non nimis difficilia: Non tamen cum magno ſumptu conducere ſocium; quia id eſſet medium extraordinarium de ſe difficile: ſi poteſt haberi ſumptu mediocri, ad eum conducendum, obligat Suarez beneficiatum, ſi proventus ex beneficio id ferant; quia hos percipit, ut perſolvat officium. Si quis ob infirmitatem, idem eſt de occupatione præſente, vel prævisâ obventura, non poſſit horas recitare, debito tempore, v. g. quia laborat tertianâ, tenetur anticipare, vel prævenire, prout exigunt circumſtantiæ; quia intra diem naturalem poteſt; ergo tenetur dicere horas, quodque dicantur hoc, vel illo tempore, eſt circumſtantia tantùm accidentalis. Si ex recitatione æger timeat aliquam cruditatem ſtomachi, vel capitis gravamen, vel laſſitudinem virium, vel febrim tardiùs remiſſuram meritò credat; ab horis probabiliter eum excuſant Sanch. Tamb. Stotz apud La Croix N. 1224, quia ejuſmodi damna, quæ in corpore ſano ſunt levia, in ægroto ſunt gravia: Hinc Cap. *Clericus*. 2. diſt. 19. pro cauſa legitima non orandi habetur inæqualitas corporis, quæ non ſonat morbum gravem. Quare cùm recitatio horarum ſit res ſeria, & ex ſua natura caput gravet, non ſequitur teneri ad horas, qui poteſt confabulari, libros recreationis causâ legere; quia hæc potiùs levamini ſunt. Si infirmus

firmus non poſſit recitare totum officium, poſſit autem commodè recitare horas aliquas v.g. manè Primam, & à prandio Veſperas &c. tenetur ſecundùm dicta p. 1. n. 163.

2. Excuſat recitandi impotentia, ùt cæcitas, carentia inculpata Breviarii; quia nemo tenetur ad impoſſibile: ſi tamen carens Breviario, aut etiam cæcus totum officium, vel parvam horam v.g. 1mam, vel 3tiam, aut Completorium poſſet de memoria recitare, ad id teneretur; tum quia Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem;* tum quia præceptum obligat ad omnes, & ſingulas horas, & quælibet hora eſt per ſe oratio Canonica integra, confertque ad finem legis notabiliter. Idem dicendum, ſi quis poſſet dicere Laudes, & non Matutinum, aut unum Nocturnum, & non alios: quia partes ſunt diviſibiles ex uſu Eccleſiæ. Idem probabiliter dicunt Card. & Gobat, ſi quis de memoria poſſet recitare Pſalmos, & non Lectiones. Vide La Croix N. 1220. Qui non habet officium proprium, tenetur recitare commune, vel ſimile; quia præceptum eſt in poſſeſſione. Si infirmus non poſſit recitare totum; dubitet autem, an poſſit recitare partem ſine notabili ſucceſſuro incommodo, ad nihil tenetur.Ità Suar. & alii. Ratio data eſt ſupra. *2. Impotentia.*

3. Excuſat gravis, & repentina occupatio, quæ ſine ſcandalo vel notabili proprio, vel alieno damno omitti, vel differri non poteſt; quia Eccleſia non cenſetur obligare cum tali *3. Excuſat gravis repentina occupatio.*

 gra-

gravamine, niſi tamen occupatio intra diem naturalem ceſſet.

4. Diſpenſatio etiam Epiſcopi. 4. Excuſat diſpenſatio Papæ etiam beneficiatum. Dein ex uſu recepto poſſunt Epiſcopi diſpenſare ad breve tempus. Poſſunt etiam Superiores ordinum cum ſuis ſubditis diſpenſare in dubio de morali impotentia recitandi: hoc enim exigit eorum officium pro bono animarum.

QUÆSTIO X.

Ad quid teneatur, qui Horas omiſit, aut dubitet, an aliquid omiſerit, vel aliquam Horam recitârit?

272. *Tenetur reſtituere fructus.* Reſp. 1mò. Beneficiati, qui elapſis ſex menſibus poſt adeptam fructuoſam beneficii poſſeſſionem, culpabiliter omittunt horas, vel horam, tenentur fructus ſaltem horis vel horæ reſpondentes dare pauperibus, vel fabricæ, idque ex juſtitia: nam Concilium Lateranenſe ſub Leone X. decrevit, ut fructus non facerent ſuos, ſed eos pauperibus, aut fabricæ reſtituerent. Quod decretum confirmavit Pius V. declarans, quod, qui omiſit totum officium, teneatur reſtituere omnes fructus illi diei reſpondentes, qui Matutinum, vel tantùm reliquas horas, mediam partem unius diei, qui verò unam ex illis, ſextam partem.

Dixi 1mò *Beneficiati*: nam qui beneficium non habent, aut fructus diei reſpondentes non percipiunt, nec percepturi ſunt, patet eos non obligari ad eos reſtituendos.

Dixi 2dò. *Culpabiliter*: nam qui horas ex naturali oblivione, ignorantia invincibili, aut juſto

juſto impedimento omittunt, hâc lege non ligantur: cùm, ubi culpa non eſt, nec pœna eſſe debeat. Imò Gobat docet, eum, qui per ebrietatem cauſavit ſibi infirmitatem, ob quam excuſatur ab Horis, non teneri ad reſtitutionem fructuum; ſicut non privatur præſentiis, qui ex infirmitate tali modo cauſata abeſt à Choro, quia Eccleſia tantùm iis pœnam illam dictat, qui ſine præſenti impedimento juſto Horas omittunt; *Excipe*, niſi quis ſibi, de induſtria eximendi ſe ab Horis, impedimentum cauſâſſet; quia fraus nemini debet patrocinari.

Dixi 3. *Qui omittunt Horas*: nam, ſi quis eas dixiſſet, ſine attentione, id eſt, voluntariè diſtractus, probabiliter non teneretur ad reſtitutionem, etſi fortè peccâſſet mortaliter, quia præceptum orandi Horas, ex quo ſequitur illa obligatio, eſt antiquius præcepto, ſi quod datur, recitandi cum attentione tali internâ, nihilque meminit hoc de illa obligatione; ergo, cùm odioſum ſit, ad hanc extendendum non eſt.

Dixi 4. *Fructus ſaltem reſpondentes Horis vel Horæ*; nam valde probabile eſt, quòd, qui præter Horas habet alia onera, ob quæ percipit fructus, ùt Paſtores, Epiſcopi, poſſint retinere fructus his oneribus reſpondentes, nec teneantur, niſi 3tiam vel 4tam partem reſtituere. Imò, ſi Parochus habeat Beneficium tenue, ad nihil videtur obligandus, cùm ob alia onera ipſi debeatur ſuſtentatio. Quòd ſi quis omiſiſſet parvam Horæ partem, etſi illi reſponderent magni fructus, probabiliter ad nihil teneretur; uti & juxta Caſtrop. Gob. Bonac. Si partem notabilem ex levibus in diverſis Horis conſurgentem omiſiſſet; quia Cano-

nes loquuntur de omittentibus Horis, vel Horam, & odioſa ſunt ſtrictæ interpretationis.

Dixi 5. *Pauperibus*; quo nomine veniunt etiam pauperes conſanguinei, & etiam ipſe Beneficiatus, ſi pauper ſit; modò Horas non omittat in fraudem legis, eò quòd ſciat, ſe nihilominus titulo paupertatis poſſe fructus retinere. Quòd ſi quis poſt Horas omiſſas, etiam immemor ſuæ obligationis, dediſſet eleëmoſynas, has inter reſtituenda computare poſſet, quia opus præceptum eſſet poſitum, & quilibet cenſetur ità conſtitutus, ut priùs velit obligationi ſuæ ſatisfacere, quàm liberaliter donare. Aliud eſſet de eleëmoſynis ante contractam obligationem datis; quia tunc necdum erat obligatio, adeoque nec intentio ſatisfaciendi.

Dixi 6. *Vel fabrica*; quo nomine intelligitur etiam domus, & agri beneficii meliorandi.

Dixi 7. *Idque ex Juſtitia*; ſi enim ex contractu tacito cum Fundatoribus Beneficiati teneantur ad Horas ex Juſtitia, quod tenent Suar. Sanch. & alii, ſicut Curati ex ſimili contractu tenentur ad curam; utique erit obligatio ex Juſtitia: ſi autem obligatio ad Horas non ſit ex Juſtitia, ſed Religione tantùm, quod docet Azor, Caſtrop. Illſung Tract. 5. n. 38. eò quòd obligatio non ſit imponenda, niſi de ea conſtet; non autem conſtet ſatis de illa intentione Fundatorum; nihilominus obligatio reſtituendi erit ex Juſtitia; quia recitatio Horarum erit ſaltem conditio, ſine qua non faciant fructus ſuos, qui Horas omittunt: dicit enim Pius V., quòd omittens Horas non faciat fructus ſuos, quòd injuſtè eos percipiat.

Reſp.

Reſp. 2. Qui dubitat, an aliquid omiſerit, vel Horam aliquam dixerit, & nullam habet conjecturam, quòd oraverit, tenetur repetere; quia lex eſt in poſſeſſione; ſi autem habet rationem aliquam, vel conjecturam prudentem, quòd oraverit, conſultiùs eſt nihil repetere; quia aperitur via ſcrupulis, & inanibus dubiis, aut perturbationibus. Ità Sanch. Layman, La Croix, qui ajunt, malè fieri, ſi repetat: quod maximè valet pro iis, qui timidæ ſunt conſcientiæ. Quare, ſi talis meminit, ſe Horam incepiſſe, habuiſſe animum attendendi, & poſtea ſe in fine inveniat, nihil repetat; quia poſſeſſio eſt pro ipſo. Nec obeſt, quòd non meminerit, ſe dixiſſe: ſatìs enim eſt, quòd prudentem conjecturam habeat, ſe dixiſſe. 273. *Quid in dubio, an dixerit?*

QUÆSTIO XI.

Quid pro Scrupuloſis ſit hìc notandum?

Reſp. Sequentia. 1. Si recitaverit Horas, non poteſt eſſe dubium de habita intentione orandi, & ſatisfaciendi. 274. *Non cedat dubiis.*

2. Quando illi non conſtat certò & evidenter, quòd mutârit intentionem orandi devotè, vel ſciens volens inhæſerit cogitationibus alienis, credat, ſe ſuæ obligationi ſatisfeciſſe, ne quidquam repetat; quia pro ipſo ſtat poſſeſſio, nec plus ab ipſo Eccleſia exigit.

3. Si adhuc urgeat metus, vel anxietas maximè de non habitâ ſufficienti attentione; tutò accommodabit ſe ſententiæ, quæ negat requiri attentionem internam, quæ excludat voluntarias diſtractiones: quare nihil repetat, quam-

quamvis credat, ſe toto tempore fuiſſe diſtractum. Et hoc illi pro pœnitentia rectè injunget Confeſſarius.

4. Formatâ intentione uno quaſi tractu decurrat Horam, non hæreat, non ſit ſollicitus de attentione; quia ſollicitudo magìs diſtrahit, nihil repetat inter legendum, aliàs miſerè omnia confundet, & orationem ordinatam non faciet; ſicque minùs ſatisfaciet. Si quid repetendum ſit, quod ſine evidentia ſcrupuloſus judicare non debet, repetat in fine.

5. Si timeat, ne verba non rectè pronuntiaverit, nihil repetat, etſi videatur ſibi, malè pronuntiâſſe; ſed certò teneat, ſe ſatisfeciſſe officio, quomodocunque recitaverit, niſi abſque ulla hæſione, juratuſque affirmare poſſit, ſe defectum gravem admiſiſſe: neque enim Eccleſia illum vult cum tali onere aliter obligare, eſſetque aliàs obligatio imprudens.

6. Omnes, qui ità ſcrupulis & anxietatibus gravantur in & ex recitatione Horarum, ut commodè actiones ſuas reliquas peragere nequeant; poſſunt eas omittere, debetque Confeſſarius illis pro pœnitentia ſalutari injungere, ut ad tempus omittant, donec illas videantur poſſe recitare ſine tali moleſtia; quia recitatio talis non tantùm affert grave incommodum, ſed & periculum gravis mali: impedit enim à Dei obſequio, nocet corpori, vitiat cerebrum, & ad quandam inſaniam redigit; cum hujuſmodi autem incommodo, & periculo lex humana non obligat: ſi nolit Confeſſarius illum obligare ad omittendum totum Officium, obliget ad omittendam partem. Quòd ſi ſcrupuloſus nimium temporis impendat Horis, præſcribat illi tempus moderatum,

tum, & quidquid intra illud non abſolverit, jubeat omittere.

Dices: Debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam, & dubiam. Reſp. Imprimis hic non eſt ſolutio dubia, ſed moraliter certa: eſſet enim imprudentia, plus à talibus exigere. Dein debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam quoad ſubſtantiam, Tr. incertam quoad modum tantùm, Neg. 275. *Objectio ſolvitur*

CAPUT II.

De cultu Religionis, qui Deo exhibetur, aſſiſtendo Sacrificio Miſſæ, abſtinendoque à laboribus ſervilibus, aliiſque in diebus feſtis, & Dominicis.

NOta 1. Cùm lege naturali teneamur Deum Excellentiæ infinitæ, Creatorem, Conſervatorem, Dominum noſtrum, in quo vivimus, movemur, & ſumus, colere; placuit illi determinare diem, quo abſtinentes ab operibus profanis, & ſervilibus, ſpecialem, publicumque cultum omnes deferremus, eumque Authorem omnis boni profiteremur. Fuit is ante legem Chriſti dies Sabbati; hunc tranſtulerunt Apoſtoli in diem reſurgentis Domini, & dies Dominica dicitur. Huic Apoſtolorum Succeſſores varios dies feſtos addiderunt, quibus Myſteria vitæ Chriſti, vitam, beneficia, virtutes Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum recolentes, Deum colamus, in Sanctis ſuis laudemus, excitemur ad imitationem, 276. *Dies determinati ſpecialis cultus Dei.*

eum-

eumque in finem tulerunt præceptum, ut abſtineamus ab operibus ſervilibus, & Miſſæ Sacrificio aſſiſteremus, reliqua pia opera, ùt intereſſe Veſperis, pios libros legere, meditari, viſitare infirmos &c. liberæ noſtræ devotioni commendantes, quæ utinam non poſtponantur deſidi otio, periculoſis viſitationibus, otioſis colloquiis, &c. Concionem tamen ſubinde teneantur, præſertim rudes, vel Catechiſmos ad ſui inſtructionem audire.

277. *Miſſa, & ejus partes.* *Nota.* 2. In Miſſa verum, propriè que dictum Deo offerri Sacrificium, in quo Chriſtus primarius eſt offerens, & hoſtia: ſecundarius, Sacerdos, & Fideles, certum eſt, utì conſtabit P. 4. â n. 186. Miſſa hìc accipitur pro toto illo ritu, quem Sacerdos ad Altare ab initio uſque ad finem peragit, ſuntque ejus partes aliæ ordinariæ, quæ ſemper dicuntur, ùt Confeſſio, Oratio, Epiſtola, Evangelium, Præfatio, Canon, *Pater noſter*, *Agnus Dei*: aliæ non ordinariæ, quæ non ſemper dicuntur, ùt *Gloria*, *Credo*, Orationes ſecundariæ, plures præter unam Epiſtolæ, Sequentia: Ordinariæ aliæ ſunt principales, ſubſtantiales; ùt Conſecratio, Communio Sacerdotis: aliæ non ſubſtantiales, ùt Epiſtola, Evangelium, Orationes in Canone. Quos fructus afferat Sacrificium Miſſæ, quomodo peragendum &c. dicetur P. 4. ubi de Euchariſt: hìc tantùm agitur de audienda Miſſa.

QUÆS-

QUÆSTIO I.

Quinam teneantur ex præcepto Eccleſiæ diebus Dominicis & feſtis intereſſe Sacrificio Miſſæ?

Reſp. Diebus Dominicis & feſtis, per ſe loquendo, intereſſe tenentur ſub mortali omnes Baptizati ratione utentes. *Ratio eſt;* quia lex eſt univerſalis, & de materia gravi, proin de ligat omnes ſubditos ſub gravi culpa obligationis capaces, quales ſunt omnes Baptizati, ratione utentes, non verè pueri ante uſum rationis, uti nec perpetuò amentes: hi enim actum humanum cùm ponere non poſſint, qualis eſt actus Religionis, qui hìc præcipitur, nec ad eum poſſunt obligari. Lex illa conſtat ex uſu communi, praxi Eccleſiæ, & declaratione Pontificis Innoc. XI. nam hanc propoſitionem: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus*, damnavit; & aliam mox referendam. Imò, poſtquam Sacrificium Miſſæ inſtitutum eſt, tenetur homo jure divino aliquando illi intereſſe, ut ſupremum Deo cultum in- & externum exhibeat.

178. *Omnes baptizati ratione utentes.*

Dixi 1. *Diebus Dominicis & feſtis*; unde non eſt obligatio ad Miſſam die Cinerum, Feſto Animarum, neque feriâ quintâ, ſextâ, Sabbato majoris Hebdomadæ; nec feſtis inſtitutis à Principe ſæculari, aut conſuetudine populi ſine conſenſu Epiſcopi introductis, nec inſtitutis à ſolo Epiſcopo, reclamante Clero vel populo; quia non adeſt poteſtas inſtituendi Feſta: ſi Feſtum eſſet manè tantùm, foret obligatio audiendi Sacrum. Si populus voveret Feſtum,

conſentiente Epiſcopo, tenerentur poſteri, non vi voti, ſed præcepti Epiſcopi approbantis. Demum Feſto Nativitatis Domini non eſt obligatio, niſi ad unum Sacrum. Dixi 2. *Per ſe loquendo*: nam legitima cauſa excuſans poſſet adeſſe. Nec tenentur Hæretici intereſſe; quia cenſentur excommunicati: & hinc jubentur emanere; in Germania tamen non peccant adeundo; quia non ſunt excommunicati denuntiati, nec putant, ſe excommunicatos. Vide dicta de Legibus P. 1. num. 166. Reſolutione 4tâ.

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur, ut præcepto audiendi Miſſam ſatisfiat?

279. *1. Requiritur intentio.* Reſp. 1. Requiritur intentio. 2. Præſentia corporalis. 3. Aſſiſtentia moralis. 4. Aliqua attentio. 5. Ut Miſſa integra. 6. Ut ſecundùm partes ſucceſſivas audiatur, quæ omnia ordine explicanda ſunt. Itaque

1. Requiritur intentio, non quidem ſatisfaciendi præcepto ſecundùm dicta P. 1. n. 182. ſed audiendi Miſſam, velut rem ſacram, quâ Deo exhibetur cultus. *Ratio eſt*; quia Eccleſia præcipit, per Miſſæ auditionem Deo exhibere cultum aliquem; hunc autem nemo exhibet, niſi volens. Intentionem habet, qui vult Deo cum Sacerdote offerre Sacrificium, eum colere: qui adit templum, volens facere officium hominis Chriſtiani, volens honorare Sacrificium, qui non habet aliam intentionem adeundi templum. Contra, non habet intentionem, qui adeſt tantùm curioſitatis causâ,

vel,

vel, ut poſſit habere occaſionem loquendi, amico, &c. unde non ſatisfaceret præcepto, cui tamen ſatisfacere poſſet, qui volens furari, audire Sacrum intenderet, ne capiatur, vel vellet ſimul ſe oblectare aſpectu turpi alterius perſonæ; quia cum hac intentione poſſet ſtare intentio & attentio, atque per hoc, quòd exteriùs ſe modeſtè gerat, & interiùs attendat, colitur Deus, cui per ſacrificantem, & aſſiſtentes immolatur Sacrificium. Et quamvis is Sacrificii fructum non participet omnem, agit tamen, quod præcipitur: nam præcipitur actus bonus quoad ſubſtantiam tantùm, non quoad omnes circumſtantias, uti habet communis cum S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. De Communione Paſchali aliud declaravit Eccleſia. La Croix l. 3. p. 1. n. 636. Vide p. 1. n. 181.

2. Requiritur præſentia corporalis, quâ ità phyſicè, vel moraliter ſit præſens in loco, in quo fit Sacrificium, ut poſſit dici unus ex numero aſſiſtentium, & offerentium cum Sacerdote Sacrificium, ad quod ſufficit, quòd ſit in loco, qui communicat cum templo v. g. in Choro poſt Altare, aut in loco per murum ſeparato, ex quo feneſtra, vel foramen fert in templum, aut in Odæo, vel Loricâ ſuperiore, ubicunque in templo fiat Sacrum, dummodo percipiat, vel ſciat, aliis ſaltem mediantibus, quid agatur, etſi Sacerdotem celebrantem, immediatè nec videre, nec audire poſſit. Imò, etſi ſit extra templum, junctus tamen multitudini aſſiſtentium protenſæ in templum. Quòd ſi ſolus ſtaret ad murum extra templum, an auditet Sacrum, etiam audiens Sacerdotem, dubium eſt. Negat Pasqual. Affirmant alii. Item, ſi è domo ſua per parvam feneſtram, à

282. *2. Præſentia corporalis.*

templo per parvam plateam ſeparatâ, potens proſpicere in templum, vel ad Altare ad Miſſam attenderet, Miſſam audire affirmat Lugo Dicaſt. Tamb. Gobat. At, inquit La Croix, ſi eſſet excommunicatus ſic Miſſæ attendens, non peccaret; ergo non cenſetur moraliter præſens. Verùm dici poſſet, non prohiberi excommunicato talem occultam aſſiſtentiam; ſed publicam in templo, vel loco publico, aut in privato phyſicam. Qui abivit ad Sacriſtiam è templo aliquid paraturus pro ceremoniis, vel ad campanile tracturus campanas v.g. ad elevationem, manet moraliter præſens; quia occurrit ad Sacrificium in loco communi, communicante cum templo: ſecùs ſi iret ad domum Paſtoris, & abeſſet diu, vel ſub actione ſubſtantiali.

281. *3. Aſſiſtentia moralis.* 3. Requiritur moralis aſſiſtentia, quâ adſit, ùt homo ratione præditus, aliàs non adeſt humano modo, & religiosè, ſed inſtar bruti vel ſtipitis. Hinc non audit Miſſam ebrius, dormiens tempore, quo dormit, etiam involuntariè, debetque, ſi poſſit, aliud Sacrum audire, ſi ſub parte notabili dormierit. Idem dic de rapto in extaſin, ſeu altam contemplationem, & à ſenſibus alienato, ſaltem niſi pergeret contemplari Myſteria Miſſæ, quæ peraguntur. Idem de eo eſt, qui ligatus & reluctans eſſet in templo, niſi tamen applicaret liberè mentem ad Sacrum audiendum.

282. *4. Attentio.* 4. Requiritur attentio tum externa, quæ conſiſtit in omiſſione actionum incompoſſibilium cum attentione interna, ùt ſunt pingere, de re ſeria fabulari, res alias fixè aſpicere, & conſiderare, librum profanum v.gr. Poëtam, Philoſophum legere, aut etiam librum ſacrum ani-

animo indifferenti, aut ſtyli addiſcendi causâ, Concionem mandare memoriæ; tum interna aliqua vel formalis, quâ ſignanter; vel virtualis, quâ exercitè, & minùs experimentaliter attenditur ad ea, quæ aguntur in Altari, ità, ut dicere poſſit ſaltem, ubi aguntur partes ſubſtantiales, ùt Offertorium, Conſecratio, Communio, quouſque pervenerit Sacerdos; non eſt tamen neceſſe orare, ſed ſufficit cum intentione colendi Deum religiosè aſſiſtere, & attendere ad ea, quæ aguntur in Altari; nec tanta attentio requiritur in Sacro quanta in Horis Canonicis, ùt habet communis cum Suar. Lugone, La Croix. Pueri quoque & rudiores non tenentur in actu ſecundo ad tantam attentionem, ad quantam alii; quia eſt ipſis moraliter impoſſibilis.

Hinc ſatisfaciunt, ſi cætera adſint: 1. Miniſtrantes Miſſæ: ſatis enim attendunt exhibendo ſuum miniſterium: hoc enim eſt actualis cooperatio ad Sacrificium. 2. Muſici, Cheliſtæ, Organædi, Tympaniſtæ, Tubicines, modò, quod poſſunt, ſimul attendant ad ea, quæ in Ara geruntur; quia cantus & luſus illorum referuntur ad cultum Dei. Idem eſt de colligente eleëmoſynas, ſi ſimul attendat. 3. Qui conſcientiam examinat, elicit dolorem, præparatque ſe aliis piis exercitiis ad Confeſſionem, modò attendat, uti poteſt. An verò ſatisfaciat, qui ſub Sacro confitetur, diſtinguendum eſt: nam ſi Confeſſio ſit longa, & ità diſtrahatur narratione peccatorum, aut exponendo dubia, ut ad Sacrum ſic non attendat, ut dicere poſſit, quid agatur in Altari, non ſatisfacit; ſi autem brevis ſit, vel non egeat magnâ applicatione, cum qua ſtat atten-

tio virtualis, ſatisfacit, ſi ità attendat, ut dicere poſſit, quouſque circiter Sacerdos pervenerit. Id quod præſertim requiritur ſub Offertorio, Conſecratione, Communione. Cæterùm, qui non niſi ſub Sacro confiteri poſſunt, melius iis eſt confiteri cum minori attentione, quàm Confeſſionem omittere: hoc enim cenſetur conforme menti Eccleſiæ, quæ etiam ob damnum temporale ab obligatione eximit audiendi Sacrum, multò magis ob ſpirituale. Si Confeſſio fiat ſub parte Miſſæ non ordinaria v. g. *Gloria, Credo*, in muſico Sacro minor eſt difficultas. 4. Qui voluntariè eſt diſtractus toto tempore Sacri, modò attendat, quod fieri poſſe conſtat experientiâ, quæ docet, nos poſſe de pluribus ſimul cogitare; probabiliter ſatisfacit præcepto Eccleſiæ; peccat tamen venialiter propter irreverentiam ſaltem, ſi ſimul oret. Idem eſt à fortiori de diſtracto involuntariè, niſi mens alienis ità abriperetur, ut nullatenus attenderet: hoc enim ſi fieret, non ſatisfaceret, ſicut nec involuntariè dormiens, puta, per notabilem Miſſæ partem.

Econtra non ſatisfaciunt, qui per notabile tempus de re ſeria fabulantur, legunt hiſtoriam profanam, vel aliam actionem ponunt incompoſſibilem cum attentione interna, qualis non eſt, audire Confeſſiones, aut etiam legere Sacrum, quanquam melius eſt ad ſuum devotè attendere, quàm ad Sacrum in ſuo, quod ab alio legitur.

285. 5. Requiritur, ut audiatur Sacrum inte-
3. *Miſſa* grum: Eccleſia enim præcepit Miſſam inte-
integra, gram, non tantùm, ùt eſt Sacrificium, ſed etiam ùt eſt ſacra ceremonia. Unde quamcunque partem parvam Miſſæ omittere ſine ratio-

rationabili cauſa, eſt veniale; notabilem verò, mortale. Evangelium S. Joannis in fine probabiliter non eſt pars Miſſæ; quia ante illud jam dimittitur populus per *Ite Miſſa eſt*, & benedictionem. Quæ verò ſit pars notabilis, non ità facilè eſt determinare: quamvis enim ſecundùm omnes tertia pars, & quarta ſecundùm aliquos, ſit pars notabilis Miſſæ, eamque omittens peccet mortaliter; non tamen convenit, quæ ſit tertia pars, cùmque pars notabilis non tantùm à diuturnitate partis, ſed vel maximè ex dignitate determinari debeat, variant DD. cujus partis omiſſione peccetur graviter. Probabiliora videntur ſequentia.

1. Qui non adeſt ad initium Evangelii, etſi permaneat uſque ad finem, notabilem partem Sacri non audit, adeoque peccat mortaliter, ſi poſſit, & non audiat aliud, vel ſaltem illam partem in alio Sacro ſuppleat. Probabile tamen eſt cum Suar. & aliis, non eſſe partem notabilem, niſi ab initio omittas cum Evangelio. Imò Layman L. 4. Tr. 7. Cap. 4. n. 3, & Illſung te non damnat mortalis, modò venias ante Offertorium, & maneas uſque ad finem Evangelii S. Joannis: quia olim ab Offertorio incipiebat Miſſa, teſte Iſidoro. *Quæ ſit pars Miſſæ notabilis.*

2. Qui omittit omnia ante Evangelium, & omnia poſt Communionem, omittit partem notabilem. Ità Suar. Con. Caſtrop. Illſung, & alii; non verò, qui omittit ſola illa, quæ ſunt poſt Communionem Sacerdotis; imò nec, qui omittit omnia ante Epiſtolam, & omnia poſt Communionem.

3. Qui omittit intereſſe Conſecrationi, & Communioni; imò, qui ſoli Conſecrationi non

 adeſt,

adeſt, partem notabilem omittit; quia eſt pars digniſſima, & Eccleſia præcipit principaliter Miſſam, quatenus eſt Sacrificium; cujus ratio in Conſecratione conſiſtit. Probabiliter tamen non eſt pars notabilis, ſi uni tantùm Conſecrationi non adeſſet; quia eſſentia Sacrificii probabiliter habetur per NB. Conſecrationem unius ſpeciei, etſi utraque ſit de præcepto. Nec pars notabilis videtur ſola Communio; quia, licèt ſit valde digna, eſt tamen pars parva, nec in ea ſita eſt eſſentia Sacrificii. Contra dicunt tamen Caſtrop. Illſung; quia eſt pars dignitate notabilis. Burghaber & Hurt. cenſent, non peccari mortaliter, ſi tantùm omittatur utraque Conſecratio, & in hanc ſententiam inclinat Suar. quam Lugo dicit probabilem. Burghaber dat rationem, quòd incertum ſit, in quo conſiſtat eſſentia Sacrificii. Certum eſt, quòd ab incipiente Conſecratione ad finitam Communionem brevior abſentia ſit notabilis ob dignitatem rei, quàm in reliquis Miſſæ partibus. Unde Hurtado, Paſqualigo tenent, eſſe mortale abeſſe à Calicis Conſecratione uſque ad *Pater noſter*. Si Sacro interponatur Concio, vel Sacerdos faciat Memento mediâ horâ, illo tempore abeſſe poteris; ſique adfueris, dum Sacerdos dixit: *Kyrie, Gloria, Credo,* poteris abeſſe, dum iſta cantantur à muſicis: hæc enim & alia, quæ iſti agunt, non ſunt pars Miſſæ.

284. *6. Auditio ſucceſſiva Miſſa.* 6. Requiritur, ut audiantur Miſſæ partes ſucceſſivè: ſic enim Miſſa præcipitur ab Eccleſia, ùt nunc certum eſt ex damnata hac 53. ab Innoc. XI. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul a diverſis Sacerdotibus celebranti-*

bus

bus audit. Unde propoſitio illa, quam probabilem dixit Buſenbaum, amiſit probabilitatem. Vide La Croix n. 609. Per hoc tamen opinio dicens ſatisfieri, ſi ſucceſſivè audiantur duæ medietates à diverſis Sacerdotibus, v. g. ſi quis ad elevationem unius Miſſæ veniat ad templum, & poſtea audiat ſequentem Miſſam uſque ad elevationem; non eſt facta improbabilis. Ità La Croix L. 3. P. 1. n. 611. Card. & alii. *Ratio eſt;* quia partes illæ poſſunt conſtituere unam Miſſam, cùm maneat idem offerens principalis, eadem Hoſtia, quæ offertur, & ſumitur, ſicut manet idem Officium, ſi duo id recitent alternando, uti & ſi invertatur ordo dicendo Primam ante Laudes. Item manet una Miſſa, ſi uno Sacerdote deficiente alter ſuppleat, etiam poſt mediam horam. Unde non obſtat, quòd partes illæ ſacræ non ſibi ſuccedant ſtatim, modò mora interpoſita non ſit nimis longa, qualis non eſt una hora: nam ſæpe Concio unius horæ interponitur. Oppoſita ſententia etiam probabilis eſt: quia diverſa Sacra ad diverſos fines à diverſis Sacerdotibus referuntur, & diverſi Sacerdotes non conſtituunt communitatem, ùt plures orantes Horas; nec faciunt unum, ùt ſuccedens in eodem Sacro facit cum deficiente moraliter unum.

QUÆSTIO III.

An ſit obligatio audiendi Miſſam in Parochiali Eccleſia?

Reſp. Etſi decens ſit audire Miſſam, ſaltem aliquoties in anno, in Eccleſia Parochiali, diebus 285. *Per ſe loquèdo non eſt.*

bus feſtis, & Dominicis, peccarentque, qui ex contemptu id omitterent; tamen ex præcepto Eccleſiæ ad id non eſt obligatio; ſed præcepto ſatisfit, ſive in Parochiali, ſive in Cathedrali, ſive in Regularium Eccleſiis audiatur, imò probabiliter, ſi audiatur in quocunque loco profano v. g. in caſtris cum militibus, in litore, quando legitur pro navigantibus, etſi quis miles non ſit, aut de comitatu navigantium, ſive alio in loco, ſaltem ſi Oratoria privata excipias. *Ratio eſt;* quia Eccleſia tantùm præcipit auditionem Miſſæ, non autem locum, ùt habet doctrina communis, & ſenſus Fidelium; ergo in quocunque loco ſatisfit, quem Eccleſia non excipit ſpecialiter; qualiter excipi probabiliter multi putant Oratoria privata reſpectu eorum, qui de familia non ſunt habentis privilegium Oratorii privati. Dixit quidem Trid. Seſſ. 22. cap. 8. Populum debere moneri, ut frequenter adeat Parochias, ſaltem Dominicis, & Feſtis majoribus; ſed non ideo obligat. Præcepit quoque Sixtus IV. ne Mendicantes prædicent, non teneri Fideles audire Miſſam in Parochia Dominicis, & Feſtis: nam id eſſet ab eo populum avertere in contemptum Paſtorum; ſed non ideo Fideles ad id obligat; &, etſi fortè antiqua Jura id habuerint, nunc per varia privilegia, receptamque conſuetudinem iis eſt derogatum. Quare nec Epiſcopi poſſunt cenſuris, mulctis, aliiſve pœnis ſuos cogere ad audiendam Miſſam in Parochia; quia non poſſunt tollere, aut reſtringere Jus commune, & generalem totius orbis conſuetudinem. Extat de hoc declaratio Cardinalium, CC. Trid. apud Barboſam in Trid. Seſſ. 22. c. 8. de Sacrificio Miſſæ, & Decretum Clementis

mentis VIII. anno 1592. 22. Decembris, quo permittit fidelibus, ut poſſint in Eccleſiis Regularium feſtis etiam majoribus intereſſe Miſſæ, confiteri quovis anni tempore etiam Paſchali. Si quæ in contrarium aſſerantur, intelligenda ſunt, ne id fiat in contemptum Paſtorum. Videatur Buſenbaum l. 3. tr. 3. cap. 1. dub. 4.

QUÆSTIO IV.

An in Oratorio privato Domini ſæcularis, vel privati Clerici ſatisfaciant præcepto de audienda Miſſa alii non privilegiati, quando alibi Sacro intereſſe poſſunt?

Nota. Non quæritur de Oratoriis privatis 286.
erectis in domo Epiſcopi, vel conventu Re- *De quo*
gularium, vel à Miſſionariis privilegiatis, cer- *quæra-*
to loco conſtitutis, nec deputatis perpetuò ad *tur Ora-*
cultum divinum, ingreſſumque habentibus ex *torio?*
publica via: in his enim ſatisfieri poſſe præcepto dubium non eſt, ſed de Oratorio ex licentia Epiſcopi erecto ad tempus à Domino privato ſæculari, vel Eccleſiaſtico in ſua domo, vel arce, ut audire ibi Sacrum ipſe, & familia poſſit, & ii, qui ſunt de familia ejus, quales cenſentur, qui habitant in domo ejus, cum quadam habitudine ad illum, uti ſunt pater & mater, nurus, & gener, uxor, filii, filiæ, nepotes, aliique per lineam rectam deſcendentes, & manentes ſub regimine parentum, habitanteſque cum illis; Item ſervi, & ancillæ, & quandoque etiam hoſpites cum ſuis famulis; ſi hoc addatur in Bulla. Quòd hi ſa-

 tisfa-

tisfacere poſſint in tali auditorio audiendo Miſſam, convenit ſimiliter inter A. A. Dubium eſt de aliis, qui de familia non ſunt. Ad quod

287. *Præfertur ſententia negativa.* Reſp. Probabiliùs non ſatisfaciunt. Ità La Croix l. 3. ar. 1. n. 628. Gobat, Sporer, Diana, Illſung, & alii. *Ratio eſt*: Quia in Bullis privilegii expreſsè additur: *Volumus autem, ut alii, qui non ſunt de familia, non cenſeantur liberi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia.* Oppoſitam ſententiam, quæ communiter cenſetur probabilis, etſi improbabilem dicat nunc Illſung, tenent Henriq. Caſtrop. Pellizar, Burghaber cent. 3. caſu 60mo. *Ratio illorum eſt*; quia de jure communi nunc plus non præcipitur, quàm audire Miſſam; de loco autem nullum extat præceptum. Neque verba Bullæ citata hodiedum quidquam operantur amplius: olim enim addebantur, quando adhuc erat obligatio audiendi Miſſam in Parochia, cui Pontifex nolebat per privilegium privati derogare: in aliis & nunc adduntur; quia ſervatur ſtylus antiquus Curiæ, & dantur privilegia ſecundùm antiquas formulas reſcribendi, nihil tamen, ceſſante obligatione audiendi Miſſam in Parochia, ob quam addebantur, operantur. Verùm cùm verba ſint clara, & explicatio dubia, cumque lex fuerit, ut Miſſa audiretur in Eccleſia, imò & Parochia, nec pro privatis Oratoriis ſtet legitima conſuetudo, nec certa interpretatio, nec privilegium, ùt habent Religioſi; Poſſeſſio eſt pro lege communi, quamdiu non oſtenditur ei derogatum eſſe. Accedit, quòd Epiſcopi concedentes talis Oratorii privilegium, addant prædictam reſtrictionem ex præ-

ſcrip-

ſcripto ſacræ congregationis, ùt habet Illſung ſub n. 163. tr. 5. d. 2. q. 1. Proinde qui non ſunt de familia, ſuaviter monendi ſunt, ut audiant Sacrum in Eccleſia, nolentes autem cogendi non ſunt, nec terrendi tanquam rei futuri peccati gravis, ne peccent formaliter, aliàs ſic non peccaturi, niſi ad ſummum materialiter. Videri poteſt La Croix etiam l. 6. p. 2. n. 262.

QUÆSTIO V.

Quænam cauſæ excuſent ab auditione Miſſæ?

Impotentia, & notabile damnum.

Reſp. Excuſat 1mò impotentia phyſica, ſeu 288.
abſoluta. 2. Impotentia moralis, quando ſcilicet audiri non poteſt ſine gravi incommodo, ſcandalo, vel periculo. 3. Excuſat Charitas. Proinde excuſat omnis, & ſola cauſa, quæ vel impotentiam ſimpliciter importat, vel involvit notabile incommodum in bonis animi, corporis, honoris, vel fortunarum propriis, vel proximi: hæc eſt enim mens præcipientis diſcretæ, & benevolæ Matris Eccleſiæ, ùt conſtat ex communi interpretatione, conſuetudine, quæ optima eſt legum interpres.

Caſus, in quibus excuſatio locum habet.

Hinc excuſantur 1mò. Qui ſunt ſurdi ſimul & cæci; quia percipere non poſſunt, quæ aguntur in Altari.

2. Navigantes extra occaſionem audiendi Miſſam, incarcerati, ex morbo decumbentes, infirmi, & convaleſcentes, quibus obeſt prodire foras. Si dubium ſit de eventuro inde incommodo mediocriter gravi; non tenetur ſe

expo-

exponere periculo ; quia licèt videatur præceptum eſſe in poſſeſſione ; hìc tamen , cùm adſit periculum , contrarium de mente Eccleſiæ præſumitur : hinc rectè ſuadet Lugo, ut dubius conſulat hominem prudentem, quem ſi adire nequit , vel habere , judicet mentem Eccleſiæ non eſſe, ut exponat ſe periculo gravis incommodi. Eſt enim in poſſeſſione juris , imò obligationis conſervandi ſuam ſanitatem.

3. Excuſantur, qui cuſtodiunt caſtra, urbem, gregem, infantes, domum, adeſſe debent ægris, domi coquere , & ſimilia curare, quæ omitti non poſſunt. Quòd ſi æger nollet te dimittere ad Sacrum , etſi æquè ab alio ipſi ægro poſſit inſervari, peccaret æger, tu tamen excuſareris, ſi in ægro oriretur gravis turbatio , triſtitia , indignatio.

4. Qui iter longum, & moleſtum ingreſſurus cum ſocio , à quo levamen non leve eſſet habiturus , vel via ignota monſtranda, & ante ſocii abitum Sacro intereſſe non poſſet ; imò juxta Suar. Gob. Dicaſt. ſi ſocius eſſet facturus expenſas itineris tibi difficiles, aut multum ſublevaturus.

5. Quibus eſt periculum gravis offenſæ parentum, Dominorum ; ſi tamen ideo ſemper omitti deberet Sacrum , de alio medio laborandum eſſet.

6. Quibus eſt gravis difficultas adeundi Eccleſiam , ob diſtantiam loci ab ea, pro qua difficultate determinanda ſpectanda eſt etiam qualitas perſonæ, vir ſit, an mulier, debilis, vel robuſta ? Item aura &c. unde univerſim non excuſat diſtantia unius horæ ſecundùm ſe. Quòd ſi in loco ſit unica Miſſa, & non omnes

nes poſſint abeſſe domo, expedit, ut alternent.

7. Si ex conſuetudine patriæ non ſoleant fœminæ exire domo tempore luctûs, vel poſt partum, vel Sacro non intereſſe Adoleſcentes, & puellæ, quando eorum proclamationes fiunt pro matrimoniis; quia ridentur, confunduntur, excuſantur; ſi tamen hi alibi poſſent commodè audire Sacrum, tenentur.

8. Qui non habet veſtes ſtatui ſuo convenientes; qui ex rationabili cauſa, vel in pœnam delicti à patre jubetur manere domi, quod pater, uti & Dominus poteſt licitè, etſi per accidens omittatur Sacrum.

9. Timens, ne ob delictum comprehendatur, ſi foras prodeat, & puella ex occulta fornicatione prægnans, metuens, ne id advertatur, ſi exeat; item ſi quæ ſciret ſe alteri, à quo perditè amatur, fore occaſionem peccati.

Econtra non excuſatur 1mò. Qui non poteſt audire Miſſam niſi in oratorio domûs ſuæ: licèt enim ſtipendio non teneatur procurare Miſſam, cùm id extraordinarium ſit, & impedimentum non voluntarium, ſi tamen gratis habere poſſit, qui celebret, tenetur intereſſe Miſſæ; non enim adeſt impotentia, nec univerſim verum eſt, quòd nemo teneatur uti privilegio: nam tenemur uti, quoties ejus uſus eſt neceſſarius ad ſervandum aliquod præceptum, quod per talem uſum fit moraliter poſſibile. Similiter qui non poteſt audire Miſſam, poteſt autem celebrare, ad hoc tenetur. Qui non poteſt audire in Parochia, tenetur audire alibi.

289. *Caſus, in quibus excuſatio locum non habet.*

2. Non excuſantur fœminæ, quæ non ſolent

lent ad Eccleſiam ire, niſi comitantibus famulis, ſi hos non habeant, & poſſint modico ſtipendio conducere; quia quiſquis tenetur ad implendum præceptum, tenetur ad media facilia, etſi non ſint ità ordinaria, quando hæc ex libero ejus arbitrio requiruntur.

3. Qui per auditionem Miſſæ privandi ſunt lucro temporali, vel ſpirituali majori non neceſſario. Excipe niſi lucrum tale eſſet valde notabile reſpectu ad perſonam, cujus occaſio dein non eſſet futura; quia tum præſumitur, quòd Eccleſia nolit obligare ad ſe illo privandum. Item excipe, ſi quis in mortali conſtitutus non eſſet intra tempus longum habiturus occaſionem confitendi, nunc autem deberet vel Sacrum*, vel Confeſſionem omittere.

4. Qui non poteſt totum Sacrum audire, non excuſatur à parte ejus notabili, quam audire poſſit, v. g. qui venit ad ultimam Miſſam paulò ante conſecrationem; imò, qui nec conſecrationi, nec ſumptioni potuit intereſſe, tenetur probabiliùs ad reliquas partes; quia poteſt audiri notabilis pars Miſſæ, ùt eſt ceremonia ſacra: Hæc doctrina videtur conformior dictis, & colligi ex damnata 54. ab Innoc. XI.

5. Non excuſatur, qui etiam mero caſu, & ſine culpa ſerò venit ad partem notabilem Miſſæ, ſed tenetur vel ad aliam totam, vel ad illam partem ſaltem ſupplendam. Quòd ſi caſu, vel juſtâ causâ veniſſet ſerius, ſed non notabiliter. Juxta Suar. Dicaſt. Caſtrop. Gobat, & alios non tenetur ſub veniali etiam; quia non tenetur ad totum aliud, cùm gravi obligationi ſatisfecerit: non ad partem alterius Sacri,

quia

quia non poteſt cum priore unum Sacrum conſtituere ; juxta illos A. A. Idem Illſung putat à paritate dicendum, ſi culpabiliter ſerovenerit, non notabiliter. Alii autem, qui tenent poſſe partes ex diverſis Miſſis conſtituere unam, rectè dicunt teneri ad ſupplendum illam partem in alia Miſſa ; quia eſt obligatio ad totum Sacrum.

Nota. Qui accuſant ſe, quòd ad Sacrum ſerovenerint, examinandi ſunt, an id ex negligentia factum, prævideritque periculum ſeroveniendi notabiliter ? ſi prævidérint, eique ſe commiſerint, peccârunt graviter, etſi Miſſam audiverint, aut non neglexerint notabilem partem. Aliud foret, ſi omninò putâſſent ſe ſat maturè adfuturos, & Sacrum maturiùs ſolito cœptum fuiſſet, nec illi de hoc moniti, ad quod tenentur Paſtores; vel ſi adfuiſſet, vel interveniſſet impedimentum, vel cauſa excuſans, & nihilominus conatu ſuo adhibito ſeroveniſſent. 290. *Examinandi ad Miſſam ſeroveni-entes.*

QUÆSTIO VI.

Quænam opera diebus Dominicis, & Feſtis ſint prohibita, & ſub quo peccato ?

Reſp. 1. Prohibentur omnia ſervilia, exceptis iis, quæ jure aut legitimâ conſuetudine ſunt permiſſa. Cap. 3. *De Feriis.* Eſt autem opus ſervile opus corporale, quod ad neceſſitatem corporis, aut ad aliquid corporale à ſervis, vel mercenariis exerceri ſolet : ſeu opus corporale, quod commoditati corporis inſervit, & à ſervis regulariter fieri ſolet, vel, 291. *Prohibentur ſervilia: quæ illa ſint ?*

uti ait Illſung, actio, quæ vel immediatè in utilitatem corporis, vel potiùs corporis quàm animi viribus efficitur; & vulgaribus communiter hominibus committi ſolet.

Unde opera ſervilia 1mò ſunt omnia opera artium mechanicarum, & ruralia, ùt fabricare, ſuere, arare. 2. Venari, piſcari, cum magno apparatu, retia ex propoſito reficere, magno niſu & labore per longum tempus attrahere; quia ſunt actiones corporales, per ſe, & primariò ordinatæ ad utilitatem corporis, opusque aliquod corporeum: nempe ad captionem, & occiſionem ferarum, & piſcium.

Nec refert. Si verè ſervile ſit, an fiat lucri, vel recreationis causâ, an cum vel ſine magna fatigatione: etſi enim Sartores ſine magna fatigatione veſtes conficiant, is tamen labor ſervilis eſt. Ratio à priori eſt: quia intentio, & fatigatio non mutat naturam actionis. 3. Ducere jumenta, currum, navim mercibus onuſtam eſt opus ſervile. Unde per ſe loquendo talia diebus feſtis inchoare eſt illicitum; eorum tamen, ſi ante feſtum ſint inchoata, continuatio permittitur propter publicam utilitatem, vel damnum, quòd aliàs ſequeretur. 4. Opus ſervile probabiliùs eſt, pingere coloribus; quia eſt opus corporale immediatè ordinatum ad artefactum, ſenſibile, ſoletque exerceri à mercenariis. Oppoſita ſententia teſte Layman non eſt improbabilis; quia videtur opus liberale, ſicut artefactum alteri fabricandum in charta delineare, vel rudibus lineamentis depingere aliquem cenſetur non eſſe opus ſervile. 5. Imprimere libros. Excuſat tamen Layman in Typographiis collocatores litera-

terarum, quando poſt divina collocant neglectum penſum.

Econtra opera ſervilia non ſunt 1mò: quæ ad animum excolendum ſpectant, ùt ſcribere, docere, ſtudere, etſi pro pretio fieret: ſunt enim opera liberalia, & digna homine libero. Idem multi dicunt de tranſſcriptione, quia per ſe ordinatur ad animum inſtruendum, & nihil aliud eſt, quàm ſcribere. 2. Pulſare inſtrumenta muſica, notas muſicas ſcribere, & lineas per accidens ducere, neceſſarias inter notas ſcribendas. Lineas tamen notis ſubjici ſolitas per ſe, & ſolas ducere, videtur ſervile. 3. Rationes, ſeu computus inire. venari, piſcari, aucupari ſine magno apparatu, etiam lucri causâ; quia ſunt opera communia ſervis, & liberis. 4. Iter facere pedibus, equo, rhedâ, quia eſt progreſſus naturalis de loco in locum, communis omnibus. Unde etiam ad hæc neceſſaria, ſunt licita. Iter tamen facere in lectica, quæ ab hominibus portatur, non licet; quia portantes opus ſervile faciunt, utì & remiges in navi. Excipe, niſi tacita diſpenſatio per conſuetudinem declarata interveniat. 5. Opus ſervile non cenſetur occupatio modiciſſimæ applicationis. Hinc ſi cooperatio cum animalibus, ventis, aqua, igne, nullam vel modicam applicationem requirat, licet iis cooperari v. g. voce, ſtrepitu, baculo incitare animal ferens onus, molere, diſtillare: ſi tamen requireretur notabilis cooperatio, ſervile eſſet, ut ſi onus ſæpe deponendum, imponendum, animal ſæpe induendum, exuendum eſſet, mola ſæpe obvertenda, ligna findenda ad alendum ignem. 292. *Quæ non ſint ſervilia?*

293. *Opera judicialia prohibita.* Reſp. 2. Cap. 1. & ultimo *de Feriis*, & Pii V. conſtitutione, quæ incipit: *Cùm primum* prohibentur inſuper 1mò. Opera judicialia, ſeu forenſia, quæ cum aliquo ſtrepitu fiunt, hoc eſt, actiones, quæ ad deciſionem cauſarum ſpectant, ùt reum citare, examinare teſtes, juramentum exigere, formare proceſſum, exhibere inſtrumenta; proferre, & exequi ſententiam, quæ, ſi feratur, eſt irrita: hæc enim ſtrepitum judicialem continent; non verò Judicem privatim informare, Advocatum conſulere, conſilia conficere, eligere, diſpenſare, excommunicare; hinc diebus feſtis licent. 2. Prohibentur mercatus, & nundinæ, celebratio contractuum: unde non licet emere, & vendere res non neceſſarias, publicè vel privatim inire contractus locationis, permutationis &c. niſi ex conſuetudine, accedente conſenſu ſuperioris ſaltem tacito, aut ex juſta, ac neceſſaria cauſa excuſentur. Ratio prohibitionis eſt, quia talia animum multum à divinis, ob quæ feſta ſunt inſtituta, avocant. Ob quam cauſam, quamvis luſus, choreæ, convivia in ſeram noctem protracta non ſint opera ſervilia, meritò tamen diebus feſtis improbantur, & multò magis compotationes in cauponis &c.

294. *Exponitur, quando peccetur graviter.* Reſp. 3. Opera tam ſervilia, quàm forenſia prohibentur ſub peccato ex genere ſuo mortali; quia finis præcepti, qui eſt cultus Dei, graviſſimus eſt, cui opera illa graviter derogare poſſunt. Quamvis autem Azor, Bonac. Reginald. mortale putent eſſe, laborare ad horam: Marchantius, Filliutius, & Gobat in Clypeo N. 283. requirant tres horas; probabiliùs tamen eſt mortale, ſi duæ horæ multùm exce-

excedantur, quia eſt pars notabilis diei, non verò duæ tantùm horæ, quæ ſunt pars diei duodecima. Ità La Croix N. 594. Unde per ſe mortale non eſſet, ſingulis feſtis per annum duabus horis laborare; quia ſicut horæ unius diei non coaleſcunt cum horis alterius ad conſtituendum unum diem feſtum; ità nec labores ad unius feſti violationem gravem. Dixi: *Per ſe*: quia ratione ſcandali, & contemptûs facilè mortale fieret. In forenſibus autem, & judicialibus non tàm ſpectanda eſt qualitas temporis, quàm qualitas operis. Sic Palao cenſet, grave eſſe, vendere rem magni momenti cum magna ſolennitate, licèt brevi tempore fiat, niſi neceſſitas, vel conſuetudo probata excuſet; ſimiliter prolatio ſententiæ grave cenſetur juxta Sanch. Licet tamen diebus feſtis imò juramentum judiciale, quod pro rebus ſpiritualibus pro fide, pro pace, fama, vel alia neceſſitate exigitur. Item juramentum, quod fit ſine ordine ad judicium, aut mercatum.

2. Oblatio libelli etiam pro cauſa temporali, modò parti adverſæ non intimetur die feſto, quia cùm illa oblatio non procedat à poteſtate jurisdictionis, ſed à litigante; non videtur ſpectare ad formationem proceſsûs.

3. Licitè patrocinatur Advocatus verbo vel ſcripto, Judicemque informat; quia eſt actio nec ſervilis, nec prohibita. Similiter Judex poteſt concipere die feſto ſententiam, & etiam ſcribere poſtea proferendam; quia hæc actio fit ſine ſtrepitu judiciali.

4. Notarius die feſto tranſcribens acta ſpectantia ad judiciales ſtrepitus, non peccat mortaliter, juxtà Suar. contra Sanch. quia nec eſt opus ſervile, nec prohibitum.

5. Licet die feſto præſentare ad beneficia, inſtituere, conferre, condere teſtamentum, alioſque actus voluntariæ jurisdictionis exercere; Item judicia, quæ de partium conſenſu fiunt per arbitratorem, id eſt, qui eligitur, ut edicat, quod ſibi videtur: litem componere ſine ordine judiciali uſitato in foro; ſecus eſt de Judice arbitro, qui procedit ſervato ordine proceſsûs forenſis.

QUÆSTIO VII.

Quæ cauſæ excuſent ab obligatione, abſtinendi à laboribus vetitis diebus Feſtis ac Dominicis?

295. *Excuſat 1. diſpenſatio, etiam Parochi.* Reſp. Sequentes: Diſpenſatio, conſuetudo, pietas erga Deum, charitas erga proximum, neceſſitas propria, vel aliena corporis, vel animi.

1mò. Excuſat diſpenſatio vel à Papa, vel ab Epiſcopo, vel etiam à Parocho, ſaltem non præſente Epiſcopo data: hi enim omnes diſpenſare poſſunt per poteſtatem, conſuetudine à Pontifice datam. Superiores Religioſorum pro ſuis ſubditis, non tamen pro famulis ſæcularibus poſſunt diſpenſare. Quòd ſi cauſa excuſans ſit moraliter certa, opus non eſt diſpenſatione; petenda tamen eſt ob ſcandalum, quod oriretur, ſi publicè laboraretur.

2. Conſuetudo. 2. Excuſat conſuetudo, quia per eam declaratur conſenſus Superioris, & tacita diſpenſatio, cùm videat fieri, aliàs non licita, & non contradicat. Sic videtur nunc licitus mercatus privatus, ſive quidvis vendere, & emere clauſâ

clausâ officinâ, & contractus inire ſine inſtrumentis, & Judicis authoritate: venari, piſcari moderatæ recreationis causâ, præparare delicias non neceſſarias, utî cupedias, placentas, ſimilesque cibos artificioſos. Item ubi conſuetudo habet, molere, non tamen frumenta vel farinam vehere. Item nundinas habere.

3. Excuſat pietas erga Deum. Ratione hujus licent opera ad cultum Dei proximè pertinentia, ùt pulſare campanas, circumferre imagines in ſupplicatione, ornatum Altari, & templo addere, qui pridie non poterat fieri. Verrere autem templa die feſto, parietes ornare periſtromatis, præſepe erigere, & ſimilia, ſi pridie poterant, cenſetur veniale. Otii autem vitandi causâ laborare die feſto, illicitum eſt; quia otium aliis modis vitari poteſt, & aliàs liceret Opificibus, ne eant ad popinas, aliaque conſortia vana. *3. Pietas.*

4. Excuſat Charitas erga proximum. Ob hanc die feſto licet fodere ſepulchrum, illo die ſepeliendo, agere cauſas Pauperum, ne ſumptibus graventur, laborare pro determinato paupere, cui ratione gravis neceſſitatis tunc liceret laborare; vendere ruſticis, qui aliis diebus impediuntur; infirmis medicamenta parare &c. finis enim legis eſt Charitas, quam non debet impedire quidquam, quod in propria neceſſitate licet. *4. Charitas.*

5. Excuſat neceſſitas propria, vel aliena, quæ præverti non potuit: ùt cùm ſine gravi damno opus aliquod omitti, vel differri non poteſt. Sic excuſantur imò pauperes, clam die feſto ſine ſcandalo laborantes poſt divinum officium, ſi aliter ſe, & familiam alere non poſſint. *5. Neceſſitas.*

poſſint. 2. Famuli & ancillæ, juſſu Dominorum laborantes, ſi omittere non poſſint ſine gravi incommodo; nec ad id agendum cogantur in contemptum legis. Si tamen id frequenter contingeret, tenerentur eos deſerere. 3. Coqui, & Culinarii, item Piſtores, Laniones, & ſimiles in oppidis populoſis, & concurſu feſtorum. 4. Inſtauratores pontium, fontium, viarum publicarum, ſi ſine gravi jactura boni communis opus differri nequeat. 5. Laborantes in meſſe, fœno, vindemia, ſi aliàs probabile damnum immineat. Sed in hoc caſu petenda eſt venia; ne cupiditate decepti dent ſcandalum, vel ſine cauſa legitima laborent. 6. Qui pro victu parando occidunt, excoriant, deplumant animalia, ſi pridie fieri non potuit. Item qui calceant equos ob neceſſitatem itinerantium, irrigant olera, ſecant venam ob neceſſitatem. 7. Sartores, qui pro funeribus, nuptiis &c. parant veſtes, ſi aliter non poſſunt. Item ſi bonâ fide veſtem promiſerint fore paratam, & laborent ultra mediam noctem, quando aliàs habituri ſunt incommodum. 8. Barbitonſores communiter excuſantur vel parvitate materiæ, ſi unum tantùm, vel alterum tondeant, vel neceſſitate; uti ſi ruſtici, vel aliis diebus impediti veniant; vel cum gravi damno deſererentur, ſi venientibus non ſervirent, vel petentibus &c.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quomodo peccet, qui ſine legitima cauſa aliis imponit diebus feſtis labores prohibitos?

Reſp. 1mò. Qui imponit eos lege obliga- 296.
tis, ùt ſunt omnes Baptizati, ratione utentes, peccat etiam Hæretici, peccat graviter, vel leviter pro temporis quantitate, quo laborare ſuadet vel jubet. Unde qui tribus ſuis famulis præciperet, ut ſimul laborarent per horam, ſecluſo ſcandalo, peccaret tantùm venialiter, quia non eſt una gravis dehonoratio feſti, ſed tres leves; ſi autem præcipiat, ut laborent ſucceſſivè; probabilius peccat mortaliter. Ità La Croix l. 3. p. 1. n. 580. contra Sânch. Caſtrop. Oviedo, & alios communiùs. *Ratio eſt*, quia præcipiens eſt cauſa laboris per tres horas, qui gravis eſt dehonoratio feſti: reſpectu enim præcipientis, cùm per famulos velut inſtrumenta laboret, labores à ſingulis ſucceſſivè poſiti coaleſcunt; ſicut ſi quis 10. famulis imperaret, ut ſinguli inferrent damnum leve Titio, hæc ſi conſtituerent damnum grave, mandans peccaret graviter, etſi famuli tantûm peccarent leviter, ſi non concurrerent ùt una cauſa; quia mandans eſſet cauſa totius damni gravis, coaleſcentis ex decem levibus: ùt ſi decem famulis mandaret, ut ſinguli uno quadrante facerent incendium, eſſet cauſa diuturni incendii; ergo mandans decem famulis, ut ſinguli laborent per horam, eſt cauſa diuturni gravis laboris. Nec juvat, quòd ſinguli famuli non peccent graviter; quia ſingulorum

Peccat pro gravitate dehonorationis eos imponens lege obſtrictis.

labores non coaleſcunt reſpectu illorum , cùm unus laboret independenter ab alio, at reſpectu mandantis coaleſcunt. Nec juvat iterum, quòd non peccet graviter , qui decem lege jejunii obligatos induceret , ut die jejunii comederent quid parvi , etſi , ſi omnia ſumerentur ab uno, hic graviter peccaret : nam diſparitas eſt : quia, ſi decem quid parvi comedant , non violatur graviter præceptum jejunii , cùm non ſumatur ſecunda refectio, nec unus alterius cibo nutriatur, ſicque finis præcepti , quoad ſubſtantiam ſalvus maneat , nec illi comedant nomine mandantis. Econtra in caſu noſtro ponitur gravis præcepti violatio , quæ moraliter procedit à mandante.

297. *An imponens lege non obſtrictis ?* Dixi : *Qui eos imponit obligatis* : nam imponens tales labores non obligatis lege, v. g. perpetuò amentibus , Catechumenis, Gentilibus , non peccat probabiliter . ſecus ac imponens eos baptizatis obligatis. Ità La Croix l. 3. p. 1. n. 579. Qui hanc ſententiam cenſet probabiliorem cum Layman l. 1. tr.4. cap. 10. n. 3.

Oppoſita ſententia non eſt improbabilis. *Ratio eſt* ; quia imponens laborem, cenſetur per eos laborare , & feſtum dehonorare , non ſecus, acſi eſſent baptizati ; cùm laborent vel nomine ejus , vel pro ipſo.

Nec juvat 1mò. Quòd dans puerò, rationis necdum capaci , die vetito carnes comedendas, non peccet : nam ideo non cenſetur ipſe carnes comedere , cùm pro ipſo non comedat , nec puerum inducit ad peccatum.

Nec 2dò. Quòd die feſto ſine ſua cooperatione faciens per ſuos equos molam circumagi, non peccet : nam equi, utpote irrationales, non ſunt

ſunt apti ſanctificare, vel profanare diem feſtum; ècontra homines ad id apti ſunt. Hinc videns Infidelem laborare die feſto, rectè diceret: Hic non colit diem feſtum, ùt vult Eccleſia. Atque in his tribuendum multùm exiſtimationi hominum.

Nec 3tiò. Quòd obligatio non laborandi ſit perſonalis: nam hoc non obſtante, qui mandat Fideli, ut laboret, cenſetur ipſe laborare.

Nec 4tò. Quòd jubens diſpenſatum laborare, non peccet; quia diſpenſatio facit, ut labor non ſit inhonorativus feſti: ècontra Eccleſia vult etiam Infideles v. g. Judæos inter Fideles abſtinere, quamvis iis imperare non poſſit.

Ex his patet, quòd immeritò dicat Illſung, Sententiam affirmantem eſſe improbabilem. Negativa tamen Sententia eſt valde probabilis; quia labor Infidelium, utpote non ſubſtans præcepto, non videtur magìs dehonorare Feſtum, quàm labor diſpenſati. Conſiderandum tamen eſt, an diſpenſatus ſit, ut pro ſe tantùm poſſit laborare, vel etiam pro aliis. Si primum, inducens diſpenſatum (idem eſt de Infideli) ut pro ſe ipſo laboret, non peccat: ſi inducat, ut pro aliis laboret, peccat, & quidem, ſi, ùt pro ſe inducente, hic cenſetur per ipſum laborare. Si 2dum, non peccat, quia tunc & cum inducente diſpenſatum eſt, ut poſſit per alium illum laborare, adeoque, etſi adhuc per ipſum cenſeatur laborare, tamen culpâ vacat.

CAPUT III.

De cultu Religionis, qui Deo exhibetur per Juramenta, eorumque obſervationem.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Juramentum?

298. *Quid ſit Juramentũ?* RESP. 1. Juramentum eſt deliberata invocatio Dei in teſtem alicujus. Dicitur 1. *deliberata*; quia Juramentum eſt actus humanus, unuſque ex præcipuis Religionis, ad quem nempe ipſa ſingulariter hominem inclinat; quia per eum palam profitemur, Deum ob infinitam ſuam ſapientiam & veracitatem omnibus creaturis eſſe potiorem in atteſtanda veritate: Actus autem humanus debet ex deliberatione rationis procedere. Unde, qui ex inadvertentia profert verba juratoria, vel neſcit, quid ſit jurare, ut ſæpe neſciunt rudes, Juramentum non facit, etſi dicat, aut faciat, quod alii faciunt. Dicitur 2. *Invocatio*: quæ duplex eſt: alia explicita, quando immediatè juramus per Deum, v. g. teſtem Deum invocamus, quòd hæc res ità ſe habeat; alia implicita, quando juratur per creaturas cum reſpectu, & relatione ad Deum, qui reſpectus potiſſimùm attendi ſolet in creaturis, in quibus maximè elucent Dei perfectiones: tunc enim cenſetur eorum author in teſtem vocari, v. g. ſi dicas: Juro per Cœlum, per terram, per Evan-

Evangelium, per templum Dei. Quod ſi aliquid affirmetur per creaturam ſine ordine ad Deum, Juramentum non erit, uti ſi dicas: Per fidem meam hoc ità eſt. Dicitur 3. *Invocatio Dei*; quia, qui ſolâ authoritate humanâ aliquid confirmat, vel per falſos Deos, non verè jurat, nec obligatur Juramento, ſi quid per illud promiſit. Dicitur 4. *In teſtem*; non quidem, ut hìc & nunc veritatem aliquo miraculo teſtetur: hoc enim eſſet, tentare Deum: ſed quando, & quomodo ei placuerit, ſive in hac, ſive in altera vita, quando illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Dicitur 5. *Alicujus*; ſive id ſit factum, ſive negatio, ſive præſens, ſive præteritum, vel faciendum.

Differt Juramentum ab adjuratione: hæc enim eſt actus, quo quis alterum rogat, vel ei aliquid præcipit per Deum, ut ſcilicet timore, reverentiâ, vel amore moveatur, vel cogatur ad aliquid agendum, fatendum, vel non agendum. Sic Apoſtolus 1, ad Theſſal. 5. dixit: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc.* Si carens poteſtate, mihi præcipiendi, me adjuret; non teneor admittere adjurationem. 299. *Differt ab adjuratione.*

Reſp. 2. Juramentum dividitur 1mò in merè internum, quo ſine ſigno externo aliquid animo affirmatur, vel ſpondetur, & Deus in teſtem vocatur; & externum ſimul, quo Deus ſigno ſimul externo vocatur in teſtem. Hoc ſubdividitur in verbale, quod verbis, reale, quod actione aliquâ, vel nutu fit: uti ſi Evangelium vel ſceptrum oblatum pro Juramento edendo, tangas, vel ſi tibi dicatur: Juras per Deum? & annuas capite, vel oculis; & in 300. *Diviſio juramenti.*

in mixtum, quod verbis & actione perficitur, ùt ſi Evangelium tangens dicas: Juro per hæc ſancta Dei Evangelia. Quòd ſi hæc fiant cum certa forma ad id præſcripta, vel ceremonia quadam v. g. ſi fiat attactu Evangelii, vel coram Notario & teſtibus, dicitur Juramentum ſolenne, aliàs ſimplex.

2. Dividitur Juramentum in purè aſſertorium, execratorium, & promiſſorium. Aſſertorium eſt, quo cum invocatione Dei in teſtem aliquid, vel præſens, vel præteritum, aut etiam, ſine tamen noſtra actione, futurum affirmatur, vel negatur, utì ſi quis juraret, cras fore Eclypſin. Execratorium eſt, quo Deus invocatur non tantùm ùt teſtis, ſed etiam ùt vindex, ùt, ſi quis dicat: Deus me puniat, me damnet, dæmon me auferat, non abeam ex hoc loco, ſi ità non ſit. Item, ſi dicas: Super animam meam: ſic me Deus adjuvet: ſenſus enim eſt: ſi ità non ſit; pereat anima mea; ſecundùm hanc veritatem me Deus adjuvet, ſique ità non ſit, ità non ſentiam; Deus me non adjuvet. Promiſſorium latè acceptum eſt, quo aliquid à nobis agendum, vel omittendum, Deo in teſtem vocato, dicimus, ſive id promittamus, ſive adſit nudum propoſitum.

Promiſſorium autem ſtrictè dictum eſt, quo quis actionis vel omiſſionis à ſe ponendæ promiſſionem per Dei teſtimonium confirmat, vel juratò aliquid futurum à ſe promittit: v. g. ſpondeo, ac juro, me daturum tibi pecuniam: me non bibiturum ampliùs vinum: voveo, ac juro, me initurum Religionem, ſi pater meus conſentiat. Ad hoc reducitur

ducitur Juramentum comminatorium, v. g. per Deum te cædam.

301. *Promiſſorium & aſſertorium juramentum non differunt ſpecie.*

An Juramentum aſſertorium & promiſſorium differant ſpecie, in ratione Juramenti, dubium eſt, Negat Suar. & alii, eò quòd eſſentia Juramenti, quà talis, conſiſtat in invocatione divini teſtimonii, cui accidentale eſt, invocari ad firmandam veritatem rei futuræ vel præſentis; Affirmat Caſtrop. eò quòd in aſſertorio Deus purè invocetur ùt teſtis; in promiſſorio autem etiam ùt fidejuſſor, id eſt, ut Deus ſuam authoritatem præſtet pro eo, quòd jurans rem ſit executurus: adeoque duplex ſit obligatio, illud Juramentum ſervandi, una erga Deum, ùt primam veritatem; altera erga eum, ùt ſupremum fidejuſſorem. Illſung ait, Deum quidem adhiberi velut fidejuſſorem, non tamen, ut ſuppleat omiſſionem promiſſi, ſed, ut ſuâ authoritate ſtabiliat voluntatem implendi promiſſum, ſicque faciat promiſſionem ſecuram, magiſque credibilem, ac ſi propriè rei futuræ in teſtem vocatus eſſet: ſicut, ſi quis aliquid promiſiſſet coram Rege. Unde Deus ſponſor tantùm eſt obligationis, vel voluntatis rem juratam exequendi, ùt tenet La Croix hìc n. 305. Neque enim Deus vocatur in teſtem rei futuræ, niſi in cauſa, cùm voluntas cum ea non ſit neceſſariò connexa, nec Jurans certus ſit, rem eſſe futuram, niſi quantum in ſe eſt. Sic, qui teſtis eſt in contractu humano, non eſt teſtis rei futuræ, ſed tantùm præſentis, promiſſionis, vel obligationis. Hinc Sententia Suar. videtur probabilior, poteſtque Juramentum definiri: Actus Religionis, quo Deus invocatur ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quæ verba ſignificent, & quæ per ſe non ſignificent Juramenta?

102. *Verba juratoria.* Reſp. Juramentum ſignificant ſequentia: 1. Juro per Deum: teſtor Deum: Deum teſtem invoco: per Deum ità eſt. 2. Ità eſt per Cœlum, per corpus, vulnera Chriſti: per animam meam, ſuper animam meam: Puniat me Deus, ſi ità non ſit. Per fidem Chriſti, &c.

Non juratoria. Econtra Juramentum non ſignificant hæc: 1. Deus novit: Deus teſtabitur ſuo tempore: coram Deo loquor: Deus omnia novit: Deus videt meam conſcientiam. Hæc enim videntur tantùm narrativè proferri: ſi tamen quis intenderet per ea jurare; foret Juramentum. 2. Quæ dicuntur per modum ſponſionis, v. g. Expono caput meum: amputentur mihi ambæ aures, ſi ità non ſit &c. 3. Verè, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, fide boni Chriſtiani, per conſcientiam meam, fide ſacerdotali, principali: ſecùs, ſi diceretur: per fidem Catholicam, per Evangelium. 4. Tam verum eſt, quàm Sol lucet, quàm hìc ſedeo. 5. Quod dico, eſt Evangelium, eſt inſtar fidei: eſt tam verum, quàm Deus eſt: quàm Chriſtus eſt in Euchariſtia: tam innocens ſum, quàm Beatiſſima Virgo: nam ſic Deus non vocatur in teſtem. Eſſent tamen blaſphema, ſi loquens intenderet ſignificare, dicta ſua tam certa eſſe, quàm certæ ſunt res Fidei; ſecùs, ſi tantùm intenderet dicere, eſſe ſuo modo vera, ſicut vera ſunt iſta. 6. Juro per me: juro per eum, qui ſum. Etſi enim homo ſit creatura, in qua

qua ſpecialiter relucent perfectiones Dei; ex uſu tamen non recipiuntur, ùt Juramenta.

Cæterùm ſpectanda eſt intentio loquentis: nam, ſi intendat Deum vocare in teſtem, etſi verbis juratoriis non utatur; verè jurat, ſique quid juratò afferat, quod ſuâ opinione falſum eſt, perjurus erit; quia, etſi ſciat, Deum non poſſe teſtari falſum, tamen, quantum eſt de ſe, vult teſtari falſum, quæ gravis eſt Deo injuria. Econtra, ſi utatur verbis juratoriis, non intendens, Deum vocare in teſtem, vel neſciens, quid ſit jurare; re ipſâ non jurat: & ità ſæpè excuſantur rudes dicentes: Per animam meam: dicendo enim per animam meam, vel neſciunt, Deum vocari in teſtem, vel vocare non intendunt. Dicere: Nego Deum, ſi ità non ſit: eſt mera blaſphemia.

QUÆSTIO III.

Quænam requirantur, ut Juramentum ſit licitum, & honeſtum?

Fide certum eſt, Juramentum licitum & honeſtum eſſe, ſi certæ adſint conditiones. Conſtat tum ex Scriptura Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, illi ſoli ſervies, ac per nomen ejus jurabis;* tum ex traditione, praxique perpetua Eccleſiæ. *Ratio eſt;* quia Juramentum eſt actus latriæ, quo profitemur, Deum habere rerum omnium cognitionem certiſſimam, eſſeque veraciſſimum. Unde, quando Chriſtus dixit Matthæi 5. *Ego autem dico vobis, omninò non jurare; ſit autem ſermo veſter: Eſt, eſt, non, non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt,* prohibuit tantùm Jura-

303. *Jurare de ſe licitum eſt.*

Juramenta, quæ non fiunt cum debitis conditionibus, ideoque à Religione non diriguntur ad cultum Dei, qui eſt finis intrinſecus Juramenti ùt honeſti: licèt, ſi materialiter ſolùm ſpectetur finis illius, ſit confirmatio veritatis. Quæſtio hìc eſt, quæ conditiones requirantur ad Juramentum licitum. Itaque

304. *Tria requiruntur.* Reſp. Ut Juramentum ſit licitum & honeſtum, tres requiruntur conditiones, ſeu comites: nempe Veritas, Judicium, & Juſtitia; Jeremiæ Cap. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in Veritate, Judicio, & Juſtitia.*

1. Veritas prudenter exiſtimata. 1. Requiritur veritas, ut Deus non invocetur teſtis, niſi rei veræ, ſaltem prudenter exiſtimatæ, ùt veræ, id eſt, ut prudenter jurans judicet, ſitque moraliter certus, verum eſſe, quod dicit, & efficiendum, ſaltem, quantum eſt in ſe, quod promittit: qui enim jurat, ſignificat, ſe aliquo modo ſcire, proinde requiritur ſaltem talis certitudo, ut non ſit prudens formido de veritate. Ità Suar., qui tamen admittit, quandoque majorem, quandoque minorem certitudinem requiri; minorem, quando agitur in favorem proximi; majorem, ubi grave illi incommodum naſci poſſet.

2. Judiciū, ſeu juſta cauſa. 2. Requiritur judicium, id eſt, ut cum diſcretione, non abſque cauſa, vel neceſſitate, non ſine debita reverentia, maturoque veritatis examine juretur.

3. Ut non ſit medium iniquitatis. 3. Requiritur Juſtitia, ut Deus non invocetur ad confirmandum, vel inducendum, augendumve actum malum: ſeu, ut juramentum non adhibeatur tanquam medium ad augendam, inducendamve iniquitatem: uti fieret, ſi quis tentaret ſe obligare Juramento ad peccandum, vel eo firmare iniquum contractum,

vel

vel honoris proximi læſionem ; cæterùm ex cauſa juſta juratò affirmare aliquod peccatum à te vel alio commiſſum, poteſt vacare culpâ; quia Deus tantùm induceretur teſtis veritatis, in quo nulla eſt irreverentia. Quòd ſi Juramentum adhibeatur ad firmandum aliquid repugnans Legi Civili, quæ ſub peccato non obligat, ùt lex prohibens contractus minorum, ejus honeſtati & obligationi, non obſtat. VideLayman L. 4. Tr. 3. Cap. 6. à. n. 7.

QUÆSTIO IV.

Quomodo jurando peccetur, ſi una ex prædictis conditionibus deficiat?

Reſp. 1. Si deſit veritas prudenter exiſtimata, jurans reus eſt perjurii mortalis; quia Deum adducit in teſtem falſi, quæ eſt gravis irreverentia, etſi res falsò jurata eſſet leviſſima: vellet enim, Deum eſſe mendacem. 305. *Jurare ſuâ opinione falſum, vel dubium, grave eſt.*

Hinc peccat mortaliter 1. Qui jurat dubius de veritate, quia vult, Deum teſtari, ſive verum ſive falſum ſit.

2. Qui jurat verum putans eſſe falſum, quia vult, Deum teſtari ſuâ opinione falſum. E contra non peccat jurans falſum, quod indubiè judicat eſſe verum.

3. Peccat graviter, qui Juramento promittit aliquid ſine animo implendi; quia jurans ſe aliquid facturum, adducit Deum in teſtem voluntatis id faciendi, proinde, ſi illa deſit, perjurus eſt.

4. Jurans ſe facturum, quod ſcit, ſibi eſſe impoſſibile; quia jurat, ſe habere voluntatem efficiendi, ſeriam autem faciendi id, quod no-

vit ſibi eſſe impoſſibile, habere non poteſt. Idem eſt, ſi dubitet, an poſſit implere, & abſolutè juret. An addúcere aliquem ad jurandum falſum, quod ipſe putat eſſe verum, liceat, pendet ex eo, an tale juramentum maneat objectivè malum. De quo vide P. 1. num. 52. & P. Viva in damnatam 24. ab inn. XI. n. 15. Falſum dicere, quod bonâ fide putatur verum, non videtur materialiter malum.

306. *Jurare verum ſine cauſa, eſt veniale.* Reſp. 2. Si deſit judicium tantùm, ſeu cauſa juſta jurandi, per ſe loquendo, eſt veniale tantùm; quia, etſi ſit irreverentia, ſine caúſa interponere authoritatem Dei pro revera, non eſt tamen gravis; ſi autem deeſſet conſideratio veritatis, cum periculo jurandi falſum, mortale foret ex dictis; ſi verò defectus conſiderationis eſſet tantùm circa neceſſitatem vel ſufficientiam cauſæ jurandi, veniale tantùm per ſe foret. Sic illicita ſunt juramenta urbanitatis, v. g. non ingrediendi, vel egrediendi priùs: ea tamen non cenſentur violari, ſi jurans, altero urgente, præcedat; quia alius juramento pro ſuo honore facto cedit, & juramentum imbibit conditionem, niſi alter urgeat, ut debeam urbanitatis causâ præcedere.

307. *An jurans, ſe facturũ malum morale peccet graviter?* Reſp. 3. Juxta communiorem, ſi deſit Juſtitia, eſt grave, vel leve peccatum contra Religionem pro quantitate materiæ, ex propoſito, vel promiſſione ponendæ: nam qui juraret, ſe facturum rem graviter malam, v. g. alteri juratò promitteret, ſe ipſius inimico illaturum mortem, peccaret graviter, non ſolùm contra Juſtitiam, ſed etiam contra Religionem; qui verò alteri promitteret ſub juramento, ſe facturum mendacium, in gratiam ejus, v. g. ut ipſum liberet à periculo pœnæ, peccaret

ſolùm

ſolùm venialiter; quia eſt irreverentia, divino teſtimonio uti ad firmandum ſe in voluntate Deum offendendi, eaque tantò major, quantò major eſt malitia, ad quam patrandam ſe firmare intendit; ergo, ſi malitia illa eſt gravis, graviter; ſi venialis, venialiter peccat. Sed hæc Sententia difficultatem habet: vel enim jurans vult, ut Deus approbet, aut obliget ad peccatum, vel firmet voluntatem peccandi; & jam erit gravis blaſphemia in utroque: vel ſolùm vult, ut Deus teſtetur, actionem eſſe futuram, ex præſente ſua voluntate, ut veritatem latentem aperiat, & idem dicat, quod ipſe dicit, id quod ſolùm fieri in juramento docet Leſſ. L. 2. Cap. 42. num. 18. & jam perinde tantùm veniale videtur. Deum adducere in teſtem peccati gravis futuri: ſicut grave non eſt, Deum adducere in teſtem peccati facti; quia non petitur, ut Deus approbet factum, ſed ut teſtetur verum dicti.

Dices: Jurans non vult, ut Deus peccatum approbet: ſed apprehendens fieri firmius, quod juramento confirmatur, juramentum adhibet, ut ſuum propoſitum immutabile reddat, in quo eſt gravis inordinatio, ſi materia ſit gravis. Sed cur non etiam gravis ſit, Dei teſtimonio uti ad ejus offenſam levem in conſpectu ejus? Unde valde probabiliter peccat mortaliter, qui jurat, ſe facturum rem venialiter etiam tantùm malam.

Colliges ſequentia. 1. Qui ex conſuetudine ſæpe jurat, tenetur conatum adhibere, ut conſideratè loquatur, & conſuetudinem emendet: eſt enim in periculo, ſæpe jurandi falſum, adeoque peccat mortaliter, ſi conatum non adhibeat, & quidem tantò graviùs, quantò levio- 308. *Corollaria.*

levioribus ex indiciis, aut minore indagine veritatis jurare conſuevit: hic enim exercitè ſic eſt conſtitutus, ac ſi diceret: Etſi ſæpe ſoleam pejerare, nolo tamen iſtam conſuetudinem emendare: recteque notat poſt Scotum Dicaſt. quòd, ſicut conſuetudo amandi Deum efficit, ut aſſuetus prorumpat in actus amoris quaſi imperceptibiliter, non tamen omninò inadvertenter, ità, ut actus illi ſufficiant ad meritum; ità, qui aſſueverunt juramentis, vel aliis peccatis, ſæpe ſufficienter advertant, quantum ad culpam ſufficit, etſi non ità reflexè advertant ad malum.

2. Qui alium ſubordinat, ut falſum nomine ſuo juret, ipſe perjurus eſt moraliter & mediatè; Subordinatus phyſicè, & immediatè, hic tamen ſolus pœnas perjurii incurrit.

3. Qui juramento confirmat gravem alterius injuriam v. g. detractionem, peccat graviter contra Religionem etiam; quia eſt gravis irreverentia, uti Dei teſtimonio tanquam inſtrumento ad gravem proximi injuriam.

4. Si Tyrannus injuſto bello intercipiat civitatem, poſſunt cives ipſi quidem jurare fidelitatem ad honeſta & licita; quia Princeps legitimus pro bono ſuorum cenſetur in hoc conſentire: non poſſunt tamen licitè hunc abjurare; quia talis abjuratio caderet in materiam falſam, adeoque eſſet perjurium, & injurioſa Principi legitimo.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

An in Juramento uti liceat fictione, amphibologiâ, & reſtrictione mentali?

Nota. Juramentum fictum dicitur, quod fit ſine animo jurandi, vel ſine intentione ſe obligandi, aut implendi, quod juratò ſe facturum quis dicit. Juramentum fictum dicitur doloſum, ſeu fieri cum dolo, quando ſi ctio opponitur juri alterius, quod exigit obactionem, vel omiſſionem ab eo ponendam, ne fictè juret; ſi autem fictio non opponatur juri ejus, cui fit juramentum, eſt quidem juramentum fictum, ſed non dicitur doloſum. Sic, ſi quis juratò promitteret ſine animo jurandi, & ſe obligandi, puellæ Matrimonium, ut eam induceret ad fornicationem, juramentum fictum eſſet doloſum; quia puella jus haberet, ut ſeriò promitteret, & juraret: ſecùs, ſi quis liberaliter ficto juramento addiceret dotem; quia jus non habet, ut ſeriò promittatur, cùm nullum onus ſubeat, niſi fortè ex fictione ea illi damnum ſequeretur, v. g. quòd aliàs dotanda fuiſſet ab alio. 309. *Juramentum fictum, & doloſum.*

Quæritur hìc itàque, an liceat jurare ſine animo jurandi, vel ſe obligandi, & uti vocibus in alio ſenſu, quàm is, cui juratur, intelligat. Ad quæ 310.

Reſp. 1mò. Nunquam licet, exteriùs jurare ſine animo jurandi, tum quia eſt irreverentia in Deum, abuti ejus nomine, & Majeſtate, ad decipiendum proximum; tum quia eſt mendacium: jurans enim exteriùs exercitè dicit, ſe *Jurans falſum, ſine animo jurandi peccat graviter.*

ſe habere animum jurandi, quem non habet; tum denique quia intrinſecè malum eſt, evertere finem principalem juramenti, qui eſt firmare veritatem, ſinceritatem, & pacta; at finis ille everteretur, ſi liceret exteriùs jurare ſine animo jurandi; homines enim nihili facerent juramentum, ſi ſcirent poſſe jurari ſine animo jurandi. Unde Innocentius XI. damnavit hanc 25. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Dubium autem manet, an ſic fictè jurare ſit ex toto genere mortale; in quo extra controverſiam, eſt peccare mortaliter, qui ſine animo jurandi falſum jurat. Ratio ex Suar. l. 3. de Juram. cap. 17. eſt, quia invocatione externâ adducitur Dei nomen ad falſum teſtificandum: quæ eſt gravis irreverentia, & abuſus Divini nominis: cùm enim homines cor non intueantur, ſed ſigna tantùm externa; hinc audientibus idem eſt, fictum jurare falſum, ac Deum cum animo jurandi in teſtem falſi adducere, adeoque neutrum vacat culpâ mortali. Sicut, qui thus adolet idolo ſine animo honorandi, qui blaſphemat ſine animo blaſphemandi, vel exteriùs tantùm negat articulum fidei, non excuſatur à mortali. Et quamvis in tali Juramento non habeatur perjurium propriè dictum, ſed tantùm apparens; hæc tamen ipſa perjurii fictio eſt gravis Dei injuria, & ſocietati humanæ valde pernicioſa. Aliud eſt de imprecatione, ſine ſeriâ intentione imprecandi: nam hâc Deus non invocatur in teſtem, nec continetur gravis Dei injuria, vel proximi, niſi fortè contumelioſa foret, v. g. conjunctis. Atque idem videtur dicendum de Juramento promiſſorio, facto etiam in materia

teria levi , ſine animo jurandi ; quia, ſicut in blaſphemia , idololatria, infidelitate merè externa non datur parvitas materiæ, ità nec in perjurio, merè externo ; eſt enim grave vilipendium Dei , & directè contra finem Juramenti, qui eſt aſſecurare de veritate , qui finis evertitur , ſi homines intelligerent , poſſe ſine lethali culpa fictè falsò jurari. Undè , quamvis graviùs peccet , qui cum animo jurandi falſum jurat , qui tamen falſum jurat ſine eo , à mortali non excuſatur.

E contra ſi ſine animo jurandi , verum juret , 311.
Non tamen ſic jurans verum.
probabiliùs per ſe loquendo non peccat graviter contra religionem. Ità Suar. Sanch. Leſſ. Palao, & alii communiùs contra Cajet. Ratio eſt , quia Deum invocare exteriùs ſine animo jurandi in teſtem veri non videtur gravis irreverentia , etſi ſit aliqua , & re ipsâ mendacium irreligioſum ; ſicut non eſt gravis irreverentia, jurare verum ſine neceſſitate , ſeu ſine comite judicio ; neque enim in mendacium , quod adeſt, cadit Juramentum , neque illuditur Dei teſtimonio ùt vult Cajet. ſicut non cenſetur illudere Deo , qui fingit exteriùs orationem, aut invocationem Dei, nolens tunc orare . aut qui fingit audire Sacrum, & colere Deum , nolens audire hìc & nunc Sacrum non præceptum. Unde non peccat niſi venialiter , hâc ſimulatione, ùt habet S. Th. 2. 2. q. 3. a. 4. & ità in præſenti.

Dixi : *Per ſe loquendo non peccat graviter* 312.
Niſi aliunde ſit obligatio habendi animũ jurandi.
contra religionem : nam graviter peccaret contra hanc , aliamque virtutem , ſi aliunde eſſet gravis obligatio habendi animum jurandi, utì in contractibus, legitimo judicio , abjuratione hæreſis : tunc enim eſſet fictio doloſa , &

illuderetur Divino teſtimonio, & proximus graviter deciperetur, peccareturque contra Juſtitiam, vel obedientiam, & religionem. Sic peccant graviter Janſeniſtæ, qui propoſitiones damnatas Janſenii abjurant tantùm exteriùs. Vide de hoc conſtitutionem Clementis XI. apud La Croix l. 1. n. 210. Si autem fiat Juramentum fictum ſine dolo, nullique alteri virtuti repugnet; eſt quidem aliqua irreverentia, & deceptio proximi, uti eſt in mendacio, ſed non gravis. Quòd ſi quis ex conſuetudine dicat verba juratoria, nihil affirmando, vel jurando, etiam adeſt mendacium irreligioſum; cùm falsò etiam exprimatur animus jurandi, qui non adeſt: ſi talis ſe exponat ſuâ conſuetudine periculo pejerandi, culpa lethalis non aberit. Dictis non obſtat propoſitionis damnatio; quia hæc non dicit, ſemper eſſe mortale, jurare ſine animo jurandi, ſed eſſe illicitum.

Quòd ſi Sacerdos interrogatus à Tyranno, an Titius ſit confeſſus homicidium, non habens aliam viam reſpondendi, uteretur verbis purè materialiter, non juraret, dicendo: ego dico: *Juro, nihil ſcio*, ſine animo jurandi; quia verba, ut ſint externum Juramentum, debent uſurpari non purè materialiter, ſed ſignificativè, qualiter ſemper accipi debent extra caſum graviſſimæ neceſſitatis.

313. *Grave quoque eſt jurare, ſine animo ſe obligandi.* Reſp. 2. Graviter quoque illicitum videtur jurare formaliter, ſeu cum animo jurandi. Signa Juratoria ponere ſine animo ſe obligandi. *Ratio eſt*; quia videtur gravis irreverentia, uti Dei teſtimonio ad confirmandum aliquid, & eum adducere tanquam promotorem, & ſponſorem obligationis, vel propoſiti,

ſiti, & tamen nolle aſtringi ejus authoritate. An talis etiam ex virtute religionis teneatur implere Jurata, non convenit, inter D.D. Negat Sanch. & alii, eò quòd videatur deficere aliquid ad eſſentiam Juramenti. Affirmat Leſſ. & alii, quia non videtur ſquis poſſe velle jurare, & nolle aſtringi Dei teſtimonio. Quòd graviter peccet Jurans verè ſine animo implendi, dixi jam ſupra, quia Deus vocatur in teſtem voluntatis implendi, quæ ſi deſit, perjurium eſt.

Reſp. 3. Quando adeſt obligatio fatendi veritatem, vel deeſt juſta cauſa eam celandi, non licet in Juramento uti æquivocatione, amphibologiâ, aut reſtrictione etiam non purè mentali. Si deſit obligatio fatendi veritatem, fiatque Juramentum ſine cauſa cum æquivocatione, non erit quidem perjurium, cùm ſaltem ſecundùm unum ſenſum, quem verba cum circumſtantiis habent, verum juret; erit tamen ſine cauſa uti teſtimonio Dei ad decipiendum proximum, ſaltem in materia gravi irreverentia gravis. Ità communiter D. D. quando verò non adeſt obligatio fatendi veritatem, adeſtque juſta cauſa eam celandi, non erit illicitum; quia ubi eſt Jus celandi, & celatur ex juſta cauſa, nulla fit Deo irreverentia. Utì jam inſinuavi ſupra N. 244. Coroll. 7. 314. *Illicitum eſt, uti reſtrictione ſine juſta cauſa in juramẽto.*

Hinc 1mò peccat graviter contra religionem, utens æquivocatione in Juramento quando hoc juſtè exigitur, v. g. à Judice, vel Superiore in re gravi; ſi autem fieret in re levi, per Jocum citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius, juxta Sanch. eſſet tantùm veniale. 2. Peccat graviter juxta Toletum, 315. *Corollaria.*

ità, ut Juramentum cadat immediatè in rem futuram, ùt fieri dicit La Croix N. 332. cum Suar. Sanch. & aliis, ſi quis abſolutè juret ſe aliquid facturum; tamen, ſi non impleat, non facit Deum teſtem mendacii, ſeu falſi formalis, cùm Jurans voluerit ſe obligare, vel promiſſum implere, quod, dum non facit, non ideo Deus vocatus eſt in teſtem falſitatis cognitæ, ſed ignoratæ; ſicut qui vocat Deum in teſtem falſi præteriti, ſuâ opinione veri. Itaque non implens non mentitur, cùm nihil agat contra id, quod gerit in mente; ſed peccat tantùm contra religioſam fidelitatem, contra quam in re levi peccatum eſt tantùm leve. Deus quidem invocatur ſimul, ùt fide-juſſor, ſed obligationis tantùm. La Croix N. 305. in fine. ubi dicit, Deum tantùm vocari in teſtem voluntatis præſentis, quando promiſſorie juratur; at N. 332. dicit Deum fieri teſtem falſi, ſi quis abſolutè juravit ſe facturum, & id non impleat: in quibus, ut non ſibi contradicat, dicendum, quòd Deum faciat teſtem falſi materialis. Dixi in aſſertione: *Ad rem licitam, poſſibilem, acceptatam*: nam ad illicitum, vel impoſſibile nemo obligari poteſt, peccatque ſecundùm dicta, qui ſe vult obligare ad illicitum. Idem dixi de eo, qui juraret ſe facturum, quòd cognoſcit ſibi non eſſe poſſibile, quia animum implendi ſerium habere non poteſt, quem tamen ſe habere juraret. Dein, ſi promiſſio non acceptetur, Juramentum non obligat: quia imbibit conditiones promiſſionis.

318. *Juramentum promiſ-* Porro, dum Juramentum promiſſorium fit Deo, eſt votum juratum, nec acceptatur à Deo, niſi ſit de bono meliori ſecundùm dicenda,

cenda, unde & in melius mutari poteſt: ſi autem fiat homini, vel in gratiam hominis, obligat, etſi ſit de re indifferenti, modò utilis ſit (ad vanum & inutile nulla eſt obligatio) Ratio eſt, quia Deus ſpectat cultum ſuum majorem; homo verò ſuam utilitatem. Unde ſine ejus conſenſu Juramentum in ejus gratiam factum, in aliquid etiam melius mutari non poteſt, v. g. non poteſt Alumnus Juramentum factum Epiſcopo, ſerviendi Diœceſi, mutare in religionem. *ſorium, Deo factum, eſt votum, & mutari in melius poteſt, ſecus eſt, ſi factum ſit homini.*

QUÆSTIO VII.

Quæ conditiones in Juramento promiſſorio contineantur, & tacitè ſubintelligantur, obligationem impedientes?

Reſp. Subintelliguntur conditiones, limitationes, & extenſiones omnes, quas promiſſio vel actus, in quem cadit Juramentum, adjunctas habet, vel imbibit, ex mente contrahentium, vel promittentis, aut ex diſpoſitione Juris, & receptâ conſuetudine. *Ratio eſt*, quia Juramentum non mutat naturam actûs, cui adjicitur, ſed firmat, non intendendo obligationem ejus, ſed addendo novam ex titulo religionis, ipſi titulo fidelitatis vel Juſtitiæ: cùm enim Juramentum ſit promiſſioni aut propoſito acceſſorium, hîc regula Juris 42. in 6. locum habet. *Acceſſorium naturam ſequi congruit Principalis.* Unde eſt & hæc de Juramento regula ex Cap. *Quemadmodum de jure jurando. Omne Juramentum ſequitur natu-* 319. *Includit imbibitas promiſſioni conditiones.*

naturam actûs, ſuper quem cadit; quorum ſenſus non eſt, quòd Juramentum ſemper ſequatur valorem actûs, nec unquam obliget, quando hic invalidus, aut infirmus eſt; ſed quòd conditiones eaſdem, extenſiones & reſtrictiones habeat, quas habet actus, cui additur.

320. *Conditiones imbibitæ promiſſioni.* Conditiones autem, quas promiſſio, per conſequens Juramentum includit, ſunt ſequentes: 1ma. Si potero: nemo enim cenſetur ſe obligare ad impoſſibile. 2da. Niſi diſpenſetur, vel irritetur, aut mutetur in aliud meum promiſſum. 3tia. Niſi fidem fregeris, v. g. grave in me commiſeris ingratitudinis crimen. 4ta. Niſi promiſſum renuas acceptare, aut obligationem remittas: nemo enim cenſetur alteri velle beneficium obtrudere. 5ta. Niſi circumſtantia objecti, vel ſtatûs notabiliter mutetur. 6ta. Niſi contingat caſus à Jure exceptus, &c. Proinde, uti promiſſio eſt virtualiter conditionata, ſic & Juramentum illi additum. Ex dictis reſolves

321. *Corollaria.* 1mò. Qui juravit 100 florenos dare Eccleſiæ, ſi dein non poſſit dare omnes, non tenetur, niſi quot poteſt. 2. Si Superior diſpenſet in voto, tollitur Juramentum, illi additum. 3. Sponſus poſt jurata ſponſalia poteſt reſilire, ſi ſponſa dein fornicetur cum alio, vel fiat notabiliter deformis. Item qui juravit ſe caſtigaturum filium ſuum, poteſt ei parcere, ſi veniam roget, aut ſe emendet. 4. Qui juravit non expellere conductorem domûs, poteſt expellere, ſi conductionis pretium biennio non exſolverit. Similiter Clericus, qui juravit reſidentiam, non tenetur in caſibus à jure exceptis. 5. Si mercatores jurârint

ſtatint acquieſcere pretio à Magiſtratu taxato , non tenentur . ſi pretium reperiatur certò injuſtum ; quia eò ſe non , extendit intentio. 6. Qui juravit ſervare ſtatuta Univerſitatis , Capituli, &c. tantùm tenetur ſervare ea , quæ adhuc ſunt in uſu , & ipſa quidem , ſi magni ſint momenti , ſub gravi ; ſub levi verò , ſi ſint parvi momenti ; quia promiſſio aliter non obligat, 7. Qui ab altero artem doctus curandi certum morbum , juravit , nulli id alteri revelare , tenetur ſolùm , uſque dum bonum commune aliud non exigat. 8. Qui juravit , ſe nunquam juraturum , ſique poſtea juret , ſe daturum eleëmoſynam , tenetur, quia eſt de re licita, &c. 9. Qui juravit ſervare ſecretum, non tenetur , ubi erit cauſa juſta non ſtandi promiſſis.

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo obliget Juramentum injuſtè extortum , fictum , & doloſum ?

Reſp. 1. Juramentum injuſtè extortum, & promiſſorium rei , juranti non illicitæ , regulariter obligat, pro gravitate materiæ. Eſt communis; quia eſt verum , ſimpliciterque voluntarium juramentum, à quo obligatio eſt inſeparabilis : exigit enim reverentia erga Deum, ut, quod interpoſitâ authoritate ejus facturos nos eſſe promiſimus, aut diximus , id ipſum impleamus , dum licitè poſſumus. Nec tale juramentum ab Eccleſia irritatum alicubi legitur. Neque ex eo , quòd Cap. 2. *De pactis in 6.* dicatur juramentum præſtitum , ſine vi & dolo

322. *Juramentum injuſtè extortum, niſi relaxetur, obligat.*

dolo ſervandum eſſe, ſequitur, non eſſe ſervandum, ſi vi vel dolo extortum ſit; nam in primo caſu omninò ſervandum eſt, in ſecundo facilè relaxatur.

323. *Corollaria.* Hinc 1mò. Obligat Juramentum injuſto mutuatori uſuras ſolvendi. 2. Quo quis metu adactus latroni promiſit pecuniam: nam licèt neuter ex illis acquirat Jus firmum, poſſitque jurans petere relaxationem Juramenti ante vel poſt numerationem pecuniæ; attamen, ſi ante eam non petat, tenetur ex virtute religionis ſolvere, quanquam relaxato Juramento, poteſt repetere, & etiam ante hanc ex Juſtitia uſurarius & latro tenetur reddere. Quòd ſi juráſſet, ſe illam in Judicio non repetiturùm, poſſet adhuc accuſare de crimine in vindictam, & punitionem. Si & hoc Juramento ſibi interdixiſſet, adhuc poterit denuntiare in vindictam juſtam, & imperatam ſolutionem acceptare. Si juráſſet etiam non denuntiare, ad hoc omittendum non teneretur: quia hæc pars Juramenti eſt illicita, utpote repugnans bono communi. Ità S. Th. 2. 2. q. 84. a. 7. ad 3. 3. Obligat Juramentum, quo captivus juravit, ſe rediturum ad carcerem, in quo juſtè detinebatur, quia reditus eſt licitus. Idem dicunt Suar. Leſſ. Layman, Gobat, etſi carcer ſit injuſtus, quia Juramentum eſt cauſa graviſſima excuſans, ne dicatur temerè vitam exponere: exponit enim eam in reverentiam Juramenti facti; hinc reditus eſt actus fortitudinis, & magnæ fidelitatis. Dein Juramentum fuit licitum: non enim majori ſe periculo vitæ expoſuit; ergo reditus fuit amore religionis, & fidelitatis honeſtabilis, & ſic ſub obligatione Juramenti pro-

promiſſibilis ; ergo Juramentum implendum eſt ; at ſi ſit periculum mortis, negant teneri Vaſq. aliique multi, eò quòd ſit temerarium exponere vitam morti ſine cauſa, ſtatuſque rerum ſit mutatus : quando enim jurabat, non erat præſens occaſio fugiendi. Hoc admittunt Caſtrop. & Sanch. ſi ante jurans non prævidit periculum mortis, vel alia gravia mala, quæ nunc prævidet : & in hoc caſu Covar. & alii tenent, non poſſe licitè redire. Hoc tamen Juramentum, ſaltem ſi injuſtè fuit poſtulatum, relaxari poteſt ab Epiſcopo. La Croix n. 334. Si autem etiam injuſtè captus ab infidelibus juràſſet ſe rediturum, aut miſſurum pretium redemptionis, non poſſet Juramentum relaxari, quia ejus neglectus cederet in detrimentum fidei, & in deſpectum Religionis Chriſtianæ, & tanquam fœdifragos recipientis.

Reſp. 2. Fictè jurans ſine animo jurandi vel ſe obligandi, obligatur imprimis, ſi proximo, niſi impleatur, inde oriatur damnum. Si autem hoc abſit, probabiliter non obligatur. Ità Sanch. Caſtrop. Dicaſt. & alii, quia probabiliter deficit eſſentia, vel proprietas Metaphyſica Juramenti in utroque caſu. At ſi adfuerit animus jurandi, probabiliùs non fuit in poteſtate jurantis obligationem impedire. Si abfuit animus jurandi, Juramentumque fuit doloſum, probabiliter adeſt obligatio ex virtute religionis etiam illud implendi, quia aliàs patitur honor Dei, quod tenemur impedire ex lege naturali religionis. Iliſung putat tum tore obligationem ex juſtitia tantùm. 324. *Ad quid teneatur fictè jurans.*

QUÆSTIO IX.

Quibus modis tollatur obligatio Juramenti promiſſorii jam contracta ?

325. Reſp. 1mò. Tollitur, ſi materia Juramenti, ante apta, fiat inepta, vel illicita, v. g. ob Superioris prohibitionem, vel omninò inutilis ad intentum finem, vana, vel impoſſibilis, aut noxia ei, cui promiſſa eſt, vel jurata.

Tollitur octo modis.

2. Si fiat aliqua mutatio notabilis ità, ut res jam videatur in alio ſtatu conſtituta, & diverſa ab ea, quæ promiſſa eſt: quia jurantis intentio ad eam non extenditur, cùm mutatio illa conſtituat materiam quaſi aliam, ut ſi juràſti certo die jejunare, & cogeris tales labores ſubire, cum quibus non poſſis jejunare, vel ſi herus pœnam juravit famulo, & is offerat ſe paratum corrigere, & veniam petat: Juramentum comminatorium hanc conditionem imbibit, niſi pœna fiat inutilis, niſi melius ſit non ſervare, quia Juramentum non eſt vinculum inutilium, nec majoris boni impeditivum.

3. Dum id accidit, quod ſi tempore facti Juramenti adfuiſſet, non potuiſſet quis prudenter jurare: nam intentio Juramenti ad id ſe etiam non extendit.

4. Si is, in cujus favorem Juramentum factum eſt, remittat; non enim volebat jurans ſe obligare Deo, ſi homo remitteret, utì, ſi pauperi ob honorem Dei juràſſet matrimonium, eleëmoſynam. Si tamen Juramentum factum ſit in favorem hominis indeterminati, v. g.

v. g. pauperis, non tollitur per remiſſionem determinati, quia ſub tali conditione factum non eſt, aut ſi Deo abſolutè promiſiſſet 100. dare ad pias cauſas, & certum monaſterium ſecundariò determinaſſet : hoc enim remittente non ceſſaret obligatio dandi 100. ad aliam cauſam piam.

5. Si juratò promiſſum Deo Superior juſta de cauſa mutet in aliud.

6. Si is, cui perſona, ſeu voluntas Jurantis, vel materia eſt ſubjecta, Juramentum irritet, uti dicetur de voto : nam Juramentum non obligat in damnum, vel præjudicium tertii ; ſed fit ſub conditione, & ſalvo jure Superioris : alioquin res jurata eſſet illicita. Sic Superior Regularium poteſt Subditorum ſuorum Juramenta etiam ſine cauſa irritare, & Paterfamilias filiorum, maritus uxoris, Dominus ſervi circa ea, quæ eorum poteſtati ſubſunt, & in caſibus, in quibus poſſunt eorum vota irritare.

7. Si alter non ſervet promiſſa, ex Cap. 3. *de Jurejurando.* Ratio eſt ; quia ſub his conditionibus fit promiſſio, & Juramentum, ſive ſit acceſſorium promiſſioni, ſive ſit per ſe ſtans, uti eſt, ſi fiat cum propoſito tantùm præſtandi quid alteri : hoc enim caſu obligatio tantùm oritur ex Juramento.

8. Denique ſi ex legitima cauſa diſpenſatur à Superiore, vel poteſtatem habente, poteſt autem diſpenſare in Juramentis, qui poteſt in votis, Juramentum tamen, ſicut votum factum in favorem hominis, non poteſt relaxari ſine ejus conſenſu, ubi ſemel ab eo acceptatum eſt ; quia alter tunc acquiſivit Jus ad rem juratò promiſſam. Excipe, niſi bonum commune aliud poſtularet, vel materia pro-

illuderetur Divino teſtimonio, & proximus graviter deciperetur, peccareturque contra Juſtitiam, vel obedientiam, & religionem. Sic peccant graviter Janſeniſtæ, qui propoſitiones damnatas Janſenii abjurant tantùm exteriùs. Vide de hoc conſtitutionem Clementis XI. apud La Croix l. 1. n. 210. Si autem fiat Juramentum fictum ſine dolo, nullique alteri virtuti repugnet; eſt quidem aliqua irreverentia, & deceptio proximi, uti eſt in mendacio, ſed non gravis. Quòd ſi quis ex conſuetudine dicat verba juratoria, nihil affirmando, vel jurando, etiam adeſt mendacium irreligioſum; cùm falsò etiam exprimatur animus jurandi, qui non adeſt: ſi talis ſe exponat ſuâ conſuetudine periculo pejerandi, culpa lethalis non aberit. Dictis non obſtat propoſitionis damnatio; quia hæc non dicit, ſemper eſſe mortale, jurare ſine animo jurandi, ſed eſſe illicitum.

Quòd ſi Sacerdos interrogatus à Tyranno, an Titius ſit confeſſus homicidium, non habens aliam viam reſpondendi, uteretur verbis purè materialiter, non juraret, dicendo: ego dico: *Juro*, *nihil ſcio*, ſine animo jurandi; quia verba, ut ſint externum Juramentum, debent uſurpari non purè materialiter, ſed ſignificativè, qualiter ſemper accipi debent extra caſum graviſſimæ neceſſitatis.

313. Grave quoque eſt jurare, ſine animo ſe obligandi.

Reſp. 2. Graviter quoque illicitum videtur jurare formaliter, ſeu cum animo jurandi Signa Juratoria ponere ſine animo ſe obligandi. *Ratio eſt*; quia videtur gravis irreverentia, uti Dei teſtimonio ad confirmandum aliquid, & eum adducere tanquam promotorem, & ſponſorem obligationis, vel propoſiti,

ſiti , & tamen nolle aſtringi ejus authoritate. An talis etiam ex virtute religionis teneatur implere Jurata , non convenit , inter D.D. Negat Sanch. & alii , eò quòd videatur deficere aliquid ad eſſentiam Juramenti. Affirmat Leſſ. & alii , quia non videtur quis poſſe velle jurare, & nolle aſtringi Dei teſtimonio. Quòd graviter peccet Jurans verè ſine animo implendi, dixi jam ſupra , quia Deus vocatur in teſtem voluntatis implendi , quæ ſi deſit , perjurium eſt.

Reſp. 3. Quando adeſt obligatio fatendi 314.
veritatem, vel deeſt juſta cauſa eam celandi , *Illici-*
non licet in Juramento uti æquivocatione, am- *tum eſt ,*
phibologiâ , aut reſtrictione etiam non purè *uti re-*
mentali. Si deſit obligatio fatendi veritatem , *ſtrictio-*
fiatque Juramentum ſine cauſa cum æquivoca- *ne ſine*
tione , non erit quidem perjurium , cùm ſal- *juſta*
tem ſecundùm unum ſenſum , quem verba *cauſa in*
cum circumſtantiis habent , verum juret ; erit *juramē-*
tamen ſine cauſa uti teſtimonio Dei ad deci *to.*
piendum proximum , ſaltem in materia gravi irreverentia gravis. Ità communiter D. D. quando verò non adeſt obligatio fatendi veritatem, adeſtque juſta cauſa eam celandi , non erit illicitum ; quia ubi eſt Jus celandi , & celatur ex juſta cauſa , nulla fit Deo irreverentia. Utì jam inſinuavi ſupra N. 244. Coroll. 7.

Hinc 1mò peccat graviter contra religio- 315.
nem , utens æquivocatione in Juramento , *Corolla-*
quando hoc juſtè exigitur , v. g. à Judice, vel *ria.*
Superiore in re gravi ; ſi autem fieret in re levi , per Jocum citra inobedientiam , ac notabile damnum alterius , juxta Sanch. eſſet tantùm veniale. 2. Peccat graviter juxta Tole-

 tum,

tum, qui non rogatus, ſine juſta cauſa, ſed ſuâ ſponte cum æquivocatione jurat: quia tunc tenetur uti vocibus ſecundùm ſenſum obvium, aliâs eſt abuſus teſtimonii Dei, cùm deſit cauſa. Cùm non juret falsò, videtur à mortali excuſari: niſi cedat in deceptionem proximi in materia gravi. Econtra licet amphibologia in Juramento uti, ſi exigatur injuſtè, v. g. Si Juramentum exigatur à Judice non competente, vel ſine ordine Juris, vel exigatur per vim, injuriam, metum, uti ſi vir exigat Juramentum ab uxore, de adulterio occulto, vel latro exigat à te pecuniam cum Juramento.

QUÆSTIO VI.

Sub quo peccato obliget Juramentum promiſſorium verum & ſpontaneum?

316. *In materia gravi ſub gravi, in levi ſub levi culpa obligat.* Reſp. Obligat ad rem gravem licitam, poſſibilem, acceptatam, ſub Juramento promiſſam, vel aſſertam, ſub mortali contra religionem, probabiliùs autem ſub veniali tantùm ad rem levem. 1mam partem tenent omnes. 2da eſt contra Valent. Bon. ac Leſſ. & alios Ratio noſtra eſt, quia in Juramento promiſſorio ſive ſtrictè, ſive latè ſumpto, Deus invocatur, ut vel obligationem ad ponendam, vel omittendam actionem aliquam ratificet, & ad eam ſuâ authoritate obliget, Si Juramentum ſit de materia licita; vel ut oſtendatur voluntas firma, reddaturque magìs credibilis interpoſitâ authoritate Dei, ſi voluntas feratur in materiam non inhoneſtam; Deus autem obli-

obligat pro quantitate materiæ, ergo ſi hæc gravis eſt, ſub mortali, ſi levis, ſub veniali ſolùm obligat. Confirmatur: Votum in materia levi ſub veniali tantùm obligat, ergo à pari. Conſequentia probatur: quia voti obligatio gravior eſt, quàm obligatio Juramenti ùt talis: nam votum obligat ex fidelitate, & religione: qui enim votum non implet, infidelis, & irreligioſus, ſeu irreverens erga Deum eſt, Juramentum præcisè ùt tale, obligat tantùm ex religione. Unde hujus violatio præcisè tantùm facit irreverentem, ſeu irreligioſum, ſeu ùt alii loquuntur, perjurum perjurio latè dicto.

Nec dicas cum Adverſariis: qui non implet Juramentum, cùm id licitè poſſit; facit Deum teſtem falſi, voluit enim, ut Deus teſtaretur aliquid futurum, quod tamen ipſe impedit, ergo Juramentum etiam in materia levi obligat ſub mortali. Nam imprimis hoc argumentum nimium probat: Sequitur enim, quòd, qui jurat ſe in gratiam alterius mentiturum, vel teneatur mentiri, ne Deum faciat teſtem falſi; vel ſic jurando peccet mortaliter, quia ſcit ſe jurare rem, quam licitè facere non poſſit, adeoque nec poſſit evitare, quin Deus fiat teſtis falſi. Sed utrumque negant Adverſarii. Dein N. antecedens, quia, ùt dixi, Deus non vocatur in teſtem objecti ponendi, ſed jurans authoritate ejus tantùm ſe obligat ad objectum ponendum. Sicut, qui in conſpectu Principis alteri aliquid promitteret; ob Principis reverentiam dein aſtringeretur ad fidem ſervandam, tantòque magis, quantò res promiſſa eſſet majoris momenti. Denique dato, quòd Deus vocetur aliquando in teſtem rei futuræ; ità,

317. *Non implens promiſſum, Deum non facit mendacem.*

ità, ut Juramentum cadat immediatè in rem futuram, ùt fieri dicit La Croix N. 332. cum Suar. Sanch. & aliis, ſi quis abſolutè juret ſe aliquid facturum; tamen, ſi non impleat, non facit Deum teſtem mendacii, ſeu falſi formalis, cùm Jurans voluerit ſe obligare, vel promiſſum implere, quod, dum non facit, non ideo Deus vocatus eſt in teſtem falſitatis cognitæ, ſed ignoratæ; ſicut qui vocat Deum in teſtem falſi præteriti, ſuâ opinione veri. Itaque non implens non mentitur, cùm nihil agat contra id, quod gerit in mente; ſed peccat tantùm contra religioſam fidelitatem, contra quam in re levi peccatum eſt tantùm leve. Deus quidem invocatur ſimul, ùt fide-juſſor, ſed obligationis tantùm. La Croix N. 305. in fine. ubi dicit, Deum tantùm vocari in teſtem voluntatis præſentis, quando promiſſorie juratur: at N. 332. dicit Deum fieri teſtem falſi, ſi quis abſolutè juravit ſe facturum, & id non impleat: in quibus, ut non ſibi contradicat, dicendum, quòd Deum faciat teſtem falſi materialis. Dixi in aſſertione: *Ad rem licitam, poſſibilem, acceptatam*: nam ad illicitum, vel impoſſibile nemo obligari poteſt, peccatque ſecundùm dicta, qui ſe vult obligare ad illicitum. Idem dixi de eo, qui juraret ſe facturum, quòd cognoſcit ſibi non eſſe poſſibile, quia animum implendi ſerium habere non poteſt, quem tamen ſe habere juraret. Dein, ſi promiſſio non acceptetur, Juramentum non obligat: quia imbibit conditiones promiſſionis.

318. *Juramentum promiſ-* Porro, dum Juramentum promiſſorium fit Deo, eſt votum juratum, nec acceptatur à Deo, niſi ſit de bono meliori ſecundùm dicenda,

tenda, unde & in melius mutari poteſt : ſi autem fiat homini, vel in gratiam hominis, obligat, etſi ſit de re indifferenti, modò utilis ſit (ad vanum & inutile nulla eſt obligatio) Ratio eſt, quia Deus ſpectat cultum ſuum majorem ; homo verò ſuam utilitatem. Unde ſine ejus conſenſu Juramentum in ejus gratiam factum, in aliquid etiam melius mutari non poteſt, v. g. non poteſt Alumnus Juramentum factum Epiſcopo, ſerviendi Diœceſi, mutare in religionem. *ſorium, Deo factum, eſt votum, & mutari in melius poteſt, ſecus eſt, ſi factum ſit homini.*

QUÆSTIO VII.

Quæ conditiones in Juramento promiſſorio contineantur, & tacitè ſubintelligantur, obligationem impedientes?

Reſp. Subintelliguntur conditiones, limitationes, & extenſiones omnes, quas promiſſio vel actus, in quem cadit Juramentum, adjunctas habet, vel imbibit, ex mente contrahentium, vel promittentis, aut ex diſpoſitione Juris, & receptâ conſuetudine. *Ratio eſt*, quia Juramentum non mutat naturam actûs, cui adjicitur, ſed firmat, non intendendo obligationem ejus, ſed addendo novam ex titulo religionis, ipſi titulo fidelitatis vel Juſtitiæ : cùm enim Juramentum ſit promiſſioni aut propoſito acceſſorium, hîc regula Juris 42. in 6. locum habet. *Acceſſorium naturam ſequi congruit Principalis.* Unde eſt & hæc de Juramento regula ex Cap. *Quemadmodum de jure jurando. Omne Juramentum ſequitur natu-* 319. *Includit imbibitas promiſſioni conditiones.*

naturam actûs, ſuper quem cadit; quorum ſenſus non eſt, quòd Juramentum ſemper ſequatur valorem actûs, nec unquam obliget, quando hic invalidus, aut infirmus eſt; ſed quòd conditiones eaſdem, extenſiones & reſtrictiones habeat, quas habet actus, cui additur.

320. *Conditiones imbibitæ promiſſioni.* Conditiones autem, quas promiſſio, per conſequens Juramentum includit, ſunt ſequentes: 1ma. Si potero: nemo enim cenſetur ſe obligare ad impoſſibile. 2da. Niſi diſpenſetur, vel irritetur, aut mutetur in aliud meum promiſſum. 3tia. Niſi fidem fregeris, v. g. grave in me commiſeris ingratitudinis crimen. 4ta. Niſi promiſſum renuas acceptare, aut obligationem remittas: nemo enim cenſetur alteri velle beneficium obtrudere. 5ta. Niſi circumſtantia objecti, vel ſtatûs notabiliter mutetur. 6ta. Niſi contingat caſus à Jure exceptus, &c. Proinde, utì promiſſio eſt virtualiter conditionata, ſic & Juramentum illi additum. Ex dictis reſolves

321. *Corollaria.* 1mò. Qui juravit 100 florenos dare Eccleſiæ, ſi dein non poſſit dare omnes, non tenetur, niſi quot poteſt. 2. Si Superior diſpenſet in voto, tollitur Juramentum, illi additum. 3. Sponſus poſt jurata ſponſalia poteſt reſilire, ſi ſponſa dein fornicetur cum alio, vel fiat notabiliter deformis. Item qui juravit ſe caſtigaturum filium ſuum, poteſt ei parcere, ſi veniam roget, aut ſe emendet. 4. Qui juravit non expellere conductorem domûs, poteſt expellere, ſi conductionis pretium biennio non exſolverit. Similiter Clericus, qui juravit reſidentiam, non tenetur in caſibus à jure exceptis. 5. Si mercatores jurârint

rarint acquieſcere pretio à Magiſtratu taxato, non tenentur. ſi pretium reperiatur certò injuſtum: quia eò ſe non, extendit intentio. 6. Qui juravit ſervare ſtatuta Univerſitatis, Capituli, &c. tantùm tenetur ſervare ea, quæ adhuc ſunt in uſu, & ipſa quidem, ſi magni ſint momenti, ſub gravi; ſub levi verò, ſi ſint parvi momenti; quia promiſſio aliter non obligat, 7. Qui ab altero artem doctus curandi certum morbum, juravit, nulli id alteri revelare, tenetur ſolùm, uſque dum bonum commune aliud non exigat. 8. Qui juravit, ſe nunquam juraturum, ſique poſtea juret, ſe daturum eleëmoſynam, tenetur, quia eſt de re licita, &c. 9. Qui juravit ſervare ſecretum, non tenetur, ubi erit cauſa juſta non ſtandi promiſſis.

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo obliget Juramentum injuſtè extortum, fictum, & doloſum?

Reſp. 1. Juramentum injuſtè extortum, & promiſſorium rei, juranti non illicitæ, regulariter obligat, pro gravitate materiæ. Eſt communis; quia eſt verum, ſimpliciterque voluntarium juramentum, à quo obligatio eſt inſeparabilis: exigit enim reverentia erga Deum, ut, quod interpoſitâ authoritate ejus facturos nos eſſe promiſimus, aut diximus, id ipſum impleamus, dum licitè poſſumus. Nec tale juramentum ab Eccleſia irritatum alicubi legitur. Neque ex eo, quòd Cap. 2. *De pactis in 6.* dicatur juramentum præſtitum, ſine vi & dolo 322. *Juramentum injuſtè extorſum, niſi relaxetur, obligat.*

dolo ſervandum eſſe, ſequitur, non eſſe ſervandum, ſi vi vel dolo extortum ſit; nam in primo caſu omninò ſervandum eſt, in ſecundo facilè relaxatur.

323. *Corollaria.* Hinc 1mò. Obligat Juramentum injuſto mutuatori uſuras ſolvendi. 2. Quo quis metu adactus latroni promiſit pecuniam: nam licèt neuter ex illis acquirat Jus firmum, poſſitque jurans petere relaxationem Juramenti ante vel poſt numerationem pecuniæ; attamen, ſi ante eam non petat, tenetur ex virtute religionis ſolvere, quanquam relaxato Juramento, poteſt repetere, & etiam ante hanc ex Juſtitia uſurarius & latro tenetur reddere. Quòd ſi jurâſſet, ſe illam in Judicio non repetiturùm, poſſet adhuc accuſare de crimine in vindictam, & punitionem. Si & hoc Juramento ſibi interdixiſſet, adhuc poterit denuntiate in vindictam juſtam, & imperatam ſolutionem acceptare. Si jurâſſet etiam non denuntiare, ad hoc omittendum non teneretur: quia hæc pars Juramenti eſt illicita, utpote repugnans bono communi. Ità S. Th. 2. 2. q. 84. a. 7. ad 3. 3. Obligat Juramentum, quo captivus juravit, ſe rediturum ad carcerem, in quo juſtè detinebatur, quia reditus eſt licitus. Idem dicunt Suar, Leſſ. Layman, Gobat, etſi carcer ſit injuſtus, quia Juramentum eſt cauſa graviſſima excuſans, ne dicatur temerè vitam exponere: exponit enim eam in reverentiam Juramenti facti; hinc reditus eſt actus fortitudinis, & magnæ fidelitatis. Dein Juramentum fuit licitum: non enim majori ſe periculo vitæ expoſuit; ergo reditus fuit amore religionis, & fidelitatis honeſtabilis, & ſic ſub obligatione Juramenti pro-

promiſſibilis ; ergo Juramentum implendum eſt ; at ſi ſit periculum mortis, negant teneri Vaſq. aliique multi, eò quòd ſit temerarium exponere vitam morti ſine cauſa, ſtatuſque rerum ſit mutatus : quando enim jurabat, non erat præſens occaſio fugiendi. Hoc admittunt Caſtrop. & Sanch. ſi ante jurans non prævidit periculum mortis, vel alia gravia mala, quæ nunc prævidet : & in hoc caſu Covar. & alii tenent, non poſſe licitè redire. Hoc tamen Juramentum, ſaltem ſi injuſtè fuit poſtulatum, relaxari poteſt ab Epiſcopo. La Croix n. 334. Si autem etiam injuſtè captus ab infidelibus juràſſet ſe rediturum, aut miſſurum pretium redemptionis, non poſſet Juramentum relaxari, quia ejus neglectus cederet in detrimentum fidei, & in deſpectum Religionis Chriſtianæ, & tanquam fœdifragos recipientis.

Reſp. 2. Fictè jurans ſine animo jurandi vel ſe obligandi, obligatur imprimis, ſi proximo, niſi impleatur, inde oriatur damnum. Si autem hoc abſit, probabiliter non obligatur. Ità Sanch. Caſtrop. Dicaſt. & alii, quia probabiliter deficit eſſentia, vel proprietas Metaphyſica Juramenti in utroque caſu. At ſi adfuerit animus jurandi, probabiliùs non fuit in poteſtate jurantis obligationem impedire. Si abfuit animus jurandi, Juramentumque fuit doloſum, probabiliter adeſt obligatio ex virtute religionis etiam illud implendi, quia aliàs patitur honor Dei, quod tenemur impedire ex lege naturali religionis. Iliſung putat tum fore obligationem ex juſtitia tantùm. 324. *Ad quid teneatur fictè jurans.*

QUÆSTIO IX.

Quibus modis tollatur obligatio Juramenti promiſſorii jam contracta ?

325. *Tollitur octo modis.* Reſp. 1mò. Tollitur, ſi materia Juramenti, ante apta, fiat inepta, vel illicita, v. g. ob Superioris prohibitionem, vel omninò inutilis ad intentum finem, vana, vel impoſſibilis, aut noxia ei, cui promiſſa eſt, vel jurata.

2. Si fiat aliqua mutatio notabilis ità, ut res jam videatur in alio ſtatu conſtituta, & diverſa ab ea, quæ promiſſa eſt : quia jurantis intentio ad eam non extenditur, cùm mutatio illa conſtituat materiam quaſi aliam, ut ſi jurâſti certo die jejunare, & cogeris tales labores ſubire, cum quibus non poſſis jejunare, vel ſi herus pœnam juravit famulo, & is offerat ſe paratum corrigere, & veniam petat : nam Juramentum comminatorium hanc conditionem imbibit, niſi pœna fiat inutilis, niſi melius ſit non ſervare, quia Juramentum non eſt vinculum inutilium, nec majoris boni impeditivum.

3. Dum id accidit, quod ſi tempore facti Juramenti adfuiſſet, non potuiſſet quis prudenter jurare : nam intentio Juramenti ad id ſe etiam non extendit.

4. Si is, in cujus favorem Juramentum factum eſt, remittat; non enim volebat jurans ſe obligare Deo, ſi homo remitteret, uti, ſi pauperi ob honorem Dei jurâſſet matrimonium, vel eleëmoſynam. Si tamen Juramentum factum ſit in favorem hominis indeterminati, v. g.

v. g. pauperis, non tollitur per remiſſionem determinati, quia ſub tali conditione factum non eſt, aut ſi Deo abſolutè promiſiſſet 100. dare ad pias cauſas, & certum monaſterium ſecundariò determinaſſet: hoc enim remittente non ceſſaret obligatio dandi 100. ad aliam cauſam piam.

5. Si juratò promiſſum Deo Superior juſta de cauſa mutet in aliud.

6. Si is, cui perſona, ſeu voluntas Jurantis, vel materia eſt ſubjecta, Juramentum irritet, utì dicetur de voto: nam Juramentum non obligat in damnum, vel præjudicium tertii; ſed fit ſub conditione, & ſalvo jure Superioris: alioquin res jurata eſſet illicita. Sic Superior Regularium poteſt Subditorum ſuorum Juramenta etiam ſine cauſa irritare, & Paterfamilias filiorum, maritus uxoris, Dominus ſervi circa ea, quæ eorum poteſtati ſubſunt, & in caſibus, in quibus poſſunt eorum vota irritare.

7. Si alter non ſervet promiſſa, ex Cap. 3. *de Jurejurando.* Ratio eſt; quia ſub his conditionibus fit promiſſio, & Juramentum, ſive ſit acceſſorium promiſſioni, ſive ſit per ſe ſtans, utì eſt, ſi fiat cum propoſito tantùm præſtandi quid alteri: hoc enim caſu obligatio tantùm oritur ex Juramento.

8. Denique ſi ex legitima cauſa diſpenſatur à Superiore, vel poteſtatem habente, poteſt autem diſpenſare in Juramentis, qui poteſt in votis, Juramentum tamen, ſicut votum factum in favorem hominis, non poteſt relaxari ſine ejus conſenſu, ubi ſemel ab eo acceptatum eſt; quia alter tunc acquiſivit Jus ad rem juratò promiſſam. Excipe, niſi bonum commune aliud poſtularet, vel materia pro-

miſſa ſubeſſet alterius Juriſdictioni, & promiſſarius in pœnam delicti mereretur privari, aut juranti facta eſſet injuria, v. g. Juramentum eſſet vi, vel metu extortum, aut jurans feciſſet impubes. La Croix l. 3. p. 1. n. 358.

Juramentum promiſſorium, factum Deo, nullo caſu petendi relaxationem, ex communi ſententia apud La Croix n. 359. non obligat; quia ex juſta cauſa petere ſæpe melius eſt, quàm non petere: Juramentum autem non eſt impeditivum majoris boni, imò cùm ſit tale Juramentum Deo factum reipsâ votum, debet eſſe de meliori bono.

Putat Tamb. quòd emittens Juramentum principaliter in ſuam utilitatem poſſit id ſibi ipſe remittere, ſed contra eſt: vel Juramentum eſt de re inhoneſta, vel de indifferenti, uti ſi mercator juret non vendere leviori pretio, & jam nullam inducit obligationem; vel eſt de re honeſta, v. g. jurâſti dare pauperi eleëmoſynam pro certa gratia à Deo tibi impetranda, & jam remittere tibi obligationem non potes: nam non jurâſti ſub hac conditione. niſi mihi remiſero, aliàs eſſes nugatus. Voluiſſes enim te aſtringere Juramento, & non voluiſſes. Si tamen finis Juramenti ceſſaret. aut oppoſitum fieret melius, ceſſaret obligatio.

QUÆSTIO X.
An obligatio Juramenti promiſſorii tranſeat ad hæredes?

326. *Obligatio religionis.* Reſp. Licèt obligatio religionis ex Juramento promiſſorio orta afficiat ſolùm jurantem, ſicque ſit perſonalis, cùmque eo extinguatur; obli-

obligatio tamen Juſtitiæ ex jurantis promiſſione, vel ex ſpeciali ſtatuto orta, ad juratò promittentis tranſit hæredes, Juſque tribuit defuncti promiſſarii hæredibus; ſi autem Juramentum ſit per ſe ſtans, ſeu additum propoſito, vel actui infirmo: non obligat hæredes jurantis, nec Jus tribuit hæredibus ejus, cui juratur. *non tranſit; juſtitiæ obligatio tranſit.*

Unde ſi Titius Cajo promiſit per Juramentum 100. aureos, acceptatâ promiſſione, & defuncto Titio, tenentur hæredes Titii, ſi hic non ſatisfecit; quia Cajus acquiſivit Jus, ejusque defuncti perſonam repræſentant ipſius hæredes. Item, ſi jurâſti Deo, te daturum pauperibus eleëmoſynam, tui poſt te hæredes ex Juſtitia tenebuntur eam dare, non quòd pauperes Jus habent, ſed quia vel Deus pro iis acceptavit, ùt vult Sanch. vel quia Jus ità diſponit, ut hæreditas non adeatur, niſi ſub onere, exequendi Juramenta, & vota realia defuncti, quæ non fuêre per înjuriam extorta. Econtra, ſi quis latroni juravit dare pecuniam, hæredes ad nihil tenentur; quia latro injuſtè cogens nullum jus acquiſivit, obligatio autem religionis ad hæredes non tranſit. *Corollaria.*

CAPUT IV.

De cultu Religionis, qui Deo exhibetur per Vota à Religioſis diſtincta, eorumque obſervatione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit votum.

327. *Definitio & diviſio voti.* RESP. Votum eſt promiſſio deliberatè facta Deo de bono meliori poſſibili. Dividitur in perſonale, reale, mixtum, ſolemne, & ſimplex, abſolutum, & conditionatum. Perſonale eſt, quo Vovens Deo promittit actionem aliquam, vel omiſſionem, à ſe ponendam, ùt Votum peregrinationis, Votum caſtitatis. Reale eſt, quo quis promittit rem aliquam ab actione ſua diſtinctam, v. g. pecuniam, calicem, aliamve rem pretio æſtimabilem. Mixtum, quo promittit & actionem aliquam ſuam, & rem: ùt Votum eundi, v. g. ad limina Apoſtolorum, & offerendi ibi munus. Solemne eſt, quod ab Eccleſia approbatum, abſolutè; & in perpetuum acceptatur: talia ſunt Profeſſio religioſa, & Votum caſtitatis majoribus ordinibus annexum. Simplex autem, quod emittitur abſque acceptatione Eccleſiæ ſaltem in perpetuum. Abſolutum eſt, quod ſine conditione. Conditionatum, quod ſub conditione emittitur. Utì: Voveo inire religionem, ſi convaluero, ſi pater

ter meus conſentiat. Hoc eſt pœnale, ſi ſub pœna emittatur, v. g. dabo eleëmoſynam, ſi mentiar. Definitio Voti magis patebit ex ſequentibus.

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur ùt Votum Jure naturali, & Eccleſiaſtico ſit validum?

Reſp. Ex communi requiruntur ſequentia. 1mò. Intentio ſe obligandi: promiſſio enim obligationem importat; hæc autem non ſuſcipitur ſpontè, niſi à volente, & per hoc Votum differt à propoſito, quod eſt ſimplex volitio faciendi, vel omittendi aliquid ſine obligatione ad illud. Non requiritur tamen intentio formalis explicita, ſed ſufficit virtualis, & implicita ſe obligandi. Hinc ſi quis ſciens, Votum obligare, deliberatè voveat; tenetur Voto, etſi de obligatione actu non cogitet ſignatè. Item, ſi neſciat induci obligationem per Votum, ſciat tamen, quid ſit vovere, & velit facere Votum, prout in ſe eſt, aut ſolet fieri, vel facere, quod alii faciunt, dum vovent; quia hoc ipſo habet intentionem ſe obligandi, quòd habeat intentionem vovendi. Similiter, qui ſuſcipit Subdiaconatum, intentionem habet vòvendi caſtitatem: qui enim ſpontè ſtatum aliquem ſuſcipit, cenſetur ſuſcipere velle omnes obligationes illi annexas. Nec opus eſt verbis: Voveo, promitto, me obligo, ſed ſatis eſt, quod velit ſe obligare, ut ſi cum intentione ſe obligandi dicat: Domine redde mihi ſanitatem, & caſtè vivam.

328. Requiritur 1. intentio ſe obligandi.

Si autem deſit intentio ſe obligandi, Votum non erit, etſi dicatur: Promitto: hæc enim vox ſine ea ſignificat tantùm propoſitum. Sic pœnitentes ſæpe promittunt fugam peccati, & tamen non vovent.

329. 2. *Plena delibe- ratio.* 2. Advertentia & deliberatio plena, ſeu libertas perfecta, quâ quis liberè, & directè voluerit promittere. *Ratio eſt*, quia Votum eſt actus ſimpliciter humanus, quo quis ſponte libertatem ſuam reſtringit, ſibique obligationem imponit, nemo autem cenſetur velle ſibi imponere obligationem ex genere ſuo gravem, niſi cum deliberatione plena, aliàs fieri poſſet, ut teneretur ad aliquid ſub mortali, etſi ſine plena advertentia id ſibi impoſuiſſet, id quod nemo cenſetur velle. Hinc ſi quis ex ſubito motu, vel linguâ mentem prævertente dicat: *Voveo*, non obligatur, Votique capaces ſunt ſoli uſu rationis præditi. Proinde Vota in ebrietate emiſſa non ligant, niſi fortè quis ſciens ſe ſolere in ebrietate vovere, ſeque inebriaret ante: volens obligari, ſi quid inebrietate voveret. Econtra, qui adhuc compos mentis profeſſionem emittit, etſi ſit perturbatus, ut videatur nullam habuiſſe advertentiam: adhuc validè agit, quia adhuc adeſt deliberatio virtualis, profeſſioque procedit ex deliberatione antecedente: ſi tamen fuiſſet impos mentis, profeſſio eſſet invalida. Niſi fortè voluiſſet ante eſſe obligatus, ubi protuliſſet verba, quomodocunque eſſet perturbatus. La Croix N. 368. ex Suar.

330. 3. *Ut non ſit error circa ſubſtantialia.* 3. Requiritur, ut abſit error circa ſubſtantiam materiæ promiſſæ, quia talis error impedit, ne objectum ſit cognitum, adeoque ne ſit volitum, uti ſi quis voveret dare certum ſuum

ſuum calicem Eccleſiæ, quem putavit eſſe argenteum, cùm ſit aureus, vel ſe ingreſſurum certum Monaſterium, quod putavit eſſe S. Benedicti, cùm ſit Carthuſianorum. 2. Error circa conditionem ſubſtantialem, id eſt, quæ mutat notabiliter materiam promiſſam, uti, ſi quis voviſſet iter ad limina Apoſtolorum, putans tantùm diſtare 50. milliaribus, cùm diſtent 100. 3. Error circa cauſam finalem, quæ triplex eſt:

1ma eſt cultus divinus, omnibus Votis communis. *2da.* Specialis honeſtas promiſſæ actionis vel omiſſionis. *3tia.* Finis extrinſecus, qui per Votum intenditur à vovente. *Cauſa finalis voti triplex.* Unde, qui putavit actionem aliquam, quæ inhoneſta eſt, eſſe honeſtam, & eam vovit, Votum nullum eſt, uti & ſi vovit dare Petro eleëmoſynam, quia putavit, Petrum eſſe pauperem, & revera pauper non eſt. Item, ſi vovit jejunium, ut ſuus pater, quem putabat ægrotare, liberaretur à morbo, ſi intelligat, nec ægrotare, nec ægrotâſſe: in primo enim caſu deficit finis communis; in 2do ſpecialis intrinſecus; in 3tio extrinſecus. Quòd ſi error, vel ignorantia non ſit, niſi circa cauſam impulſivam; vel circumſtantiam notabiliter non mutantem materiam promiſſam, Votum non erit ideo invalidum, v, g. Voto te obligâſti, devotionis causâ, ire Romam, & ſecundariò ſimul, ut viſeres fratrem; quem putabas eſſe Romæ, ſi Roma à tuo domicilio paulò longiùs diſtet, quàm putâſti, aut intelligas, fratrem tuum non eſſe amplius Romæ, adhuc Voto tenereris; quia parum pro nihilo reputatur, & ceſſante causâ impulſivâ, quæ tantùm facit, ut libentiùs quid fiat, adhuc actio quo-

ad ſubſtantiam eſt voluntaria. Et hinc, ſi voviſti caſtitatem, quam putabas ſervatu facilem; ſi pauperi dare eleëmoſynam, quem putabas eſſe pium, adhuc valent Vota: nam ad ſubſtantiam non pertinet, quo nec res promiſſa mutatur, nec finis intentus tollitur, & conſenſus adhuc cenſetur abſolutus circa ſubſtantiam.

Vota, quæ Religioſum conſtituunt, non ſunt irrita, ob errorem circa finem extrinſecum, qui enim ſtatum aſſumit, cenſetur illum velle abſolutè aſſumere, etiamſi intercedat error circa non ſubſtantialia. Caſus alios particulares vide apud La Croix à n. 374.

331. *4. Ut promiſſio ſit ſpontanea.* 4. Requiritur, ut promiſſio ſit ſpontanea, ſeu libera à metu gravi, injuſtè incuſſo ad eam extorquendam, vel quia Deus eam promiſſionem non acceptat, ne det occaſionem & vim injuſtæ coactioni, cùm nemo probus talem ſibi factam acceptaret, vel quia Jus Canonicum talem promiſſionem irritat. Cap. 1. *De iis, quæ vi* &c. Nam licèt ibi agatur ſolùm de ſuſceptione & Profeſſione Religionis, tamen uſu & conſuetudine receptâ id extenditur ad Vota quævis ex gravi metu injuſtè incuſſo emiſſa. Hoc tamen negat Suar. & alii negant, à Deo non acceptari tale Votum: eſt enim ſimpliciter voluntarium, & Deus acceptat Juramentum metu gravi extortum; ſed in hoc eſt diſparitas: Deus enim acceptat Juramentum promiſſorium, homini factum, ne patiatur nomen ejus; votum ſit Deo; quod ſi remittat, non patiatur nomen ejus Dixi: *Metu gravi injuſtè incuſſo*; nam valori Voti etiam ſolennis non obſtat metus ab extrinſeca cauſa naturali proveniens, v. g. periculo naufragii,

fragii, inferni, vel juſtè incuſſo: quia nulla tunc intervenit injuria; ſicque ceſſat cauſa irritandi, & Votum ſponte eligitur, ad evadendum malum imminens. Quòd ſi quis ex ſolo levi metu injuſtè incuſſo ad extorquendum Votum voveret: an Votum valeat, dubium eſt. Aliqui affirmant, eò quòd metus levis pro nullo reputetur. Negant cum Suar. alii, ſi votum ex tali metu procedat.

333. *5. Facta Deo.* 5. Requiritur, ut promiſſio fiat Deo, quia Votum eſt actus Latriæ, ſoli Deo debitus, quo teſtificamur, eum omnis boni Authorem, infinitæque Excellentiæ Dominum. Quare promiſſio facta Sanctis præcisè ob eorum Excellentiam, vel beneficentiam honeſta quidem eſt, & obligatoria; ſed Votum non eſt, niſi ſaltem tacitè promiſſio ſimul fiat Deo: aliàs enim tantùm erit actus Duliæ.

332. *6. De bono.* 6. Requiritur, ut ſit promiſſio de bono, ſeu actione, vel omiſſione, quæ ſunt materia proxima Voti, moraliter bona; quia non colitur Deus, niſi tali actione, vel omiſſione.

Corollaria. Hinc non valet Votum 1mò de re illicita; ſed eam, etſi venialiter tantùm malam, vovens peccat mortaliter: nam vel rem illam Deo promittit, & offert ùt gratam, & eſt blaſphemia; vel ùt ingratam, & eſt illudere Deo, vel ei quaſi minari, proceditque oblatio ex averſione Dei. 2. Votum de re bona, relata in malum finem, vel ad obtinendam rem malam, vel ad gratias agendas pro re mala v. g. injuſta victoria obtenta: nam Deus non acceptat promiſſionem, ut ſit author vel promotor peccati, nec in gratiarum actionem pro eo, quaſi fuerit author peccati. Unde vovens eleëmoſynam pro felici ſucceſſu in furto, bello in-

injuſto, ad obtinendam vanam gloriam &c. blaſphemus eſt. Aliud eſt, ſi actioni bonæ adjungatur finis malus, vel circumſtantia mala ſe tantùm tenens ex parte voventis, v. g. ſi quis ex vana gloria, vel ex ira, erga importunum mendicum voveat eleëmoſynam ei dare: tunc enim res illa in ſe bona non vovetur, ut executioni danda, ex malo fine, vel paſſione inordinatâ, ſed ſecundùm ſe. Similiter valet Votum dandi eleëmoſynam, ſi ex duello redeas incolumis, ſi in furto non deprehendaris; licèt enim hæc mala ſint, tamen in his non lædi, non infamari bona ſunt, & dona Dei, adeoque & à Deo peti poſſunt. Suar. Caſtrop. cenſent probabiliter etiam Votum valere factum in gratiarum actionem, pro re mala, non quatenus mala, ſed quatenus à Deo procedit. Vide La Croix num. 369. 3. Invalidum eſt Votum de re vana, inutili, vel indifferente, niſi ex circumſtantiis, vel relatione in finem bonum fiat honeſta. *Ratio eſt*; quia, cùm res vana, & indifferens de ſe nihil conferat ad cultum Dei, tale votum non poteſt eſſe actus Religionis, ſed eſt cultus vanus & ſuperfluus, adeoque peccatum, ſaltem veniale. Ut autem actio indifferens fiat materia voti honeſta, non eſt ſatis, eam per te referri ad finem honeſtum, ſed debet vel de ſe, vel ex circumſtantiis conferre ad illum finem, cùm relatio extrinſeca rem non mutet. Hinc ſuperſtitioſum, & nullum eſt votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptiſtæ decapitati, aut carnem aſſam in honorem S. Laurentii, quia illa abſtinentia ad horum honorem nihil confert. Aliud eſſet, ſi quis valde propenderet ad iſta, & ex mortificationis affectu voveret

ret ab illis abſtinere. Porrò impletio Voti mali, cùm ſit ejus approbatio, peccatum eſt, quale eſt Votum tale.

7. Requiritur, ut ſit promiſſio boni melioris, quàm ejus contradictorium: quia per Votum promittitur Deo ſpecialis cultus, talis autem non eſt, ſi actio vel omiſſio promiſſa non ſit melior, quàm ejus contradictorium, vel in ſe, vel ſpectatis ſimul circumſtantiis, id eſt, ſi non plùs ad Dei gloriam, & voventis ſalutem ſit apta conducere actio, quàm omiſſio, actio hæc, quàm illa excluſa per Votum. 334. 7. *Ut promiſſio ſit de bono meliori.*

Corollaria.

Hinc, per ſe loquendo, non valet Votum abſolutum ineundi Matrimonium, vel ducendi pauperem, quia cœlibatus eſt ſtatus melior, niſi bonum commune aliud exigeret, vel quis ex Juſtitia teneretur certam ducere. Dixi: *Votum abſolutum:* nam ſi quis conditionatè voveret, v.g. ſi ſim ducturus uxorem, voveo ducere pauperem, ut ei ſuccurram, Votum valeret, quia ex ſuppoſito per ſe melius eſt, ſic ducere pauperem. Econtra valet Votum ſerviendi hoſpitali, etſi melius ſit ingredi Religionem, quia melius eſt illi ſervire, quàm non ſervire. Item Votum ingrediendi Religionem in certo loco, in quo lautè vivitur; quia lautus victus cenſetur tantum motivum impellens. Item Votum caſtitatis in eo, qui ità eſt proclivis in luxuriam, ut ipſi videatur melius inire Matrimonium; quia abſolutè, & reſpectu omnium majus bonum eſt ſtatus caſtitatis, poteſtque aliis mediis reprimi luxuria, ad quæ etiam vovens ſe implicitè obligavit, & aliàs, qui poſt Votum ſuâ culpâ contraxiſſet illam proclivitatem, eſſet liber Voto. Vide

de La Croix n. 409. & 481. 2. Non valet Votum jejunandi præcisè, ut parcas tuis; dandi eleëmoſynam; ne videaris tenax: quia Deus non acceptat Votum etiam de bono meliori, ſi non conducat ad finem ùt honeſtum Voti. Contrà valet Votum jejunandi, ut conſequaris ſcientiam, valetudinem &c. à Deo, quia honeſtum eſt intendere iſta - ùt dona Dei. Vide Layman L. 4. Tr. 4. Cap. n. 15. 3. Non valet Votum abſolutum bibendi, ludendi moderatè, contrà valet conditionatum: ſi bibam, ludam, faciam moderatè; quia hoc meliùs, illud indifferens eſt. 4. Votum abſolutum nunquam vovendi eſt irritum: nam abſolutè melius eſt vovere aliquando, quàm vovere nunquam. Votum tamen nunquam vovendi temerè, vel ſine conſilio prudentis, valet quia de bono meliori eſt. Si tamen Voti hujus memor temerè voveres, valeret Votum; etſi peccares vovendo, venialiter tamen ſolùm, niſi temeritas gravis eſſet, uti ſi verbaliter voveres ſine animo vovendi; ſi autem voveres immemor iſtius Voti, & expreſsè habuiſſes ſeriam voluntatem te nunquam obligandi imposterum, ſi fortè voveres immemor prioris voti: Votum poſterius erit invalidum, quia prior voluntas cenſetur moraliter perſeverare, & Votum non acceptatur; ſi autem talis voluntas non præceſſiſſet, poſterius Votum erit validum, quia haberet omnia requiſita ad valorem Voti. Ità La Croix num. 417. ex Suar. Denique invalidum eſt Votum abſolutum non petendi diſpenſationem, quia hæc ſæpe melior eſt, quàm ejus negatio. De Voto jejunandi diebus Dominicis & Paſchæ vide infra ſub n. 427. & n. 345. ſub Coroll. 7.

8. Re-

8. Requiritur, ut ſit de bono poſſibili, quia impoſſibile non poteſt efficaciter intendi, nec ad id poteſt eſſe obligatio, adeoque inepta eſt illius promiſſio. Hinc irritum eſt Votum nunquam peccandi venialiter etiam cum imperfecta advertentia; quia moraliter eſt impoſſibile, ut vitentur omnia venialia cum ordinariis gratiæ auxiliis. Valet tamen Votum nunquam peccandi ex propoſito, & cum plena advertentia venialiter, quia hoc eſt poſſibile cum divina gratia ſine ſpeciali privilegio. A fortiori valet Votum nunquam peccandi mortaliter, vel certum veniale admittendi v. g. nunquam mentiendi, ſine cauſa non jurandi. Quanquam ob difficultatem multis talia Vota non expediant. Si quis voviſſet ſimpliciter nunquam peccare, ſpectanda eſt ejus intentio, quæ ſi reſciri non poſſit, ad nihil vi Voti tenetur. La Croix L. 3. P. 1. n. 402. Denique requiritur, ut vovens non ſit Jure poſitivo inhabilis ad vovendum. Hinc Profeſſio Religioſa ante annum 16. completum emiſſa, Vota ſolennia, quæ ex gravi injuſto metu extorta ſunt, invalida ſunt, quia Lege Eccleſiaſticâ irritantur, ideoque à Deo non acceptantur. Similiter Vota impuberum, Vota ſubditorum, quæ in præjudicium Superiorum cedunt, infirma ſunt ſecundum dicenda.

335. 8. *Et poſſibili.*

QUÆSTIO III.

Quanta ſit obligatio Voti?

Reſp. Votum obligat ſub peccato ex genere ſuo mortali contra Religionem. 1ma Pars eſt de Fide: nam Eccleſ. 5. dicit: *Si quid voviſti*

336. *Eſt ex genere ſuo gravis.*

viſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio. ſed quodcunque voveris, redde. 1. Timoth. 5. de Viduis, quæ continentiæ Votum violaverant, ait Apoſtolus, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Et ratio eſt; quia lumen rectæ rationis dictat, Deo reddendum eſſe obſequium, maximè, quod ei promiſſum, ab eoque acceptatum eſt. *Probatur 2da Pars*; nam materia Voti poteſt eſſe gravis; Votum autem eſt quaſi quædam lex privata, quam quis ſibi imponit, proinde; ſicut aliæ leges obligant per ſe pro gravitate materiæ, ità & Votum.

Dixi 1. *Per ſe*: nam ſicut Superior poteſt per præceptum ſecundùm dicta P. 1. n. 154. ad materiam gravem obligare ſub peccato levi tantùm; ità poteſt quis Votò tantùm ſub veniali ſe obligare ad materiam gravem.

Nec dicas 1. Lex naturalis in materia gravi non poteſt tantùm ſub levi obligare; lex Voti eſt naturalis; ergo: nam licèt lex naturalis antecedens voluntatem noſtram, ab eaque independens non poſſit obligare ſub veniali tantùm, quia rectus ordo tunc aliud exigit, Hoc tamen non tenet, quando lex naturalis ſupervenit alicui, quod pendet à libera noſtra voluntate, ità, ut poſſimus ad ejus materiam ex Religione obligari, vel non obligari pro arbitrio noſtro.

337. *Solvuntur oppoſita.* *Nec dicas* 2. Levis materia Voti non eſt capax obligationis gravis: ergo nec materia gravis eſt capax obligationis levis; nam Neg. conſequentiam: non expedit homini ad materiam levem obligari ſub gravi: hinc Deus talem obligationem non acceptat; utile autem adhuc

adhuc eſt, obligari ad materiam gravem ſub levi, quia ſic homo adhuc aſtringitur ad cultum Dei. Dein materia gravis eſt capax magnæ obligationis, cur non parvæ & nullius?

Nec dicas 3. Homo non poteſt homini dare rem magni pretii ſub obligatione levi; ergo. Nam Reſp. Neg. Conſeq. quia per donationem homo transfert dominium in alterum, quod, ſi ſit res gravis, violari non poteſt ſine gravi injuria; per Votum verò homo nullum dominium transfert in Deum, jam antè Dominum omnium; ſed ſuſcipit ſponte obligationem rei, ſuo arbitrio antè relictæ, quam obligationem Deus admittit, quatenus ſe homo voluit liberè obligare.

Nec dicas 4. Non poteſt homo ſe Juramento obligare ſub levi tantùm ad rem gravem; ergo nec Voto. Reſp. enim C. Antec. & N. Conſeq. Votum eſt quaſi reflexa volitio obligationis. Juramentum eſt interpoſitio divinæ authoritatis, ex qua oritur obligatio pro rei gravitate, etſi promiſſoriè jurans nollet ſe obligare: Dei enim authoritas non ſuſcipit magis & minùs, ideoque ejus obligatio à voluntate hominis limitari non poteſt: ſed exigit reverentia erga Deum, qui tanquam teſtis aſſertionis, & promotor propoſiti aſſumitur, ut Juramentum impleatur: proinde in re gravi non implere, erit irreverentia gravis; in Voto Deus non habetur ùt teſtis, ſed promittitur ei res pro arbitrio. Et niſi aliunde ſit præceptum vovendi pro gravitate materiæ, utì eſt relatè ad Vota caſtitatis in ſuſceptione majoris Ordinis, & ſtatûs Religioſi, poteſt eſſe levis obligatio.

338. *Quæ ſit materia gravis, quæ levis?* Porrò materia Voti gravis eſt, quæ vel ex ſe, vel ſpectatis circumſtantiis ad finem Voti, vel cultum Dei, vel ſpiritualem utilitatem voventis notabiliter confert. Levis verò, quæ tantùm parum confert, ſpectatis etiam circumſtantiis. Unde, qui ſemel non implet Votum jejunandi, confitendi, audiendi Sacrum &c. peccat contra Religionem graviter, cùm hæc materia ſit gravis. Econtra, qui voviſſet ſemel dicere quinquies *Pater & Ave*, omittendo peccaret ſolùm leviter.

339. *Vovens nō transfert materiam voti ad aliam virtutem.* Dixi 2. *Votum obligat ſub peccato contra Religionem:* nam, ùt dixi 1. P. num. 148. vovens ordinariè non ponit rem Voto promiſſam in materia neceſſaria illius virtutis, ad quam materia ſpectat, v. g, qui vovet Jejunium, non facit, ut hoc ſit in materia neceſſaria temperantiæ, nec, qui vovet eleëmoſynam, facit, ut ſit in materia neceſſaria miſericordiæ, etſi ex affectu illarum virtutum ſpeciali voveret. Quare, ſi talia non ſint aliunde præcepta, Vota non ſervans, peccaret graviter tantùm contra Religionem per infidelitatem irreligioſam contra Deum, & in Confeſſione ſatisfaceret dicendo: Bis violavi Votum in materia gravi. Et idem eſt de aliis, in quibus non eſt aliunde malitia ratione alterius præcepti, uti eſt in violatione Voti ſolennis caſtitatis: in hac enim eſt malitia luxuriæ, infidelitatis erga Deum, & ſacrilegii. Imò Suar. L. 5. De Voto Cap. 3. n. 11. Palao, Tamb. Illſung tenent, etſi vovens intenderet ſibi imponere obligationem alterius virtutis, non ideo ex ea obligandum eſſe, quia vovens propriè non ponit ſibi legem, ſed tantùm actum voluntatis, quo poſito oritur lex naturalis & divi-

na,

na, intendens præciſè Religioſam fidelitatem, non autem honeſtatem rei promiſſæ per modum finis: nulla autem lex inducit obligationem alterius virtutis, quàm cujus honeſtatem intendit. Si lex Jejunii intendens tantùm honeſtatem temperantiæ, obligationem hujus tantùm inducit. Addidi: Peccaret graviter tantùm contra Religionem: nam Illſung putat, quòd violans Votum Jejunii etiam non præcepti aliunde, peccet venialiter ſimul contra temperantiam, quia eſſet cibi uſus inordinatus, cùm tamen cibus ſit aliunde licitus, non ſit niſi veniale. Verùm ſi moderatè, & debito fine ſumatur, non apparet inordinatio, niſi contra Votum.

QUÆSTIO IV.

Quosnam Votum obliget?

Reſp. Votum perſonale ſolùm voventem obligat, nec per alium impleri poteſt; quia per id vovens promittit actionem ſuam, non alterius; Votum verò reale obligat voventem ad perſolvendum per alium de propriis bonis, ſi per ſe ipſum implere nequeat; quia per Votum reale promittit rem ſuam, quam poteſt per alium tradere. Denique Votum mixtum, quà perſonale eſt, obligat ſolùm voventem; quatenus verò reale, obligat etiam ejus hæredes; quia quatenus perſonale eſt, obligat ad actionem à vovente ponendam, quatenus verò reale eſt, obligat res voventis: res verò defuncti tranſeunt ad hæredes cum oneribus illis annexis. Unde hæredes tenentur exequi Vota realia defuncti ſecundùm vires hæredi-

340. *Perſonale tãtùm voventem, reale etiam hæredes.*

tatis, ſalvâ legitimâ hæredis neceſſarii, non ex Voto, ſed ex Juſtitia ratione rei acceptæ cum tali onere, & ex contractu tacito, implicitè inito per acceptationem hæreditatis.

341. *Corollaria.* Hinc 1. Si Titius voviſſet peregrinationem Lauretum, & ibi offerre ſtatuam argenteam B. Virginis; hæres ejus teneretur ad ſtatuam dandam, non autem ad peregrinationem, niſi ipſe eam promiſiſſet, aut eâ lege fuiſſet hæres inſtitutus.

2. Si parentes liberos devoveant Religioni, liberi non obligantur eorum Votis, niſi ea rata habuerint. *Ex Cap.* 4. *Regular.*

3. Si populus voverit Feſtum, vel Jejunium, quotannis ſervandum, poſteri non tenentur vi Voti, ſi tamen Epiſcopus conſenſerit, tenentur vi præcepti Epiſcopi approbantis, & ità implicitè præcipientis ſervare hoc Feſtum, vel Jejunium.

4. Si Communitas voveat peregrinationem quotannis ad certum locum v. g. in honorem B. Virginis, poſteri non tenentur vi Voti ad illam, in quod non conſenſerunt, ſed interdum ratione pacti, vel ſtatuti, aut longæ conſuetudinis obſervandi ejuſmodi rem tanquam ex obligatione, dummodo approbatio expreſſa, vel tacita Epiſcopi accedat, qui etiam ejusmodi leges vel conſuetudines ſuorum ſubditorum abrogare poteſt. Laym. L. 4. Tr. 4. Cap. 3. n. 6.

5. Qui vovit factum alterius, ejus promiſſio non cenſetur tendere in illud, ſed in conatum curandi, ut alter id præſtet, qui ſi nolit, ceſſat obligatio. Qui Votum perſonale per ſe implere non poteſt, non tenetur per alium. Vide La Croix n. 477.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Pro quo tempore Votum obliget?

Reſp. Votum, per ſe loquendo, obligat pro tempore à vovente præfinito; ſi nullum præfinivit, tenetur, per ſe loquendo, proximo, quo ſine incommodo poterit. *Ratio 1mæ partis eſt;* quia pro eo tempore ſe obligavit. *Ratio 2dæ partis eſt;* quia ſtatim, moraliter loquendo, exigitur à Deo. Conſtat ex Deuter. 23. ubi dicitur: *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus, & ſi in mora fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et Eccleſ. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere.* Ratio à priori eſt; quia res abſolutè, & ſine reſtrictione promiſſa, ſtatim debita eſt, ùt dicitur L. 14. ff. De Regulis Juris: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Quare culpabilis eſt mora ſine rationabili cauſa, & præſumpto prudenter conſenſu ejus, cui promiſſio facta eſt. Poteſt dari tamen in dilatione etiam ſine cauſa parvitas materiæ, modò Votum dein adhuc impleri poſſit. Porrò ſi Votum ſit de omittenda actione, toties peccatur, quoties actio ponitur, v. g. quoties comedit carnes per diem, qui vovit abſtinentiam ab illis, quia tale Votum eſt inſtar præcepti negativi, quod obligat pro toto tempore, pro quo factum eſt, & omnis omninò omiſſio promiſſa eſt, niſi aliter vovens ſuam intentionem reſtrinxiſſet. 342. *Ut impleatur tempore præfixo, vel ſtatim, ubi commodè poteſt*

Dixi: *Per ſe loquendo*: nam cauſæ ſufficientes differendi Votum, cui implendo tempus non eſt præfixum, ſunt hæ ſingulæ: 1*mа*. Melior *Cauſæ differendi impletionẽ voti.*

lior executio Voti. 2. Declinanda gravis moleſtia, vel offenſa aliorum. 3. Si te ſentias necdum idoneum ad perferendum id, quod voviſti, v. g. ſi voviſti ingredi Carthuſiam, veliſque priùs ſtudere ſcientiæ multùm utili, cui in Ordine ſtudere non licebit, &c. De quibus videri poteſt Caſtrop. hic p. 13. num. 5. Videtur etiam ſufficere utilitas publica, & gravis neceſſitas corporalis vel ſpiritualis v. g. fratris vel ſororis. Quamdiu autem liceat differre executionem Voti ſine mortali, difficile eſt determinare: univerſim dici poteſt, quòd Vota, quæ durant uſque ad mortem, ùt Votum Religionis, minori tempore differri poſſint, quàm quæ in tempore finiuntur, ùt Vota eleëmoſynæ dandæ, peregrinationis, & alia ejusmodi; quia priora ſi differantur, cultus Dei minuitur cum imminutione vitæ, non item ſi poſteriora. Sic putat Tamb. Si ſis 15. annorum, & differas executionem Voti Religionis ad 3. vel 4. annos, non fore mortale, ſecluſo tamen periculo deficiendi à Voto. Probabiliùs dicit Caſtrop. fore mortale, ſi Votum Religionis ſine cauſa differas ad 6. menſes, reliqua autem, licèt dilatione non minuantur, ad duos, tresve annos; quia in eo videtur eſſe gravis deordinatio, utì ſi alteri rem debitam tam diu differas dare: culpa tamen nec venialis erit, ſi adſit rationabilis cauſa differendi. Et ſic, ſi voviſti ſingulis menſibus confiteri, ex cauſa poſſes ad duos, tresve dies ultra menſem differre; imò & anticipare tanto tempore. *Ex dictis reſolves*

343. *Corollaria.* 1. Qui vovit certo die audire Sacrum, vel confiteri, peccat mortaliter, ſi non impleat. Item,

Item, qui vovit procurare Miſſam legendam, quia hæc continet maximum Dei cultum.

2. Qui vovit orare Roſarium, non peccat mortaliter, ſi omittat duas decades, quia ad cultum B. Virginis non multùm conferunt; imò Roſarium totum cenſetur quid parvum in ordine ad cultum B. Virginis, vel Dei. Tamb. L. 1. Cap. 1. §. 3. num. 21. Sporer. Tr. 1. Cap. 5. num. 30. §. 4. *Si dicas:* eſt mortale omittere Roſarium injunctum pro Pœnitentia Sacramentali in Confeſſione peccati mortalis. Reſp. Hoc dato, diſparitas eſt, quia injungitur ibi velut aliquid pœnoſum, quale ſi eſt notabiliter, uti Roſarium communiter cenſetur eſſe, eſt materia gravis; èconträ per Votum promittitur tantùm, ùt cultus Dei, qui in recitatione Roſarii non videtur eſſe notabilis. Per Roſarium communiter intelligitur pars tertia Pſalterii integri, quod conſtat 15. decadibus.

3. Qui Votum tempore præfixo ex impotentia, vel negligentia non implevit, an teneatur implere poſtea, diſtinguendum eſt: nam ſi ex intentione voventis, vel naturâ voti fuit affixum diei ob ſpecialem rationem v. g. devotionem erga aliquem Sanctum vel Myſterium, cujus memoria celebrabitur, vel, ſi quis voverit Jejunium in vigilia alicujus Sancti, principaliter in ejus honorem, non tenebitur poſtea implere votum; ſed obligatio ceſſat cum illo die, quia tunc intentio fuit ſe obligandi pro illo die. Et in hoc caſu, ſi quis voto emiſſo videat, ſe impediendum illo die ab executione voti, non tenetur prævenire; ſi autem tempus eſt conſtitutum non ratione ſui, vel ſpecialis devotionis erga Sanctum, v. g. vel

Myſterium, quod recolitur, tunc exercendæ, Votum adhuc implendum eſt, quia cenſetur tempus adjectum non pro finienda, ſed pro non ulterius differenda executione Voti. Quo caſu duplex eſt obligatio, una non differendi ultra illud tempus, altera, eaque principalior opus implendi, hæcque, alterâ non impletâ, adhuc manet, urgetque executionem.

4. Qui vovit opus intra certum tempus, v. g. jejunare tribus diebus ſequenti ſeptimanâ, ſi prævideat tunc fore impedimentum, non tenetur quidem prævenire hâc ſeptimanâ, quia necdum eſt tempus, quo voluit obligari: ſi tamen in ſequenti ſeptimana exiſtens prævideret ſe ultimis tribus diebus impediendum, teneretur prævenire. Si huic Septimanæ Jejunium non affixiſſet, poſſet ſeptimanâ antecedente prævenire, quia quod eò uſque rejecerit, non fuit ad augendùm, ſed potiùs ad minuendum Votum.

QUÆSTIO VI.

Qualis ſit obligatio Voti abſoluti, ſeu quomodo interpretanda ſint Vota abſoluta?

344. *Regulariter in partem benigniorem.* Reſp. Pro hoc traduntur ſequentes Regulæ: *Regula 1ma.* Voti obligatio extendenda non eſt ultra intentionem expreſſam, vel præſumptam voventis, ſed ſecundùm hanc determinanda eſt; quia Voti obligatio eſt voluntaria; adeoque per id in tantum quis obligatur, in quantum obligare ſe voluit.

Regula 2da. Niſi de mente voventis aliud conſtet, præſumitur voviſſe ſecundùm communem

munem ſenſum verborum, & materiam promiſſam, hancque velle exequi, prout ejus natura, & communis hominum, vel Eccleſiæ conſuetudo exigit; qui enim nihil excipit, cenſetur ſe communi uſui accommodare.

Regula 3tia. Obligatio Voti, quantum retentâ propriâ, & uſitatâ verborum ſignificatione & expreſsâ voventis intentione, fieri poteſt, ſemper magìs reſtringenda eſt, quàm extendenda, quia quando non conſtat de voluntaria majoris obligationis ſuſceptione, quivis relinquendus eſt in ſuæ libertatis poſſeſſione, & cùm agitur de obligatione, ſtricta interpretatio facienda eſt; Votum autem, uti & Juramentum graviſſimam obligationem continent. Neque id contra Voti favorem, aut Juramenti reverentiam eſt: nam ſic ad Vota in honorem Dei emittenda magìs provocabuntur homines, ſique eorum exactio benignior potiùs, quàm rigida fuerit, frequentiùs obſervabunt Juramenta & Vota. Favent Jura apud Layman l. 4. tr. 4. c. 3. n. 4. Ex his innumeri caſus reſolvi poſſunt, pro exemplis ſufficiat reſolviſſe ſequentes.

1mò. Qui vovit curare legi Miſſam, deditque ſtipendium Sacerdoti, hic ſi negligat, qui vovit, ad nihil ultra tenetur, etſi ſciat lectam non eſſe, quia quantum eſt de ſe, curavit, uti fieri ſolet, nec ſe obligavit ad certum eventum ſecuturum. 345. *Corollaria Votum Miſſæ curandæ*

2. Qui vovit Roſarium, non tenetur ad integrum pſalterium, ſed tantùm ad tertiam ejus partem, quia hoc nomine Roſarii communiter intelligitur, & ſatisfacit, modò verè oret etiam cum ſocio alternando; quia is eſt modus orandi in Eccleſia receptus, & partici- *Votum Roſarii.*

pat, ſuumque facit attendendo ad id, quod recitatur à ſocio, hic tamen debet ratione uti. Etiam ſatisfacit, licèt unam decadem per notabile tempus interrumpat ab alia, quia adhuc habetur ſufficiens unio per intentionem orandi totum.

Votum Miſſæ audiendæ. 3. Qui vovit quotidie audire Miſſam, ſatisfacit die feſto audiendo unicam etiam Voti immemor, quia non cenſetur intendiſſe audire duas diebus feſtis, niſi id expreſsè voverit: manet enim adhuc verum, quòd ſingulis diebus audiat Miſſam. An ſatisfaceret, ſi per primam Miſſam nollet ſatisfacere Voto, utrimque probabiliter controvertitur: negat Suar. eò quòd, ſicut ab ipſius voluntate pendebat debitum, ſic ab ea pendeat, ut maneat debitor. Affirmat Sanch. Caſtrop. & alii, quia licèt dependeat debitum ab ipſo in fieri, non tamen in conſervari, ubi materia promiſſa eſt poſita.

Votum peregrinationis. 4. Qui vovit peregrinationem Romam, & cogitavit peregrinari pedes, poteſt peregrinari eques; quia ſic adhuc verè peregrinatur, & cogitatio peregrinationis pedeſtris non inducit obligationem, niſi de ea etiam ſit facta promiſſio. Imò & ſatisfaceret Voto, ſi cum intentione ſimul præſente inviſendi loca ſacra, mercede conductus, vel negotiorum causâ, aut ſimul curioſitate impulſus iret Romam; quia adhuc ex priore intentione verè peregrinaretur eò. Quòd ſi voviſſet eò peregrinari equitando, ſi poſtea equitare non poſſet, non teneretur peregrinari pedibus, quia non vovit niſi ſub tali modo, qui difficultatem notabiliter minuit.

5. Qui

5. Qui vovit alere pauperem, non ſatisfacit, per ſe loquendo, alendo patrem ſuum egentem. La Croix n. 434. ubi ait filium teneri ex juſtitia alere parentem, quod verum tantùm eſt de aliquibus caſibus. Ratio reſponſionis eſt; quia cenſetur, niſi conditio alia fuerit imbibita, voviſſe eleëmoſynam, & aliquid non aliunde debitum, filius autem ſaltem ex pietate tenetur alere parentem. Satisfaceret tamen, ſi aleret cognatum pauperem; quia hunc alere non tenetur, niſi fortè in gravi neceſſitate. Dixi: *Per ſe loquendo*: nam aliud eſſet, ſi pater poſtea fieret pauper, & Votum fuiſſet implicitè conditionatum. *Votum alendi pauperem.*

6. Qui vovit caſtitatem, peccat ineundo matrimonium, etſi ſponſi mutuo conſenſu voviſſent abſtinere ab omni actu venereo; quia cenſetur voviſſe abſtinere à ſtatu, vi cujus teneatur ad copulam carnalem. *Votum caſtitatis.*

7. Qui vovit Jejunium, in pervigilio alicujus Sancti quot annis ſervandum, tenetur jejunare more Eccleſiæ, ſique pervigilium incidat in diem Dominicum, poteſt Jejunium anticipare, & jejunare Sabbato præcedente; quia ſic eſt praxis Eccleſiæ. Unde qui vovit omnibus diebus alicujus menſis, vel anni jejunare, non tenetur diebus Dominicis, niſi hos expreſsè comprehendiſſet. *Votum Jejunii.*

An, qui voviſſet toto Anno jejunare, teneretur Die Nativitatis Domini, controvertitur. Affirmant Suar. Sanch. Caſtrop. eò quòd Eccleſia illos ſolos eo die exemerit, qui nec regulari obſervantiâ, nec Voto ad Jejunium vel abſtinentiam à carnibus tenentur. Quare licèt non teneatur abſtinere ex præcepto Eccleſiæ, utpote univerſaliter ſublato, volunt tamen teneri illum

illum ex Voto, quod Eccleſia noluit tollere. Oppoſitum tenent Azor, Tamb. Illſung, Molina, eò quòd Eccleſia loquatur de iis, qui expreſse illos dies Voto incluſerunt. Si quis tamen voviſſet toto anno abſtinere à carnibus, teneretur etiam diebus Dominicis, quia etiam Eccleſia obſervat abſtinentiam Dominicis Quadrageſimæ. Si voviſſet ordinariè jejunare diebus Dominicis, juxta Suar. Sanch. Votum eſſet irritum, validum tamen pro quibuſdam Dominicis. Qui vovit jejunare in pane & aqua, ſi bibiſſet vinum, vel comediſſet piſces, teneretur adhuc pergere in Jejunio, quia adhuc poſſet ſervare ſubſtantiam Jejunii, etſi non modum. Qui vovit in Juventute, certis diebus v. g. diebus Veneris jejunare, juxta Sanch. non tenetur, ubi ad 60. annum venerit, quia cenſetur voviſſe Jejunium ad modum Jejunii Eccleſiaſtici, à quo probabiliter eximuntur Sexagenarii. Adoleſcens quidem obligatur Voto jejunandi emiſſo ante 21. annum ætatis, quia ſufficienter cognoſcit ætatem ſuam non eſſe aſtrictam præcepto, & tamen voluit ſe obligare: prior autem non ità cogitavit de ſua ætate ſexagenaria, quam ſi Voto comprehendiſſet; utique teneretur. Idem dicit Tamb. quamvis Jejunium perpetuum fuiſſet ſubrogatum Voto caſtitatis perpetuæ, vultque regulam Juris, quod ſubrogatum ſapiat naturam ejus, cui ſubrogatur, tenere tantùm in favorabilibus; ſed Layman ſententiam illam dicit improbabilem, quia Votum quidem obligat ad modum legis Eccleſiaſticæ quoad formam, modumque jejunandi, non tamen quoad perſonas: aliàs qui ante annum 21. jejunare voviſſet, non teneretur Voto. Ratio autem à

priori

priori eſt, quia poteſt quis per Votum ſibi imponere obligationem, licèt eam non imponat Eccleſia.

8. Qui vovet non determinando tempus, V. g. Voveo deinceps ſervare caſtitatem, diebus Veneris jejunare, cenſetur facere Votum perpetuum; ſi autem materiæ quantitatem non determinet dicendo: V. g. Voveo dare eleemoſynam, ſatisfacit dando parvam, quia adhuc verificatur promiſſionis impletio. Excipe, niſi ex recepta conſuetudine, vel aliis circumſtantiis mens alia voventis colligenda eſſet: ſic qui minimè pauper voveret dare calicem Eccleſiæ, vel vinum pro Miſſa, teneretur dare calicem ſaltem argenteum, quia non ſolent calices confici, niſi magna urgeat paupertas, ex viliore materia, quàm ex argento. Similiter deberet dare vinum, quale ordinariè adhibetur, nec ſatisfaceret dando viliſſimum. Denique ſi res quoad individuum ſit promiſſa indeterminatè, ſufficit dare, quod libuerit, ut ſi quis ex tribus ſcyphis argenteis Voto promiſiſſet unum dare Eccleſiæ, nullum determinando, ſatisfaceret dando minimum. Si interim duo eſſent furto ſublati (etſi putet Gobat tertium poſſe retineri, Sanchez verò dividendum eſſe valorem, eò quòd æquum ſit, ut Eccleſia ferat partem damni) probabiliùs tamen tenetur dare tertium, quia ſinguli ſunt promiſſi. Ità Palao. Excipe, niſi unum voviſſet dare, eò quòd plures haberet, & unus ei neceſſarius non eſſet; quia in hoc caſu non videtur fuiſſe intentio dandi unum, ſi duo aufferentur. Quòd ſi unum promiſiſſet Eccleſiæ, & neſciret cui, valor dividendus eſſet Eccleſiis, de quibus dubium eſt.

Votum, non determinato tempore, vel materia quantitate.

Materia voti parva quotidie 9. Qui vovit materiam parvam quotidie implendam, an peccet graviter, ſi omittat multo tempore, ſpectanda eſt intentio voventis. Si Votum ſit perſonale, ordinariè non fuit intentio ſe graviter obligandi, ſed cenſetur illud affixum fuiſſe diei, niſi aliud conſtet: ùt ſi vovit quotidie orare 5. *Pater*, & *Ave*. Si autem Votum fuerit reale, v.g. quotidie pauperibus dandi unum aſſem, Votum cenſetur non fuiſſe affixum diei, ſed materias coaleſcere: ſic enim communiter Vota fiunt. Ità Sanch. Azor, Vaſq. & alii communiter contra alios, quorum aliqui apud Dianam p. 3. tr. 5. Reſolut. 24. dicunt materias nunquam uniri, nec unquam peccari mortaliter, quantumcunque ſæpe omittatur. Alii dicunt ſemper uniri, & peccari mortaliter, quando tam ſæpe omittitur, ut ſimul conſtituerent materiam gravem. Conſulenda eſt intentio voventis, an obligaverit ſe ad compenſandum omiſſa uno die, & in dubio judicandum eſt in ejus favorem ſecundùm dicenda. Ità Gobat apud La Croix n. 450.

Vota diverſa parva materia 10. Si quis diverſis Votis voverit pro eadem die multas materias leves, quæ ſimul ſumptæ faciant gravem, niſi conſtet voventem ſe voluiſſe obligare graviter, cenſendus eſt non peccare graviter, ſi omnes omittat. Ità Suar. Rhodes, Herinx, Caſtrop. tr. 2. d. 2. p. 9. n. 11. quia vovens cenſetur feciſſe ſingula Vota ſeparatim ab aliis; ergo Violatio unius non poteſt augere Violationem alterius. Conſentit Oviedo, ſi Vota ſint ex diverſis motivis, v.g. unum in honorem paſſionis Dominicæ, alterum in honorem B. V. alterum pro Defunctis, etſi materiæ eſſent ejuſdem rationis,

nis; quia diverſa motiva impediunt, quò minùs materiæ coaleſcant in unam. Si autem fiant ex eodem motivo extrinſeco, putat materias etiam diverſæ rationis uniri, & poſteriori Voto pro objecto eſſe etiam materiam prioris: ut ſi quis in periculo naufragii ad id evadendum voveret 1mò orationem, deinde eleëmoſynam. Cæterum materiæ non præcisè ex eo uniuntur, quod ſubſtent eidem virtuti religionis, vel ex affectu erga cultum divinum fiant, ùt contendit Sanch. quia motivum generale, & mediatum religionis ad id non ſufficit, aliàs beneficiatus ſi die feſto parum omitteret de Horis, parum de Miſſa audienda, parum de orationibus Voto promiſſis, ità ut ſimul eſſent materia gravis, peccaret mortaliter, ſique die feſto omitteret Horas, & Miſſam, non niſi unicum peccatum gravius committeret, quæ nemo dicet. Addit Oviedo cum Caſtrop. ſi materiæ diverſæ rationis, id eſt, quæ legibus diverſis præcipi ſolent, unico actu promitterentur, adhuc non uniri, ſed actum fore virtualiter multiplicem, quando ex affectu religionis, & non ex eodem motivo extrinſeco promittuntur. *Si dicas*, qui homini diverſis vicibus plures leves ſummas, quæ ſimul ſumptæ coaleſcerent in magnam, promiſiſſet, peccaret mortaliter negligendo omnes; ergo à pari. R. N. conſequentiam, quia promiſſiones illæ uniuntur ex fine immediato, qui eſt utilitas iſtius hominis promiſſiones acceptantis; ità autem non uniuntur Votorum materiæ parvæ, quæ ex diverſis occaſionibus, vel finibus promittuntur. Ita La Croix n. 449.

Ut

Quando materiæ leves in unam gravem coaleſcant?

Ut intelligatur, quando multiplicatæ materiæ leves, quæ ſubſtant Votis, legibus, vel præceptis coaleſcant in unam gravem, ac proinde transgrediens peccet mortaliter: P. Viva, exponens propoſitionem 29. ab Alexandro VII. damnatam, aſſignat n. 15. hanc regulam univerſalem: Quandocunque aliquis, intendens pluries peccare leviter contra aliquam virtutem, illa ſuâ intentione peccat graviter; materiæ leves, quæ ejus intentioni ſubſtant, coaleſcunt in unam gravem: uti ſi quis Voto, vel præcepto obligatus ad Jejunium, vellet de die comedere ſæpius aliquid leve; ſi autem intentione illâ non peccet graviter, materiæ leves non coaleſcunt; ut ſi quis, in Quadrageſima obligatus ad Jejunium ſeu ex præcepto, ſeu ex Voto, ſtatueret ſingulis diebus aliquid leve, repugnans præcepto, vel Voto comedere, is quia non peccaret graviter, materiæ illæ leves non coaleſcunt. Hæc regula equidem vera eſt; ſed difficultatem non expedit: meritò enim quis quæreret: cur & quando hâc, & non illâ intentione peccat graviter? Quare aliæ regulæ (neque enim unica quæſtio illa expediri poteſt) ſunt aſſignandæ, quæ videntur poſſe eſſe ſequentes.

Regula 1. Quando materiæ Voti, vel præcepti ſunt diverſæ rationis, ſeu ſubſtare ſolent, aut poſſunt præceptis formaliter diverſis; materiæ leves de ſingulis non coaleſcunt in unam gravem, per ſe loquendo, ut ſi quis contra Votum, vel præceptum nullâ injuriâ lædendi proximum, ſemel ei quid leve furaretur, ſemel famam, ſemel honorem clam aliis leviter læderet; materiæ non coaleſcunt; quia licèt ad eandem Virtutem ſpectant, ſubſtant tamen legibus

gibus formaliter diverſis. Vel ſi quis voviſſet die operario audire Miſſam, jejunare, dicere Roſarium, & de ſingulis quid leve omitteret. Dixi : *Per ſe loquendo:* nam ſpectanda eſt intentio voventis: potuit enim velle ſe obligare graviter, ùt cenſetur voluiſſe juxta Oviedo ſupra, in periculo naufragii.

Regula 2. Quando materiæ Voti, vel præcepti etiam ſunt ejuſdem rationis, & executio ex intentione voventis, vel Legislatoris, habens tractum ſucceſſivum, eſt affixa diebus ità, ut obligatio ſucceſſivè ceſſet, utì fieri ſolet ſecundùm dicta in Votis perſonalibus, materiæ non coaleſcunt; quia Vota & præcepta tunc ſunt numero morali diverſa, & unionem impedit intentio voventis, vel Legislatoris. Idem eſt, ſi Vota procedant ex diverſis finibus extrinſecis. Unde ſi quis in Quadrageſima contra Votum, vel præceptum pluribus diebus aliquid leve ſingulis comedat, materiæ non coaleſcunt. Econtra ſi executio ejuſmodi Voti non ità ſit aſſixa diebus, ùt fieri ſolet in Votis realibus; materiæ coaleſcunt: ùt, ſi quis voviſſet per annum candelam levis pretii offerre in honorem Bmæ Virginis tot diebus, quot annis ipſa vixit cum filio ſuo in hoc mundo.

Regula 3. Quando plures transgreſſiones in materia levi inducunt effectum aliquem gravem contra finem legis, vel Voti, aut præcepti; materiæ coaleſcunt in unam gravem: ùt ſi quis ſæpius Titio parva furetur, vel ſæpius eum leviter vulneret, unde ſit periculum mortis, ſæpius mentiendo eum in gravem, & valde noxium errorem inducat. In mendaciis tamen, præcisè ut ſunt contra veracitatem, ma-

teriæ, circa quas, non coaleſcunt. Cæterùm uti monui, in votis præ omnibus ſpectanda eſt intentio voventis.

Votum non ludendi. 11. Si quis voverit non ampliùs ludere chartis, obligatio colligenda eſt ex intentione, & motivo voventis: ſi enim vovit ad vitandam jacturam pecuniæ ſuæ, tenetur tantùm luſum vitare, quo illius periculum ſubit. Hinc poteſt ludere pro alio, & etiam pro ſe moderatè, imò & per alium, niſi conſtet alia ejus mens: propriè enim non ludit, pro quo alius etiam expoſitâ ab ipſo pecuniâ ludit. Si vovit ad vitandam jacturam temporis, tenetur abſtinere à luſu etiam moderato, & pro alio, non tamen à luſu per alium ipſo ſpectante. Si vovit ad vitandas rixas, blaſphemias, juramenta, tenetur tantùm vi Voti abſtinere à luſu per ſe, ex quo iſta oriri novit. Et in his poteſt peccari tantùm venialiter: ùt ſi in primo caſu non exponat notabilem ſummam, ac tunc ſi in ſecundo non conſumat notabile tempus v. g. non plus, quàm duas horas. Si vovit non ludere cum certo homine, vel in certa domo, ut oſtenderet averſionem ab iſto, vel quia credebat ſe in iſta domo eſſe infortunatum: Votum nullum eſt; uti & ſi mulier voviſſet non ludere, ad ſic teſtandum dolorem de morte mariti, quia Votum foret vanum, & de re indifferente. Si tamen id voviſſet in gratiam affinium, & hi acceptâſſent, teneretur Voto; quia Votum in gratiam hominis factum, & ab hoc acceptatum, obligat, etſi ſit de re indifferenti.

Votum non bibendi vinum. 12. Denique qui vovit non bibere vinum, tenetur tantùm abſtinere à potu vini propriè dicto, ejuſque bibendi efficaci intentione. Unde

Unde in Sacro poſſet ſumere utramque ablutionem, & Vinum poſt Communionem, quia non veniunt nomine potûs, quem ſibi voluit interdicere. Item non tenetur abſtinere ab aliis liquoribus etiam inebriantibus, puta vi Voti; etſi Vinum ſibi interdixiſſet ad ebrietatem vitandam. Si vovit, ne dilapidet ſua, non peccat graviter, ſi bibendo non dilapidet notabilem ſummam, imò licitè poteſt bibere de alieno. Si vovit ad vitandam ebrietatem, non peccat graviter, ſi abſit omne periculum. Si vovit ex motivo temperantiæ, non peccat graviter, niſi tantùm bibat, quantum pro potu unius prandii ordinariè ſufficit homini, Vino temperatè utenti, v. g. dimidium amphoræ, cujus proinde tertia, vel quarta pars eſſet materia levis. Si vovit unicè ad mortificationem gulæ, & nullam percipiat ex Vino voluptatem, licitè bibet; quia Votum habet ſe ùt lex privata pro hoc homine lata: ergo ceſſat pro hoc, ceſſante causâ adæquatâ. Si vovit hodie non guſtare Vinum, tantùm peccat primò bibendo; quia vovit talem abſtinentiam, ut dicere poſſit: hodie non guſtavi Vinum. Vino autem ſemel ſumpto, hoc ampliùs dicere non poteſt. Si tamen voviſſet: hodie non bibam, niſi aquam, toties peccaret, quoties alium liquorem biberet.

QUÆSTIO VII.

Qualis ſit Voti conditionati obligatio, & quomodo exponenda Vota conditionata?

Reſp. Pro his intelligendis ſerviunt ſequentia:

tia : 1mò. Votum conditionatum poſitâ con-
346. *Aſſignantur regulæ.* ditione tranſit in abſolutum, ſtatimque ad ſuî executionem obligat : hæc enim fuit intentio voventis. Quare ſi conditio ſit præſens, vel præterita, aut neceſſariò futura (tunc enim cenſetur præſens) Votum ſtatim obligat. Si ſit futura contingenter, obligabit eâ poſitâ ; ſi verò ſit impoſſibilis, Votum vim non habet : neque enim hic, ùt in aliis contractibus, ex diſpoſitione Juris conditio impoſſibilis habetur pro non adjecta.

2. Si conditio contingens de futuro illicita pendeat tota ab arbitrio voventis, poteſt non tantùm illam impedire, ſed etiam ante impeditam ſe reddere impotentem ad executionem Voti. Ut ſi quis voviſſet caſtitatem ſub conditione, ſi adhuc ſemel ſe inebriet, poteſt inire matrimonium, antequam ſe inebriet, quia materia Voti eſt ſubjecta ejus voluntati, uti & conditio illicita ; aliàs cùm inebriare ſe non liceat, nunquam poſſet inire matrimonium. Si autem conditio non pendeat ab ejus voluntate, tenetur exſpectare ejus eventum probabiliter futurum, quia vovens obligavit ſe ad id, nec voluit obligationem ſubeſſe ſuo arbitrio. Unde ſi ante impeditam conditionem reddat ſe impotentem ad executionem, peccat contra religionem : v. g. qui vovit religionem, ſi recuperet ſanitatem, peccat ineundo matrimonium, quamdiu ſpes eſt recuperandæ ſanitatis.

3. Quando impletio conditionis, pendentis ab arbitrio voventis, non eſt præcepta, impediens eam ſine dolo, non peccat contra Votum : v. g. Voviſti religionem, ſi fias doctus, at quia fugis laborem, non ſtudes (ſine intentione

tione tamen, ne debeas fieri religioſus) ut acquiras doctrinam requiſitam; non agis contra Votum, quia ſtudium non voviſti, nec aliunde, ùt ſuppono, ad illud teneris. Si autem conditio ſit præcepta, & eâ intentione negligas, vel ponas aliquid, ut non tenearis Voto, peccas contra Votum, & illudis Deo: uti ſi voviſti religionem ſub conditione, ſi non pecces toto anno contra caſtitatem, eâque intentione pecces, ut libereris Voto, peccas contra Votum, uti & ſi quis voviſſet perpetuò manere in aliquo cœtu pio ſub conditione, ſi Superior eum velit retinere, & per malam vitam ſuî dimiſſionem ex hujus intentione procuraret. Ratio eſt, quia vovens conditionatè, obligat ſe tacitè ad non impediendum modo illicito impletionem conditionis, ſicut lex obligat ad non ponendum modo illicito impedimentum ſuæ impletioni v. g. ad non inebriandum ſe ità, ut audire non poſſit Sacrum die feſto; eſt enim Votum lex quædam privata. Talis impeditâ conditione nihilominus probabiliter non obligatur Voto, quia non tranſit in abſolutum: non voluit enim vovens ſe obligare, niſi tranſiret in abſolutum. Ità Suar. Palao diſp. 1. p. 17. Layman L. 4. Tr. 4. Cap. 6. N. 4. & alii. Quòd autem reportet commodum ſuæ malitiæ, per accidens eſt. Potuit enim ſe nolle obligare aliter, quàm ſub conditione, cùm obligatio illa ab ejus voluntate pendeat. Nec obſtant, quæ ex jure in contrarium afferuntur: nam loquuntur de promiſſione facta homini, obligante ex juſtitia, cujus conditionis eventum impediens vi, vel dolo, facit injuriam promiſſario, adeoque tenetur eam reparare: promiſſio autem facta Deo obligat tantùm ex

religione, quæ tantùm obligat ad ſtandum promiſſis abſolutè, quando conditio eſt impleta, non verò ad reparanda damna: in his enim nec lucrum, nec damnum aliquod Dei ſpectatur; ſed præcisè, ne lædatur honor Dei fallendo fidem promiſſionis, quando ea abſolutè obligat.

4. Quando conditio pendet à conſenſu alieno: v. g. voviſti religionem, ſi pater tuus conſentiat, ſeu non contradicat; potes juxta graves A. A. rogare patrem, attamen ſine vi, & dolo, ut non conſentiat: nam ne implicitè quidem, ùt ſuppono, voviſti non rogare patrem, & utens jure tuo, non cenſeris facere fraudem. Ità La Croix L. 3. P. 1. N. 469. Contrarium tamen tenet de Sponſalibus. N. 92. Ratio diſparitatis eſt, quia promiſſio planè gratuita benignè eſt interpretanda, non verò contractus utrimque oneroſus: cùm enim utraque pars obligetur, cenſentur ſe obligare ad non impediendam conditionem. V. p. 4. n. 477. Quòd ſi pater primò contradixerit, & poſtea conſentiat, putat Illſung, Votum jam eſſe ante irritatum, & non obligare, quia obligatio ſublata non redit. Sed probabiliùs Votum obligat, quia voluit moleſtiam vitare Patris, ſenſuſque fuit: voveo religionem, ſi fieri poſſit ſine moleſtia, vel offenſa patris; at ſine ea fieri poteſt. Si verò Pater priùs conſenſerit, & poſtea contradicat, probabiliùs non tenetur, quia conditio non eſt impleta juxta mentem voventis, qui voluit vitare offenſam patris. Cæterùm verba, ſi pater conſenſerit, videntur habere ſenſum, ſi pater non contradixerit, quia reverentiam patris indicant, ùtque vitetur offenſa: unde ſi pa-

pater priuſquam contradixerit, moriatur, Votum obligat. Si autem ante contradixerit, juxta Illſung, & Caſtrop. Voti obligatio eſt ſublata. Sed ſpectanda iterum intentio voventis.

5. Probabiliter Voti conditio non cenſetur ſufficienter impleta, niſi formaliter, & in ſua ſpecie impleatur, etſi aliunde finis conditionis impleatur: v. g. Titius vovit poſt tres annos ingredi religionem ſub conditione, ſi interea pater egens ejus ope moriatur, & ſoror item egens commodas nanciſcatur nuptias; interim aliunde iis providetur, aut theſaurum invenerunt. In hoc caſu Titius probabiliter ob ſublevatam aliunde indigentiam non tenetur Voto, quia verba non debent extendi ultra ejus intentionem, quæ fuit non de ſublevatione quacunque, ſed per mortem patris, & ſororis nuptias. Ità Caſtrop. Illſung, Tamb. Probabiliùs contradicit Layman, & Sanch. niſi aliud conſtet ex intentione voventis, quia mens voventis cenſetur fuiſſe amplecti religionem, ubi intra tres annos ſublevata fuerit indigentia.

6. Qui vovit aliquid, probabiliter non tenetur revelare ſuum Votum, ut ideo faciliùs media, vel licentiam Votum implendi obtineat, niſi tacitè hoc voverit; quod feciſſe cenſetur, ſi ſcivit, ſe aliàs non poſſe implere Votum. *Ratio eſt*, quia revelatio illa non eſt medium ordinarium, ad ſola autem ordinaria ſe obligavit. Ità Suar. Sanch. Layman l. 4. tr. 4. cap. 7. n. 7. Et La Croix n. 451. contra Azor, Leſſ. Quem pœnitet voviſſe, juxta Caſtrop. peccat venialiter, quia ponit aliquid retardans ab executione. Sed meliùs negat Suar. quia potuit non vovere, cur non optare, ut non voviſſet? præſertim ſi minùs cautè, aut

quid vovit, ob quod eſt in periculo graviùs, vel ſæpius peccandi.

QUÆSTIO VIII.

Qualis ſit obligatio Voti pœnalis, & quomodo exponenda?

Reſp. 1. Spectandus eſt modus vovendi: ſi enim pœnam ſubire vovit conditionatè: v. g. ſi inebriavero me, jejunabo die altero, non tenetur ex Voto ebrietatem vitare, adeoque nec
347. confitendo illam de Voto mentionem facere, ſed tantùm ſubire pœnam: ſi verò vovit copulativè, v. g. ſe non inebriare, &, ſi ſe inebriaverit, jejunare, tenetur ex Voto non ſe inebriare, & pœnam ſubire, ſi ſe inebriaverit, & confitendo ebrietatem, meminiſſe Voti violati. Si denique vovit disjunctivè v. g. aut non me inebriabo, aut jejunabo, non tenetur ex Voto determinatè vitare ebrietatem, nec hanc confitens de Voto mentionem facere, niſi fortè ſe inebrians voluiſſet nihilominus non jejunare; ſic enim animo peccâſſet contra Votum, ſique non jejunet, debet addere, ſe non ſervâſſe Jejunium ex Voto debitum, vel violâſſe Votum in re gravi.

Spectari debet modus, & mens vovendi.

2. Quòd ſi ſe inebriâſſet contra Votum pœnale ſine culpa gravi, cum levi tamen, non teneretur ad pœnam gravem, quia non cenſetur volita pro levi culpa. Si inebriâſſet ſe cum gravi culpa, ſed immemor Voti, etiam non teneretur ad pœnam, quia non violâſſet formaliter Votum, quod non cognovit: pœna autem impoſita fuit violationi Voti. Idem dicit Illſung, ſi fuiſſet memor Voti, ſed immemor pœnæ, eò quòd pœna ſit impoſita, ut deter-

deterreatur à culpa ; pœna autem non poteſt deterrere, niſi ùt cognita. Hoc admittit Sanch. ſi pœna eſſet graviſſima, quia non cenſetur ſibi hanc impoſuiſſe, niſi ob peccatum contra Votum graviſſimum, quale erit, ſi & pœna ſit cognita. Juxta Layman tenetur probabiliùs ad pœnam, ſaltem non omninò gravem, quia pœna perſolvenda deterrebit impoſterum.

4. An teneatur ad pœnam toties, quoties deliquerit, ſpectanda eſt mens voventis. In dubio ad pœnam extraordinariam, & graviſſimam tantùm cenſetur ſe obligâſſe pro prima culpa ; ſi autem pœna ſit ordinaria, v.g. Jejunium, cenſendus eſt, ſe obligâſſe ad pœnam ſubeundam toties, quoties peccârit.

4 Si ſciat, quòd pœnam ſibi impoſuerit, & neſciat quam, tenetur aliquam ſibi determinare, quam prudenter præſumit, quòd in iis circumſtantiis ſibi imponere voluiſſet. In dubio, an aliquam ſibi impoſuerit, ad nullam tenetur.

5. Sublatâ per diſpenſationem obligatione Voti vitandi culpam, tollitur obligatio ad pœnam, quia obligatio vitandi culpam eſt principalis ; ſublato autem principali, deſinit acceſſorium in eo fundatum, & probabiliter opus non eſt, ut petens diſpenſationem mentionem faciat de pœna.

QUÆSTIO IX.

An, & qualis ſit obligatio Voti dubii? & quomodo interpretanda?

Reſp. Vota dubia interpretanda ſunt ſecundùm ſequentes regulas communiter receptas. 348. *Aſſignantur regulæ.*

ptas. *1ma.* In dubio melior eſt conditio poſſidentis. *2da.* Obligationes gratuitæ ſunt potiùs reſtringendæ, quàm ampliandæ. *3tia.* Præſumitur actus ità confectus, ut ſit minùs, quoad fieri poteſt, oneroſus. *4ta.* Dubius, an plus, an minus debeat, tenetur tantùm ad minus. *5ta.* In obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur, & libertas poſſidet contra majus. *6ta.* Quæ ſunt facti, non præſumuntur. *7ma.* Nemo cenſetur dicere, quod non habet in mente. *8va.* Præſumptio habetur pro veritate, quamdiu non eliditur aliâ majore, vel æquali; definitur enim præſumptio: Probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur: ſi tamen ſciatur veritas, præſumptio cedit veritatem. La Croix n. 381. Unde

349. *Corollaria.* 1. Qui dubitat, an voverit, non tenetur, quia libertas eſt in poſſeſſione contra legem dubiam. Si tamen haberet motivum probabile pro Voto, non verò pro libertate, Votum eſſet in poſſeſſione, adeoque obligaret.

2. Qui aliquid ſtatuit facere, & non ità diu poſt dubitat, an voverit, non obligatur, quia adhuc libertas poſſidet, nec ſolemus facilè oblivîſci magnæ obligationis.

3. Qui vovit, & dubitat, an voluerit ſe obligare, obligatur, quia actus eſt in poſſeſſione, cujus valor præſumitur, donec conſtet de invaliditate, ſique uſus ſit verbis, quæ Votum ſignificant, non cenſetur dixiſſe, quod in mente non habuit. Si autem uſus eſſet verbis indifferentibus ad Votum, & propoſitum, in dubio non tenetur.

4. In dubio, an Votum ſe extendat ad certam materiam, libertas eſt in poſſeſſione.

5. Qui

5. Qui dubitat, an ſciverit, quòd Votum afferat obligationem gravem, ſi habitualiter ſciverit Votum obligare, tenetur ſub gravi ad materiam gravem, quia exercitè ſatis cognovit obligationem gravem, voluitque ſe obligare pro quantitate materiæ. Gobat putat, probabiliter non teneri, quia ſubſtantia Voti necdum videtur poſſidere.

6. In dubio, an tempore voti emiſſi adfuerit uſus rationis, interpretatio facienda eſt ex communiter contingentibus: uti, ſi dubium ſit de voto pueri, ebrioſi, &c.

7. Si puella poſt Communionem dicat: Domine, offero tibi meam virginitatem, vel: Domine, tu mihi ſponſus eris, volo inire Religionem, & poſtea dubitet, an voverit, cùm verba ſint indifferentia, poteſt judicare, ſe propoſitum tantùm habuiſſe. Ubi notandum, quòd rudes quandoque propoſita tantùm fecerint, & tamen poſtea dubitent, an non peccent, ſi ea non ſervent. Vide La Croix n. 366. ubi affert caſum alienum.

8. Si voviſti Jejunium pro certo die, & dubites, an habueris intentionem alio die ſupplendi, ſi iſto negligeres, non teneris ſupplere, quia in dubiis, quod minimum eſt, eligi poteſt.

9. Qui dubitat, an voto ſuo ſatisfecerit, adhuc tenetur, quia votum eſt in poſſeſſione. Quid dicendum, ſi pro ſe habeat prudens motivum, quòd votum impleverit, vide 1. P. n. 186. Ex his facilè judicabis in aliis dubiis.

* * * *

QUÆS-

QUÆSTIO X.

Quibus modis tollatur obligatio Votorum?

350. *Quinque modis.* Reſp. Tollitur 1. Interventu authoritatis humanæ, idque tripliciter, nempe per irritationem, commutationem, & diſpenſationem. 2. Per mutationem materiæ: uti, ſi materia antè poſſibilis, fiat impoſſibilis abſolutè, vel moraliter, aut antè honeſta fiat turpis, vel licita prohibeatur, aut antè bona fiat indifferens, vel impeditiva majoris boni. 3. Si deficiat conditio, à qua votum pendebat. 4. Si ceſſet cauſa finalis voti, cujus impletio habet tractum ſucceſſivum. Non tamen ceſſat obligatio voti præcisè ob difficultates, ex voto poſtea obvenientes, quas ſi vovens prævidiſſet, non voviſſet; ſicut votum non eſt irritum ob circumſtantiam etiam magni momenti rèi promiſſæ intrinſecam ignoratam, ùt docet Cajet. Sanch. Vaſquez, Oviedo apud La Croix n. 379. *Ratio eſt*; quia vovens cenſetur habuiſſe animum ſe obligandi ad omne rei promiſſæ intrinſecum, & ordinariè ex eo ſequi ſolitum. Sic qui vovit caſtitatem, vel profeſſus eſt Religionem, etſi magnam dein ſentiat in obſervatione votorum difficultatem, quâ prævisâ non voviſſet, attamen tenetur votis. Quare debet eſſe mutatio ità notabilis, ut faciat quaſi aliud votum, ad quod voventis intentio prudenter ex circumſtantiis præſumatur ſe non extendiſſe. *Hinc reſolves.*

351. *Corollaria.* 1. Qui vovit caſtitatem, & Religionem, ſi Religionem inire, vel in ea profiteri non poſſit,

poſſit, caſtitatemque voverit dependenter à Religione, ſeu ſervandam in Religione, tollitur obligatio voti caſtitatis. Item, ſi voverit peregrinationem Romam, & ibi donum offerre, ſi donum promiſerit non ſeorſim, ſed dependenter à peregrinatione, ſolvitur votum offerendi etiam, ſi iter Romam fiat ipſi moraliter impoſſibile; quia acceſſorium ſequitur principale. Secus eſſet, ſi iſta ſeorſim voviſſet.

2. Si materia voti fiat impoſſibilis quoad partem tantùm, totaque ſit per ſe intenta, tunc ſi materia illa commodè dividi non poſſit, aut non ſoleat, ceſſat votum: uti, ſi quis vovit ædificare templum, & totum nonpoſſit, ad nihil tenetur; ſi verò dividi commodè poteſt, & ſolet, manet obligatio ad partem poſſibilem. Sic, qui vovit jejunare totâ hebdomadâ, ſi ob aliquid ſuperveniens non poſſit jejunare totâ hebdomadâ, tenetur diebus, quibus poteſt. Item, qui voto obſtrictus caſtitatis inivitMatrimonium, tenetur quidem reddere petenti debitum, non poteſt tamen petere; eatenus enim voti impletio adhuc poſſibilis eſt.

3. Si quis vovit non ludere chartis ob periculum ſeductionis, ceſſante periculo, ceſſat votum.

4. Qui vovit non adire certam domum ob periculum ſeductionis à puella procace, quæ in illa eſt, puellâ illâ abſente, licitè adit domum, redeunte autem illâ, tenetur emanere; quia votum ſuſpenditur tantùm pro tempore abſentiæ. Similiter, ſi votum non ſit affixum certo tempori, & materia fiat impoſſibilis ad tempus, aut impedimentum non ſit perpetuum; tantùm ad tempus ſuſpenditur obligatio voti.

5. Qui

5. Qui vovit Jejunium in pane & aqua, ſi jejunare non poſſit, niſi alio cibo refectus, tenetur jejunare modo ordinario; quia primariò vovit Jejunii ſubſtantiam. Si tamen non voviſſet ſubſtantiam actûs, niſi dependenter ab iſto modo, ùt ſæpe fit, cùm modus notabiliter minuit difficultatem actûs, tum ſi modus ſervari nequit, ceſſat obligatio; quia tunc intentio faciendi actum non eſt abſoluta, ſed cum tali conditione, vel ſub tali modo, quo ſublato ceſſat intentio ſe obligandi, adeoque & obligatio: ùt, ſi quis voviſſet proficiſci Romam equo, vel rhedâ, & neutro modo poſſet, non teneretur ire pedes.

QUÆSTIO XI.

Quænam Vota, & à quibus irritari poſſint?

352. *Quid ſit voti irritatio?* *Nota.* Irritatio voti eſt ſublatio obligationis ejus, facta nomine proprio ab eo, cujus poteſtati ſubeſt voluntas voventis, vel materia voti. Eſt autem duplex: directa, quæ directè tendit in votum, efficitque, ut votum ſit nullum defectu conditionis ad illud requiſitæ, nempe conſensûs illius, cujus poteſtati voluntas voventis ſubeſt. Alia indirecta, quæ tendit tantùm in materiam Voti, alteri ſubjectam, remanente Voto; ſuſpensâ tamen ejus obligatione. Utraque differt à diſpenſatione, quia hæc eſt ablatio obligationis facta nomine alterius, nempe Dei. Hoc *notato*

353. *Irritare poſſunt.* Reſp. 1. Omnia Vota illorum, quorum voluntas ſubjecta eſt alterius poteſtati dominativæ, ab hoc irritari directè poſſunt, ità, ut nec

nec poſtea reviviſcant. Eſt communis, & certa: nam tales ità ſubſunt alteri, ut ſalvo iſtius jure de ſe ipſis diſponere non poſſint. Unde eorum Vota imbibunt hanc conditionem: *Si Superior non contradixerit:* nemo enim poteſt licitè, proinde nec cenſetur velle vovere contra jus alterius. Quare, Superiore nolente ſubditum obligari, corruit obligatio, quia deficit conditio, ſub qua vovit. Quamdiu tamen Superior non contradixerit, Votum ſervari debet: licèt enim non ſit firmum, eſt tamen validum, donec Superior contradicat, ex Cap. *Monacho* 20. qu. 4. ubi Votum à Religioſo, ſine conſenſu Superioris factum, dicitur frangendum, ſeu irritandum, adeoque ſupponitur validum. Proin in hujuſmodi Votis non includitur conditio affirmativa hæc: *Si Superior conſenſerit;* Sed hæc: *Si Superior non contradicat, ſeu, uſque dum contradicat.* Hinc *quibus ſubeſt voluntas voventis.*

Reſp. 2. Vota impuberum, etiam reſervata, & implenda tempore pubertatis, directè irritari poſſunt à patre, & in ejus defectu à tutore, & in hujus defectu ab avo paterno, vel à matre, non tamen ab avo materno; quia ex diſpoſitione Juris Canonici illis ſubeſt voluntas impuberum ob judicii imbecillitatem, ne indiſcretè ſe obligationibus onerent, horumque Vota ex Cap. *Puella* 20. qu. 2. hanc conditionem imbibunt: *Niſi Pater, vel Tutor &c. contradixerit.* Quam conditionem Vota tractu temporis, quia non amittunt, manetque, quòd emiſſa ſint judicio adhuc immaturo; poſſunt etiam tempore pubertatis irritari à patre. An etiam à tutore, dubium eſt. Negat Suar. & alii, quia eo ipſo, quòd pupillus fiat pubes, Tutor fit Curator; Curatori autem non 354. *Voluntas puberum ſubeſt patri, &c.*

ſubeſt

ſubeſt minor quoad ſuam perſonam, ſed Curatori tantùm competit adminiſtratio bonorum. Affirmant probabiliùs Sanch. Layman, Leſſ. Caſtrop. quia Curator ſuccedit patri in gubernatione filii, ideoque etiam indirectè, & ſecundariò gaudet poteſtate gubernandi perſonam: Patet autem validè irritat Votum: ergo & Curator. *Excipe*, niſi Vota dein pubes factus confirmâſſet ſciens, fuiſſe infirma: hæc enim confirmatio eſſet nova Voti emiſſio: intendiſſet enim obligationem firmam. Aliud eſſet, ſi neſciviſſet, eſſe infirma; quia tunc renovatio eſſet tantùm approbatio prioris obligationis.

355. *Voluntas Religioſi profeſſi ſuperiori Religioſo quoad vota, poſt profeſſionẽ emiſſa.*

Reſp. 3. Superiores Religioſorum poſſunt directè irritare omnia Vota à ſuis Religioſis emiſſa poſt Profeſſionem, vel Vota Religioſa, excepto Voto ſtrictiorem amplectendi Religionem; quæ tamen, antequam irritentur, obſervanda ſunt, ſi ſine ſcitu Superioris obſervari poſſint. *Prima Pars* conſtat ex communi DD. ſenſu, & uſu in Religionibus recepto, & ex Cap. *Monacho*. Idque vel ex natura ſtatûs Religioſi, & Voti obedientiæ, per quod Religioſus abdicavit jus omne firmiter ſtatuendi de ſe ipſo, & omnia in Superiorum poteſtatem tranſtulit, ità ut velle & nolle non habeat, ſed ex illius, cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependeat. Cap. 27. *De Electione in 6.* vel hoc provenit ex diſpoſitione Eccleſiæ per uſum Eccleſiæ ſtatuta, quæ ſicut Votis impuberum tum realibus, tum perſonalibus, ſic Votis Religioſorum hanc tacitam conditionem ineſſe voluit: *Niſi Superior contradicat:* ut nempe Religioſi in via ſpirituali meliùs à ſuis Superioribus dirigerentur. *Ratio 2dæ partis eſt;* quia

quia Vota valent, etſi infirma ſint. Porrò Superiores, qui Vota irritare Religioſorum poſſunt, ſunt Generalis, Provincialis, Viſitator, Abbas, Gardianus, Prior, Rector localis, Abbatiſſæ, & Matres Monialium; non tamen Vicarii, Miniſtri, Priores clauſtrales ſub Abbate conſtituti, aliique Vice-Superiores, niſi Rectore, vel Abbate abſente, quia non ſuo, ſed alieno nomine imperant, & ſtrictè Superiores non ſunt.

Dixi: *Vota ab illis poſt Profeſſionem, &c.* Nam emiſſa ab iis in ſæculo, vel in Novitiatu irritare non poſſunt Superiores Religioſi; quia voventes tunc necdum erant ſubditi, nec Vota eorum erant conditionata: poſſunt tamen Vota Novitiorum quoad executionem ſuſpendere, in quantum officiunt exercitiis Novitiatûs. Imò ipſe Novitius poteſt Vota illa in exercitia Novitiatûs, tanquam in evidenter melius, commutare. Expedit tamen tunc certa opera determinare, in quæ commutatio fiat, ne ad omnia opera ex Voto obligatus exponatur ſcrupulis. Novitius verò Religionem deſerens Vota priora tenetur ſervare; quia ſuſpenſio, vel commutatio tantùm facta eſt pro tempore Novitiatûs.

Reſp. 4. Maritus juxta Sanch. Sotum, & 356.
alios probabiliter poteſt directè irritare omnia *An ma-*
Vota uxoris, ſtante Matrimonio emiſſa; quia *ritus vo-*
voluntas ejus videtur perfectè ſubjecta marito *ta uxo-*
ex illo ad Epheſios 5. *Mulieres viris ſuis ſub- ris poſſit*
ditæ ſint ſicut domino. Vir caput eſt mulieris, irritare?
ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Probabilius tamen eſt, quòd maritus non poſſit ulla uxoris Vota directè irritare, ſed indirectè, ſecundùm dicenda, ſolùm illa, quæ præjudicant debito

conjugali, educationi prolium, vel gubernationi domûs; quia tota uxoris ſubjectio fundatur in contractu Matrimonii, eique commenſuratur; ergo Vota uxoris non ſubſunt marito, niſi, in quantum præjudicant prædictis Matrimonii bonis. Neque Papa vota omnium Chriſtianorum, aut Epiſcopus ſuorum ſubditorum Vota poteſt directè irritare; quia non conſtat, illis conceſſam eſſe poteſtatem dominativam in voluntates ſubditorum, nec dare neceſſe fuit: cùm ad regimen Eccleſiæ ſufficiat poteſtas diſpenſandi, vota commutandi, antecedenter irritandi. Poteſt tamen Papa directè irritare Vota à Religioſis poſt ſubſtantialia Religionis vota emiſſa: quia vi voti obedientiæ acquiritur Papæ poteſtas dominativa in eorum voluntates. *Ex his reſolves ſequentia.*

557. *Corollaria.* 1. Nemo poteſt irritare vota ſua; quia nemo, niſi nugatoriè, dicere poteſt: Voveo, vel, obligo me hoc facturum, niſi contradixero, vel revocavero: Obligatio enim continuò pendens à proprio arbitrio nulla eſt.

2. Vota puberis & Religioſi facta in favorem tertii, etiam hoc invito, irritari poſſunt; quia & illa imbibunt hanc conditionem, dum Superior conſenſerit.

3. Superior, irritans votum ſubditi ſine cauſa, validè irritat, peccat tamen probabiliùs venialiter; quia abutitur poteſtate ſuâ, ſubditum à meliori bono ſine cauſa impediendo. Ità Layman, La Croix contra Azor, qui negat peccare. Quòd ſi conſenſiſſet in votum, poteſt tamen adhuc validè irritare; quia per conſenſum non amiſit poteſtatem dominativam, peccaret tamen graviter juxta communem, ſi votum tunc de re gravi ſine cauſa irri-

irritaret; quia conſentiendo illud votum jam fecit ſuum, & poſito conſenſu Deus acceptavit illud. Sed hæ rationes non videntur firmæ: nam potuit conſentire, donec ſibi aliter ſtatuendum videatur: nec apparet, quòd votum fecerit ſuum: poteſt accedente causâ irritare illud; ergo Deus non acceptavit illud omninò abſolutè, ſed, niſi irritetur. Unde docet Illſung, peccare tantùm venialiter; privando voventem ſine cauſa majori bono, & Deum majori obſequio. Quod non videtur grave contra charitatem; cùm poſſit aliis id compenſare, nec ideo vovens prohibeatur exequi opus promiſſum, ſi non præjudicet Superiori, vel rei domeſticæ, aut Religioni; nec videtur grave contra Religionem, tum ob rationem jam datam; tum quia irritato voto obligatio ceſſat. Aliud foret, ſi votum maneret, ſicut manet lex, quando in ea ſine cauſa diſpenſat Superior ſubordinatus, ideoque in ea ſine cauſa diſpenſans peccat graviter: quia, cùm tunc diſpenſatio ſit invalida, eſt cauſa tranſgreſſionis illius legis adhuc permanentis. *Confirmatur.* Qui in ſua lege ſine cauſa cum ſubdito diſpenſat, peccat tantùm venialiter, quia temerè tollit legem; ergo à pari.

4. Vota emiſſa ex licentia Superioris ſubordinati poſſunt irritari à Superiore alteriore, non contrà; quia hujus voluntati tenetur ſubditus, & Superior ſubordinatus ſe conformare.

5. Vota emiſſa à Religioſo tempore ſubjectionis non poſſunt irritari à Superiore, cui non amplius ſubeſt; quia ceſſat poteſtas.

6. Vota emiſſa cum licentia Superioris poſſunt ab eodem irritari, niſi fortè renuntiaverit juri, quod habebat in rem promiſſam, aut promiſſione

miſſione ab altero acceptatâ, ſe obligârit non revocare: tum enim res eſſet facta juris alterius. Item irritare poteſt vota, facta cum conſenſu Superioris, alius Superior æqualis poteſtatis; quia non ideo privatur hic ſuo dominio in voventem. Econtra vota realia cum Superioris conſenſu emiſſa, & ad hæredem translata, non poſſunt ab ullo Superiore irritari; quia poſt mortem voventis nec hic, nec res promiſſa manet ſub dominio Superioris.

7. In dubio, an Votum ſit irritabile, vel emiſſum, aut confirmatum extra tempus ſubjectionis, adhuc poteſt Superior irritare; quia nullum Votum debet ejus poteſtati, quam poſſidet, ſubtrahi; niſi certò conſtet, ſub ea non contineri.

8. Votum non utendi irritatione, vel diſpenſatione, etiam irritari poteſt. Quòd ſi quis voviſſet, nullo caſu uti tali facultate Votum eſſet irritum; quia ſæpe meliùs eâ uti, quàm non uti, adeoque Votum hanc imbibit conditionem, niſi meliùs fuerit uti. Denique, qui vovit, manentibus his circumſtantiis, non petere diſpenſationem, poteſt petere irritationem, aut commutationem; niſi mens fuiſſet in his nullam petere liberationem à Voto; hoc enim caſu, ſi peteret peccaret: irritatio tamen eſſet valida.

358. *Quis poſſit indirectè irritare vota?* Reſp. 5. Vota, quorum materia eſt alteri ſubjecta, ab eo poſſunt indirectè irritari, ſeu poteſt eorum executio ſuſpendi, etſi ante ſubjectionem facta fuerint. *Ratio eſt*; quia hoc ipſo, quòd alteri res, vel actio promiſſa ſubjiciatur, executio fit illicita, ſi is contradicat. Unde vovens licitè non poteſt, nec cenſetur promittere in alterius præjudicium etiam futurum Hinc 1. Poteſt pater irritare indirectè Vota

pu-

puberum filiorum, quæ obſunt diſciplinæ, & convenienti gubernationi domûs v. g. Votum abſtinendi perpetuò à carnibus, Votum peregrinandi, &c. At vota puberum, quæ nullatenus ejus poteſtati officiunt, irritare non poteſt: ùt ſunt Vota caſtitatis, Religionis, dicendi certas preces, pauperibus ex bonis caſtrenſibus, &c. ſubveniendi, quæ ſine diſpendio domûs perſolvi poſſunt.

2. Maritùs poteſt indirectè irritare Vota uxoris, quæ officiunt uſui Matrimonii, prolis educationi, & gubernationi familiæ: ùt ſunt Vota peregrinandi, ſæpius jejunandi, &c. non tamen alia, quæ iis non obſunt; ùt Votum continentiæ poſt obitum mariti, Votum dicendi quotidie breves certas preces. Sic & uxor irritare indirectè poteſt Vota mariti, quæ obſunt vitæ ſociali, & moderato uſui Matrimonii. An conjux unus poſſit irritare, alterius Votum de non petendo debito conjugali, dubium eſt. Negat Illſung; quia neutri competit jus obligandi ad petendum, ſed tantùm ad reddendum. Probabilis eſt etiam ſententia oppoſita; quia unus poteſt obligare alterum, ne ſe reddat inhabilem ad petendum, eò quòd inde naſceretur grave onus, & moleſtia in Matrimonio. At, licèt hoc verum eſſe poſſit reſpectu uxoris verecundæ, non tamen reſpectu viri. Imò & probabiliùs nec reſpectu uxoris: ſi enim ſciat, virum non poſſe petere, eò liberiùs ad ipſi gratificandum petet, quod facilè levi indicio poterit. Cæterùm hoc Votum conjugibus, niſi ſenes ſint, diſſuadendum eſt. Quòd ſi uxor & vir mutuo conſenſu voviſſent caſtitatem, ceſſiſſent juri ſuo, & Votum irritare non poſſent. Idem eſſet, ſi unus alteri

ſimpliciter licentiam dediſſet vovendi caſtitatem: tunc enim debitum nec petere poſſet. Secùs foret, ſi permiſiſſet tantùm reſervando ſibi jus ſuum.

3. Heri poſſunt ſuſpendere executionem Votorum famuli & ancillæ, quatenùs impediunt, vel minuunt obſequium debitum; non verò ea, quæ non obſunt illi.

359. *Vota indirectè irritata non ſunt extincta* *Nota.* Etſi Vota directè irritata non reviviſcant, quia eorum obligatio, deficiente conditione, extincta eſt; Vota tamen indirectè irritata reviviſcunt, ſeu pergunt obligare, ubi materia alteri deſinit eſſe ſubjecta; quia obligatio tantùm fuit ſuſpenſa propter materiam voventi illicitam contra jus alterius. Sic uxor, quæ ſine conſenſu mariti continentiam vovit, poſt hujus mortem nubere licitè non poteſt. Et idem eſt de Votis aliis ipſius, quæ tempori ſubjectionis non ſunt affixa.

QUÆSTIO XII.

Quinam poſſint diſpenſare in Votis?

360. *Quæ & qualia vota ſint Papæ reſervata?* *Nota.* Vota Papæ reſervata præter ſolennia ſunt quinque, nempe 1. Caſtitatis perpetuæ. 2. Votum ingrediendi Religionem approbatam. 3 Peregrinandi Jeroſolymam. 4. Ad limina Apoſtorum. 5. Peregrinandi ad S. Jacobum Compoſtellam. Quæ tamen, ut reſervata ſint, debent eſſe abſoluta, omninò libera, perfecta, graviter obligatoria, & certò valida.

Unde non reſervatur 1mò Votum emiſſum ex metu etiam levi tantùm, injuſtè incuſſo; quia non eſt perfectè liberum. 2. Votum emit-

emittendi votum reſervatum v. g. Religionis, ſacros Ordines ſuſcipiendi. 3. Conditionatum: v. g. voveo Religionem, ſi convaluero; quia cùm principaliter moveat neceſſitas corporis, non eſt plenè voluntarium, nec fit reſervatum, etſi conditio impleatur, ùt habet communis; imò, licèt poſtea fuiſſet confirmatum: niſi tamen novum votum independenter à priori fuiſſet emiſſum. 4. Pœnale: v. g. voveo Religionem, ſi adhuc ſemel me inebriavero; quia non eſt votum perfectum: nam propriè non eligit Religionem, ſed eam potiùs refugit, velut pœnam ebrietatis, à qua, metu Religionis, vult ſe deterrere. 5. Si directè non tendat in virtutem, ad quam pertinet materia voti: ut, ſi quis in periculo, v. g. naufragii voveat caſtitatem. 6. Disjunctivum, cujus altera pars reſervata non eſt: v. g. voveo peregrinari Romam, vel jejunare per menſem. Secùs, ſi utraque pars eſſet reſervata. 7. Emiſſum cum animo ſe tantùm obligandi ſub veniali. 8. Dubium, an ſit reſervatum, ſive ſit dubium facti, ſive juris. *Ratio horum eſt*; quia reſervatio eſt odioſa: odioſa autem ſunt reſtringenda. Hinc, ut votum caſtitatis ſit reſervatum, debet eſſe non tantùm perpetuum, ſed etiam omnimodæ caſtitatis in & externæ, tam in, quàm extra Matrimonium. Ut reſervatum ſit votum peregrinationis &c. debet eſſe devotionis causâ factum.

Porrò diſpenſare in votis eſt, promiſſa Deo, nomine ipſius remittere. Hinc diſpenſatio in voto eſt abſoluta condonatio rei, vel actionis Deo promiſſæ, facta nomine & vice Dei à Superiore tanquam ejus Vicario. *Quid ſit diſpenſare?*

361. *Diſpenſare in omnibus poteſt Papa.* Reſp. 1. Poteſt Papa ex juſta cauſa diſpenſare in votis cum omnibus Fidelibus, juxta illud Matthæi 16. ad Petrum, ejusque Succeſſores : *Tibi dabo claves regni Cœlorum ; quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Quæ verba intelligenda eſſe de omni vinculo, voluntariè ab hominibus contracto: declarat perpetua praxis Eccleſiæ, exigebatque neceſſitas Fidelium, & bonum commune, hanc poteſtatem eſſe Capiti Eccleſiæ, Chriſti Vicario ; cùm diſpenſatio ſæpe ad ſupernaturale bonum animarum ſit aut neceſſaria, aut valde expediens. Dixi : *Ex juſta cauſa*; ſine cauſa enim diſpenſans in voto materiæ gravis, peccaret mortaliter, eſſetque diſpenſatio invalida ; quia in re gravi arrogaret ſibi poteſtatem, quam non habet : Deus enim non dedit poteſtatem hominibus vota, & juramenta ſibi facta ſine cauſa relaxandi ; cùm talis relaxatio ſit irrationabilis, honorique Dei & bono animarum contraria.

Cauſa diſpenſandi. Cauſæ autem diſpenſandi ſunt honor Dei, utilitas Eccleſiæ, bonum commune Reipublicæ, utilitas ſpiritualis voventis, periculum morale ex fragilitate ſæpe violandi votum, perturbatio animi, notabilis difficultas ſuperveniens exequendi votum, aliaque id genus. Generatim cauſæ diſpenſandi in votis dici poſſunt : Neceſſitas, Pietas, Utilitas ſpiritualis. Quando cauſa eſt dubiè ſufficiens, miſcenda eſt commutatio in aliquod opus pium.

362. *In non reſervatis diſpenſare poſſunt Epiſcopi* Reſp. 2. In votis non reſervatis poteſtate ordinariâ cum ſuis ſubditis ex juſta cauſa diſpenſare poſſunt Epiſcopi, juxta illud Matth. 18. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis* ; conſtatque ex perpetua praxi Eccleſiæ. Et *Ratio eſt*; quia illa poteſtas ad

ad regimen ſpirituale Epiſcopo neceſſaria eſt. Idem dic de habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

363. *Religioſi mendicantes, quibus communicatur facultas*

Reſp. 3. In omnibus non reſervatis diſpenſare poſſunt Religioſi mendicantes poteſtate delegatâ, quibus à ſuis Superioribus hæc poteſtas communicata eſt, ſed pro foro conſcientiæ tantùm; attamen etiam extra Confeſſionem, & cum abſentibus. Non poſſunt tamen ſuam poteſtatem alteri ſubdelegare, ùt poſſunt Epiſcopi; quia ordinariam non habent, quam habent Epiſcopi pro ſuis Diœceſanis, quæ proinde ultro eos ſe non extendit, nec hi agunt nomine Summi Pontificis, ùt Religioſi privilegiati, qui ideo poſſunt diſpenſare cum omnibus Fidelibus, undecunque ad ſe recurrentibus.

364. *Item Prælati regulares exempti cum ſuis*

Reſp. 4. Prælati Regulares exempti poſſunt diſpenſare cum ſuis Religioſis, poteſtate, ſi non ordinariâ, ſaltem ex conſuetudine, delegatâ. Nec hæc poteſtas ſuperflua eſt ex eo, quòd ſuorum Vota poſſent irritari, ſi emiſſa ſint poſt Vota religioſa; ſi autem ante, quòd extinguuntur per Profeſſionem: nam irritari non poſſunt Vota tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem, nec Vota Novitiorum. Abbatiſſæ tamen, etſi poſſint Vota ſuarum irritare, poteſtate dominativâ ex Voto obedientiæ ortâ, diſpenſare non poſſunt; quia non habent juriſdictionem ſpiritualem, deſcendentem à clavibus. Nec in Votis diſpenſare poſſunt Paſtores poteſtate ordinariâ: quia non habent juriſdictionem pro foro externo, quæ ad diſpenſandum poteſtate ordinariâ requiritur.

365. *Quando Epiſcopi poſſint diſpenſare in Votis reſervatis Papæ.* Reſ. 5. Non poſſunt quidem Epiſcopi in Votis reſervatis Pontifici diſpenſare, per ſe loquendo, quoad ſubſtantiam; poſſunt tamen aliquando ex accidenti: uti, ſi urgeat gravis neceſſitas, v. g. ſi ſit periculum incontinentiæ, ſcandali, aut matrimonium ſine gravi ſponſæ, vel ſponſi, eorumque familiæ dedecore non poſſit differti; ſi deflorata ſit diffamanda, & proles habenda illegitima, niſi pater moriturus, matrem mediante diſpenſatione ducat &c. Ratio eſt: nam præſumi non poteſt, quòd Pontifex poteſtatem diſpenſandi, conceſſam à Deo in bonum animarum, velit tunc eſſe reſtrictam, ſibique ſoli competere. Quare poteſtas diſpenſandi tunc eſt Epiſcopis quaſi ordinaria: quia aut Vota tunc non ſunt reſervata, aut poteſtas per conſuetudinem competit illis vi officii. Ex quo Reiffenſtuel, & Leurenius q. 905. infert, poſſe etiam in tali caſu mendicantes privilegiatos in iis Votis diſpenſare: eò quòd ex privilegio poſſint, quod poſſunt Epiſcopi quoad Vota poteſtate ordinariâ. Verùm negat id teſte La Croix N. 503. communiſſima. Ubi & adverte, non plus poſſe Epiſcopos, quàm præſens neceſſitas exigit.

366. *Diſpenſans in Voto caſtitatis, non diſpenſat ultra meritũ cauſæ.* Hinc licèt diſpenſent in ordine ad contrahendum matrimonium; manet obligatio vitandi reliqua peccata contra caſtitatem, etiam vi Voti. Imò nec Pontifex diſpenſans in Voto caſtitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, tollit Votum quoad alia, aut in ordine ad ſecundam uxorem ducendam, ſi prior uxor moriatur, & ob hanc ſit diſpenſatio facta; quia deeſt cauſa. Vide 1. p. n. 249 Vota reſervata, ab impubere emiſſa, poſſunt irritari ab habente poteſtatem dominativam in voventem.

tem. Dixi ſupra : *Quoad ſubſtantiam :* nam in circumſtantiis diſpenſare Epiſcopi poſſunt, v. g. itineris Romam.

QUÆSTIO XIII.

Quinam poſſint commutare Vota, ſeu materiam Voti in aliam ſub eadem obligatione, & quo modo?

Reſp. 1mò. Quilibet poteſt vel ad tempus, aut unum actum, aut etiam in perpetuum privâ authoritate commutare Voti ſui materiam in aliam probabiliter, aut ſaltem evidenter meliorem ſub eadem obligatione executioni mandandam, idque ſine alia cauſa, modò ab Eccleſia non prohibeatur ſpecialiter, nec cedat commutatio in præjudicium tertii : uti enim dicitur *Cap.* 5. *de Jurejurando.* promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat. Ratio autem eſt : quia debitum materiæ minùs bonæ abunde & perfectè ſolvitur Deo per materiam meliorem, quæ ſemper eſt Deo gratior, & continet abundanter minus bonum ſaltem relatè ad finem Voti, qui eſt obſequium præſtare Deo. Dein Deus à nobis deſiderat fieri, quod melius eſt, ergo hoc rectè cenſetur acceptate pro minus bono. Sic Votum recitandi ſeptem Pſalmos commutari poteſt à vovente in votum audiendi Sacrum. 367. *Poteſt vovens mutare in bonum melius.*

Dixi 1mò. *Modo non prohibeatur* : Nam Suar. Sanch. Layman excipiunt Vota Papæ reſervata, eò quòd iſtorum commutationem ſibi reſervârit, niſi fiat commutatio in ſtatum religioſum. Dixi 2dò. *Nec cedat in præjudicium tertii* : Nam licèt Vota, in favorem ter-

tii

tii facta, nondum acceptata commutari poſſint, ubi tamen acceptata fuerint, ſine ejus conſenſu non poſſunt, quia alter jam Jus acquiſivit; quo invitus privari non debet, niſi bonum commune aliud exigat, aut promiſſio injuſto metu, aut dolo eſſet extorta.

368. *Corollaria.* Ex his reſolves: 1. Perſonalia Vota omnia commutari poſſunt propriâ authoritate in Votum religionis, quia de bono evidenter meliori: quanquam, ſi quis poſtmodum non poſſit religionem ingredi, Vota dein reviviſcant; quia commutatio, propriâ authoritate facta, non omninò tollit, ſed ſuſpendit priorem obligationem uſque ad executionem poſterioris Voti. Imò omnia Vota antecedentia, tam realia, quàm perſonalia per profeſſionem religioſam extinguuntur ex diſpoſitione Juris, etſi vovens de eo non cogitâſſet; quia profeſſio, quâ vovens totum ſe Deo conſecrat, eſt perfectiſſima ſolutio omnium Votorum antecedentium, quam impedire non poteſt voluntas profitentis. Excipe iterum Vota in favorem tertii, vel Eccleſiæ facta, & acceptata; quia Jus quæſitum alterius profeſſione non extinguitur. 2. Poſſunt quoque Vota ante, & in Novitiatu emiſſa commutari in Vota ſimplicia Societatis JESU; quia & hæc ſunt de bono meliori, & dirimunt matrimonium. Si tamen quis cum culpa dimitteretur à Societate, priora Vota reviviſcerent; quia non impleviſſet conditionem. Secus ſi ſine culpa dimitteretur, quia perſeveraret, & impleret conditionem, quantum in ſe eſt. Quòd ſi priora Vota non eſſent à te, vel Superiore commutata, etſi ſine culpa dimittaris, reviviſcent; quia Vota ex jure extinguuntur per ſolam profeſſio-

Profeſſio in religione extinguit omnia vota antecedentia, non facta in favorẽ tertii.

feſſionem, non verò per Vota ſimplicia, ſed per hæc ſolùm ſuſpenduntur. 5. Ut Voti materia propriâ authoritate commutari poſſit in tantùm probabiliter melius, requiritur ſaltem certitudo, quòd ſit æquale. Ità Suar. Sanch. Caſtrop. quia aliàs incertum eſt, an obligatio prior, quæ eſt in poſſeſſione, ceſſet. Putat tamen Illſung, id non requiri; quia, uti alia præcepta non requirunt plus, quàm ut iis probabiliter ſatisfaciam, ſic nec Votum.

369. *Quid cenſeatur bonum melius?*

Porrò melius cenſetur, quòd ſpectatis omnibus eſt Deo gratius: tale autem eſt non ſemper id, quod ſecundùm ſe præſtantiùs eſt; ſed quod ſaluti voventis magìs expedit, cupiditates efficaciùs coërcet, & voluntatem Deo perfectiùs ſubjicit Sic, licet oratio, utpote actus religionis, ſit abſolutè melior, quàm Jejunium, non licet tamen hoc propria authoritate commutare in illam; quia hìc & nunc poteſt Jejunium eſſe Deo gratius, utpote utilius ad bonum ſpirituale hujus hominis. Hinc Authores notant, communiter in commutatione attendendum eſſe, quid magìs conducat ad finem Voti, ùt, ſi factum ſit ad mortificationem, ad honorem B. V. &c. quid magìs ad illos fines conducat: ſi ad ſatisfaciendum pro peccatis; quid ſit majoris efficaciæ. In dubio, an opus ſit meliùs, juxta communiorem requiritur authoritas Superioris. *Cap.* 1. *de Voto.*

370. *Non poteſt vovens mutare in minus, imò*

Reſp. 2. Non poteſt propriâ authoritate mutari Votum validè in opus minùs bonum: Imò probabiliùs nec inæquale. Ratio primæ partis eſt: quia tunc intervenire debet partialis diſpenſatio, ad quam opus eſt poteſtate Eccle-

nec in æquale juxta probabiliorem. Eccleſiaſticâ : tunc enim res promiſſa non redditur æquivalenter. Ratio 2dæ partis eſt ; quia, ut res non debita ſolvatur pro debita, requiritur conſenſus creditoris, ſaltem præſumptus, qui hìc non conſtat, ſicut, quando commutatio fit in melius. Addit La Croix : hoc ipſo, quod aliquid ſit Voto promiſſum, habet honeſtatem objectivam religioſæ fidelitatis, & cenſetur meliùs, quàm alterum liberum ſecundùm ſe tantùm æquale. Sed hæc ratio videtur exigui momenti : nam æquè multùm ad finem Voti, & cultum Dei conducit alterum æquale : imperatur enim non minùs ab affectu religionis, & ad id eſt obligatio, niſi ad priùs redire velit; ſicut eſt obligatio ad melius, in quod Votum commutatum eſt. Dein, ſi ratio illa valet, ergo ſuperior, qui diſpenſare non poteſt, nec Votum poterit commutare in opus æquale : quia, licèt obligationem transferat, tamen liberum manet voventi, redire ad prius, adeoque non obligatur, niſi ſub disjunctione ad alterutrum. Unde ſententia, quam tenent multi apud Caſtrop. D. 2. P. 15. N. 4. quos ſequitur Sporer Tr. 3 Cap. 3. N. 122. aſſerens, poſſe privatâ authoritate mutari opus Voto promiſſum in evidenter omninò æquale, probabilis eſt, & Sporer ait, opus, quod ſubſtituitur fieri obligatorium ex virtute religionis, adeoque æquale; quia, cùm Deus tantùm ſpectet cultum ſuum, bonumque ſpirituale animarum ; prudenter videtur præſumi poſſe, quòd permittat poni æquivalens.

371. *Potens diſpenſare poteſt mutare in minus bonum.* Reſp. 3. Vota commutare in bonum minus, & æquale, ex cauſa poſſunt imò, qui in iis poſſunt diſpenſare ; tum quia, qui poteſt plus,

plus, poteſt etiam minus in eodem genere: tum quia qui poteſt remittere totum debitum, poteſt & remittere ſub conditione dandi aliud.

2. Commutare inæquale poſſunt, qui gaudent privilegiis mendicantium Regularium: Nam Paulus III. poteſtatem commutandi Vota non ſervata dedit Confeſſariis Societatis JESU in Bullâ: *Dilecti Filii.* 5. Junii 1546. & conſequenter eandem habent alii Religioſi, qui cum iis gaudent communicatione privilegiorum. Vi Bullæ hujus tamen diſpenſare in Votis non poſſunt, unde nec ea mutare in minus bonum; quia poteſtas diſpenſandi major eſt. Dixi: *Ex cauſa*; Nam nullus poteſt mutare Vota licitè, aut validè in opus minus, aut æquale bonum ſine rationabili cauſa; quia, licèt Deus, poſtulante ſic utilitate animarum, dederit poteſtatem commutandi Vota, nulli tamen eam dedit id faciendi ſine rationabili cauſa, quia conceſſio eſſet irrationabilis. Quare, ſi mutatio fiat in minus, requiritur cauſa ad diſpenſandum in parte ſufficiens: ſi fiat in æquale, ſufficit minor, v. g. major devotio ad illud æquale præſtandum: tunc enim tantùm fit translatio obligationis in æquale; ſi tamen ſuperior proceſſerit bonâ fide, putans eſſe cauſam juſtam mutandi in æquale, commutatio valet, licèt cauſa talis non ſit; quia bona fides Superioris eſt pro cauſa, nec debet credi Deus eſſe rigidior exactor. In Jubilæo ſufficit cauſa, ob quam Papa dat facultatem commutandi, eſtque ordinariè generalis cauſa boni communis, quæ ſufficit ad commutationem æqualem. Etiam extra Jubilæum ſufficit æqualitas moralis, & bonâ fide exiſtimata: nimis enim difficile eſt, & moraliter

Et privilegiatis in æquale ex cauſa juſta.

ina-

impoſſibile, mathematicè attingere æqualitatem.

372. *An materia ſubrogata determinatè ſubſtet obligationi?*

Superior, ex authoritate Eccleſiaſticâ mutans Vota transfert obligationem ad materiam ſubrogatam. Unde ſi hæc fiat impoſſibilis, ceſſat obligatio, nec tenetur ad priorem redire; contra mutans Votum privatâ authoritate, juxta La Croix non transfert obligationem ad materiam ſubrogatam, adeoque, ſi hæc fiat impoſſibilis, vel inutilis, tenetur redire ad priorem. In utroque tamen caſu licet redire ad prius: quod certum eſt, ſi propriâ authoritate mutaretur. Licet autem in commutatione Voti authoritate Eccleſiæ factâ ſic extinguatur prius Votum, tamen ex benigno, & interpretativo conſenſu Eccleſiæ, poteris, ſi velis ad illud redire, loco materiæ ſubrogatæ; quia commutatio videtur facta in tuî favorem, ut materiam ſubrogatam expleas, ſi nolis priorem. Ità Leſſ. Laym. Sporer. Negat tamen id Suar: Sanch. ſi materia ſubrogata ſit melior: eò quòd commutatio ſit facta in favorem Dei, jamque ſit obligatio ad id, quod eſt Deo gratius, & voventi utilius. Sed hanc limitationem alii non admittunt.

373. *Quæ in commutatione voti ſint conſideranda?*

Reſp. 5. Pro praxi in commutatione Votorum conſideranda ſunt ſequentia: 1mò. Materiæ ſubrogatæ major dignitas relatè ad materiam Voti. 2. An opus ſubrogandum ſit melius voventis ſpirituali bono. 3. Expendenda difficultas explendi rem promiſſam, & rem ſubrogatam. Hinc in Voto peregrinationis mutando pericula, labor, expenſæ faciendæ in itu & reditu computati debent. Poterunt tamen detrahi expenſæ, quas peregrinaturus domi eſt facturus. 4. Votum reale po-

poterit commutari in perſonale, & contra. 5. Si dilatio nihil minuit de Voto, nec multùm intereſt, an impleatur die deſtinatâ, modicâ commutatione ſuppleri poteſt. 6. In Voti pœnalis commutatione conſiderari debet & pœna, & res promiſſa; ante tamen tranſgreſſionem non debet computari tota pœna. 7. Votum factum, v. g. in favorem Eccleſiæ, antequam ab ea ſit acceptatum, probabiliter poteſt commutari in aliud, quod non eſt in favorem ejus. 8. Votum reale, quod tranſit ad hæredes, non poteſt commutari; quia hæres non tenetur ex Voto, ſed quaſi contractu: ut, ſi voviſti aliquem mittere Lauretum, hoc Votum, cùm reale ſit, te mortuo non poſſunt per commutationem hæredes liberari. 9. Vota commutari non poſſunt, niſi petente & volente Authore Voti; quia hic debet acceptare materiam ſubrogandam.

Secundùm has regulas viri docti dant hæc exempla: 1mò. Mutari poteſt Votum peregrinationis unius diei pedeſtris in Jejunium unius diei, & expenſas pio operi applicandas; equeſtris verò quatuor, vel quinque dierum in Jejunium unius diei, & ſimiliter in expenſas quæ faciendæ fuiſſent. 2. Jejunium unius diei in unam Confeſſionem: Jejunium in pane & aqua in unam Confeſſionem & Communionem. 3. Votum non fornicandi, non ſe polluendi, in Confeſſionem menſtruam per totam vitam, ſi fuit valde utile ad coërcendam carnem; aliàs in Confeſſionem menſtruam per triennium, aut etiam Roſarium in ſeptimana ſemel recitandum. 4. Votum non nubendi in Confeſſionem, & Communionem menſtruam, vel per totam vitam, vel ſaltem 374. *Exempla commutationis.*

quamdiu erit in matrimonio. 5. Votum non peccandi mortaliter, vel venialiter planè deliberatè in Confeſſionem, vel Communionem menſtruam per vitam. 6. Jejunium omni Sabbato in Confeſſionem, & Communionem 15. quoque die. 7. Recitatio quotidiana Roſarii in Confeſſionem hebdomadariam: Votum quotidie dicendi Officium majus B. V. in Communionem & Confeſſionem hebdomadariam, vel quotidianam Miſſam flexis genibus audiendam. Vide Tamb. §. 6. à N. 11. Gobat de Jubilæo. à N. 324. Sporer à N. 126. Lohner, & alios.

375. *Non fiat in opera aliunde debita.* Cæterùm commutatio Votorum non poteſt fieri in opera, ad quæ aliunde gravis eſt obligatio; ſæpe tamen expedit commutare in opera, quæ vovens ſolet ex devotione facere, ſi periculum ſit transgreſſionis; quia illa alacriùs & conſtantiùs peraget.

CAPUT V.

De cultu Dei per ſtatum, & Vota religioſa.

Status in genere definitur: naturæ rationalis ſtabilis permanentia, legibus divinis firmata.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Status Religioſus?

376. *Status religioſi eſſentia.* Reſp. Status religioſus eſt ſtabile inſtitutum ab Eccleſia approbatum, tendens ad perfectionem

nem Chriſtianam per tria Vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetua, quibus homo ſe, ſuaque omnia Deo conſecrat, in perpetuum holocauſtum; unde ad ejus eſſentiam requiruntur non tantùm tria illa Vota, quæ ſubſtantialia vocantur, ſed etiam ut inſtitutum à Papa ſit approbatum, homoque per Vota ſe ſuperiori Ordinis religioſi tradat irrevocabiliter, ſaltem ex parte ſua, iſque traditionem acceptet.

QUÆSTIO II.

Quotuplicia ſint Vota religioſa?

Reſp. Vota religioſa alia ſunt ſolennia, quæ fiunt cum certa ſolennitate ab Eccleſia inſtituta; alia ſunt ſimplicia, quæ fiunt ſine tali ſolennitate: qualia emittuntur poſt biennium Novitiatûs in Societate JESU à Scholaſticis &c. Solennitas in eo conſiſtit, ut vota emittantur non tantùm ſub certa regula, â Sede Apoſtolica approbata, ſecundùm ritum ſubſtantialem, in ea regula præſcriptum; ſed etiam ùt vovens ſe tradat in perpetuum, ſuperiorque eum recipiat pariter in perpetuum indiſſolubiliter. In ſimplicibus autem ſuperior quidem recipit voventem, ſed reſervat ſibi poteſtatem Vota diſſolvendi, ſi juſta cauſa ſuperveniat. 377. *Solennia & non ſolennia.*

Vota autem ſimplicia conſtituere poſſunt Religioſos, ùt nunc certum eſt ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Aſcendente Domino*: In hac enim definiit Pontifex eos, qui in Societate JEſu emiſerunt Vota ſimplicia, eſſe verè & propriè Religioſos, prohibetque ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, de eo contro- 378. *Vota ſimplicia verè religioſum poſſunt conſtituere.*

trovertere quovis quæſito colore. Suam definitionem fundat *in Cap. unico de Voto, & Voti redemptione in* 6. ubi Papa Bonifacius III. ait: *Voti Solemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa,* Unde inquit Greg. Cùm Votorum ſolennitas ex conſtitutione Eccleſiæ inventa ſit, potuit Eccleſia eos admittere, & de facto admiſit tanquam veros Religioſos, ſeclusâ illâ ſolennitate. Et ratio à priori eſt; quia per Votum obedientiæ vovens ſe perpetuò ex parte ſua tradit religioni, ſicque acceptatur. Per Votum caſtitatis conſecrat corpus Deo, non minùs, quàm per Profeſſionem. Per Votum paupertatis, etſi non abdicet Dominium temporalium, interdicit tamen ſibi omnem uſum & diſpoſitionem ſine licentia Superioris, hocque, quantum ex ſe, in perpetuum. Eſtque hoc ſolum diſcrimen inter Vota illa, & ſolennia, quòd hæc perpetua ſint, & indiſpenſabilia, etiam ex parte cujuſcunque recipientis (niſi fortè gravis admodum extraordinaria cauſa accedat, tunc enim Papam poſſe diſpenſare probabilius eſt) reddantque voventem incapacem omnis dominii rerum temporalium; Vota autem ſimplicia compatiantur Dominium, ſed ſine uſu, & diſpoſitione arbitraria, & facultatem in ſuperiore relinquant ex juſta cauſa Vota diſſolvendi.

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur ad validam Profeſſionem?

379. *Requiſita ad Profeſſionem.*

Reſp. Ad validam Profeſſionem tres requi-

quiruntur conditiones : una ex parte voventis, ut nempe baptizatus, & ſui juris, annum 16. ætatis compleverit . ſteteritque cum religioſo habitu per annum integrum in probatione, & nullum habeat impedimentum, quod per ſtatuta, à Pontifice approbata, in illo ordine cenſeatur eſſentiale. Altera ex parte ordinis : ut nempe hic conſentiat in Profeſſionem, & voventem recipiat, ſibique incorporet. 3. Ex parte Profeſſionis ? ut ſcilicet ſit ſpontanea, nullo gravi metu, aut fraude extorta.

QUÆSTIO IV.

Qui ſint effectus Religioſæ Profeſſionis ?

Reſp. Effectus Profeſſionis Religioſæ ſunt ſequentes : 1mus. Vi illius tranſit Religioſus in dominium juriſdictionis, & poteſtatem religionis, religio autem viciſſim obligatur eum alere, & gubernare. 2dus. Remittitur omnis pœna, culpis jam remiſſis adhuc debita, ità, ut à PP. Baptiſmo comparetur; quia homo per Profeſſionem ſe, , omnemque ſuam vitam Deo conſecrat, ſeque ad ſingulare obligat perfectionis ſtudium. Atque hi duo effectus conveniunt etiam votis ſimplicibus Religionis, imò juxta Laym. & Caſtrop. 2dus etiam eorum renovationi. 3tius. Extingüit omnia Vota, ante emiſſa. *Cap. Script. de Voto,* 4tus. Aufert irregularitatem ex natalibus ortam relatè ad ſacros ordines, non tamen ad Prælaturas, nec irregularitatem ex aliis capitibus ortam. 5tus Irritat matrimonium contrahendum, & contractum non conſummatum.

380. *Effectus Profeſſionis.*

QUÆSTIO V.

An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in Votis Religioſis ?

381. *Papa poteſt in votis etiam ſolennibus diſpenſare.* Reſp. Poteſt diſpenſare in Votis Religioſis etiam ſolennibus, ùt habet communis contra Thomiſtas: quia, ſicut ſolennitas ab Eccleſia inducta eſt, ſicut & ex graviſſima cauſa tolli poteſt; per conſeqnens, & vota non ſecus ac alia perpetua, votumque ſolenne perpetuæ caſtitatis ſacris ordinibus annexum, quod à Pontifice relaxari poſſe fatentur Thomiſtæ. Confirm. Sancti Pontifices ſæpe in iis votis diſpensârunt, ùt conſtat ex P. 1. N. 99. ergo dicendum eſt, poſſe diſpenſare.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſint obligationes Religioſorum ?

382. *Obligationes Religioſorum.* Reſp. Obligationes Religioſorum ſunt ſequentes: 1ma. Tenentur tendere ad perfectionem: debent enim vivere convenienter ſuo ſtatui, inſtituto, & maximè idoneo ad perfectionem conſequendam; ergo tenentur tendere ad perfectionem. 2da. Ex voto paupertatis tenentur nullam rem temporalem pretio æſtimabilem ſine ſui Superioris licentia accipere, acceptare, retinere, abſumere, deſtruere, permutare, commodare, donare, aut quovis modo alienare. 3. Vi voti caſtitatis tenentur abſtinere ſub mortali non tantùm à conjugio, ſed ab omni actu etiam interno venereo, ità, ut contrà facientes juxta Commu-

muniorem ſe ſacrilegii reos conſtituant. 4
Vi voti obedientiæ tenentur imprimis obedire Superiori, legitimè præcipienti; quia per illud ſe ſubjecerunt ejus poteſtati tum Juriſdictionis, quam habet quaſi Epiſcopalem à Papa Chriſti Vicario, tum dominativæ, quam habet, ùt Paterfamilias ad politicam gubernationem domûs. Hâc utrâque poteſtate poteſt Religioſis ſuis præcipere, eoſque obligare.

QUÆSTIO VII.

Quæ poſſit Superior Religioſus ſuis præcipere?

Reſp. Poteſt ſuis Religioſis præcipere, non tantùm quæ continentur in regula, etſi ſub peccato non obligante; ſed etiam moraliter neceſſaria ad cavendum peccata, ad ſervandum vota, regulas inſtituti; idque ſub mortali, ſi materia ſit gravis, & id ſe intendere, ſufficienter declaret: utì ſi præcipiat in virtute obedientiæ, in nomine Chriſti. Si autem formâ tali non utatur, cenſetur, niſi aliud aliunde conſtet, obligare tantùm ſub veniali, aut etiam ſub nullo, ſed ſolùm conſulere, ſuadere, vel ſuum deſiderium indicare; quia non vult gravius imponere ſubdito onus, quàm requirat recta gubernatio, nec eſſe occaſio ruinæ. Econtra: ſi quid præcipiat ſupra, vel contra, aut infra regulam, non tenetur ſubditus per ſe loquendo obedire: ùt ſi præciperet extraordinarias, vel delicto non proportionatas, nec ad voti obſervationem neceſſarias corporis mortificationes, vel inutilia, & vana; niſi fortè præciperet hæc præcisè ad exercitium obedien-

383. *Conformia inſtituto.*

dientiæ ſecundùm regulam. Ratio eſt, quia per votum obedientiæ relatè ad iſta ſe non ſubjicit. Quòd regulæ dicant, in omnibus obediendum eſſe Superiori, intelligitur de utilibus & neceſſariis, & conformiter inſtituto injunctis: quæ ſi regula ſub peccato obligans exigat, transgrediens peccat contra votum; quia vovens obligavit ſe ſecundùm regulam. Dixi: *Poteſt præcipere ſuis Religioſis;* nam Novitiis præcipere non poteſt, quæ tantùm ſunt conſilii, vel perfectionis; quia Novitius nec obedientiam vovit, nec ſe ad perfectionem obligavit; ſed tantùm probat ſtatum perfectionis, an ſibi expediat eum amplecti, & perpetuò in illo vivere. Neque regulæ Ordinis eum ſub peccato obligant, etſi fortaſſis profeſſi eas teneantur ſervare ſub peccato: nam Novitius ad eas nec tenetur ex obedientia, quia eam non vovit; nec ex debito conformitatis, cùm hæc tantùm Religioſos concernat, nec ex ſtatu probationis: ſe enim ſubjecit tantùm ad probandas regulas, ſeque poſuit in via ad obligationem, ubi probaverit eas tanquam ſibi convenientes, ſuſcipiendam; ſicut Catechumenus eam ingreſſus eſt ad ſervanda præcepta Eccleſiæ. Unde Novitius eſt ſimilis Eccleſiaſtico relatè ad ſuum Prælatum quoad obligationem; attamen tenetur ad pœnas ſubeundas, ſi illi ob defectus, vel delicta injungantur; tum quia tradidit ſe gubernandum conformiter regulis; tum quia ſummus Pontifex conceſſit Ordini convenientem facultatem illum debitè probandi.

An etiam Novitiis? Si Novitius peccaret contra caſtitatem, non eſſet quidem reus ſacrilegii, utpote voto necdum ad eam ſervandam obligatus; an autem, ſi

ſi eſſet in Novitiatu Ordinis exempti, in eoque peccatum tale eſſet reſervatum, poſſet abſolvi à quocunque approbato, dubium eſt. Negat Caſtropalao, quod probabile agnoſcunt Suarez, & Dicaſtillo de Cenſuris D. 3. n. 596. eò quòd Papa exemerit Ordinem à Juriſdictione Epiſcoporum, cenſeaturque etiam exemiſſe Novitios, qui ſicut probabiliter gaudent privilegiis Religioſorum, ſic ſentire debent hoc onus, quod tamen inſtructione, ſuſtentatione, aliiſque favoribus compenſatur. Econtra Averſa tenet, poſſe abſolvi ab Approbato per Epiſcopum, non verò à Deputato tantùm ab Ordine. Idem tenent multi alii apud Dicaſtillo l. cit. eò quòd ſit inſtar ſæcularis, & reſervationem non incurrat.

Claudius Aquaviva, Generalis Societatis noſtræ, prohibuit à noſtris doceri, quòd noſtri Novitii non incurrant Caſus in Societate reſervatos: uti refert P. La Croix L. 6. num 1665. Cæterùm, ſicut Novitii non tenentur ſub peccato ad ſervandas regulas Ordinis, etſi ſub peccato obligarent alios; ſic nec tenentur præceptis ſpecialibus, à Superiore, vel Ordine pro aliis latis. Vide La Croix L. 4. num. 61.

Colliges ex dictis ſequentia: 1. Religioſus profeſſus non poteſt quidquam temporale ſeu induſtriâ, ſeu hæreditariâ ſucceſſione, aut alio modo ſibi acquirere, ſed quidquid acquirit, Monaſterio, vel Ordini acquirit. Et hinc, licèt jure communi poſſit ſuccedere velut hæres (niſi Ordo ſit incapax ſucceſſionis) non ſuccedit tamen ſuo, ſed Monaſterii nomine, ad quod, niſi ante profeſſionem aliter diſpoſuerit, omnia ejus jura tranſeunt. 384. *Corollaria.*

2. Religioſi non ſunt, qui edito voto pau-

pertatis; & caſtitatis perpetuæ, obedientiam vovent Epiſcopo, vel Confeſſario; quia ſic non ſubjiciuntur Juriſdictioni ſpirituali Ordinis Religioſi, quæ à Deo medio ejus Vicario, in Ordinem derivari debet. Cùm enim Ordo Religioſus ſit ſtatus ſupernaturalis à communi Chriſtianorum ſtatu diſtinctus, & ſacra quædam Communitas, in eo pro utroque foro ſpiritualis debet eſſe Juriſdictio; hæc autem hodiedum non deſcendit in ſtatum Religioſum, niſi per ſummum Pontificem, cùm poſt Concil. Lateranenſe ſub Innoc. III. nulli ſit facultas approbandi ſtatum Religioſum, niſi ſoli Summo Pontifici, etſi ea antè fuerit Epiſcopis conceſſa.

3. Supremus omnium Regularium Superior eſt Papa; ad eum enim non tantùm pertinet, Ordines Religioſos approbare, & Juriſdictionem illis conferre; ſed etiam Religioſi per ſe primò & principaliter, tanquam omnium Ordinum Generali Præpoſito, obedientiam illi vovent, vi cujus Voti tenentur ei in omnibus obedire, in quibus tenentur ſuis Prælatis Regularibus.

In quibus exempti ſubſint Epiſcopo. Quare Exempti Religioſi per Pontificem à Juriſdictione Epiſcopi, huic non ſubſunt, niſi in quibus ſubeſſe vult eos Summus Pontifex: vult autem ſubeſſe maximè in iis, ſine quibus Epiſcopi non poſſent, ùt par eſt, ſuas Diœceſes gubernare. Qualia ſunt Jure novo Tridentini ſequentia. 1. Approbatio libri edendi. 2. Viſitatio, & correctio Regularium, extra clauſtra degentium. 3. Prædicatio verbi divini in Eccleſiis curatis. 4. Reparatio Eccleſiarum Parochialium. 5. Celebratio Miſ-

ſæ

ſæ extra Eccleſias non facienda. 6. Suſceptio Ordinum, & examen, ante eam ſubeundum, niſi qui ſpeciali privilegio exemptionis ſint muniti. 7. Approbatio pro Confeſſionibus Sæcularium audiendis. 8. Publicatio cenſuræ in Eccleſia facienda, ſi ità petat Epiſcopus. 9. Obſervatio Feſtorum Diœceſis. 10. Promulgatio Indulgentiarum non facienda ſine conſenſu Ordinarii. 11. Clauſura Monialium non violanda, nec aſſumenda earum, quæ Prælatis Regularibus non ſubſunt, gubernatio. In his Epiſcopo omnes ſubſunt, etiam aliàs exempti. Et prætereà Jure antiquo. 1. In cauſa hæreſis, & criminum, ad tribunal inquiſitionis pertinentium. 2. In executione ultimarum voluntatum. 3. In non conferendis extra extremam neceſſitatem Sacramentis Euchariſtiæ & extremæ Unctionis, ſine licentia Parochi, moribundis. 4. In petitione Chriſmatis, Conſecratione Eccleſiæ, & omnibus quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. 5. In ſpeciali approbatione pro Monialium Confeſſionibus excipiendis. 6. In electione Abbatiſſarum, cui per ſe, vel per alium præeſſe poteſt Epiſcopus cum Superiore Regularium, &c.

CAPUT

CAPUT VI.

De cultu Religionis, qui Deo exhibendus eſt per Statum & Beneficia Eccleſiaſtica.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum?

385. *Definitio.* RESP. Beneficium Eccleſiaſticum eſt Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter Officium ſpirituale, authoritate Eccleſiaſticâ conſtitutum. Dicitur 1. *Jus perpetuum*; quia Beneficium, quantùm eſt ex inſtitutione ſua, durare ſemper debet, ità, ut, ſi ab uno deſinat poſſideri, debeat conferri alteri. Dicitur 2. *Jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis;* id eſt, Eccleſiis ad cultum Dei donatis, ex quibus erecta ſunt Beneficia. Dicitur 3. *Propter officium ſpirituale*; hoc eſt, ob functiones ſacras, ex debito obeundas: ùt ſunt Sacramenta adminiſtrare, Sacrificium offerre, prædicare verbum Dei, Horas Canonicas perſolvere, &c. nam Beneficia ob officia ſpiritualia inſtituta ſunt. Dicitur 4. *Authoritate Eccleſiaſticâ conſtitutum*; id eſt, Papæ, vel Epiſcopi. Ad hos enim ſolos pertinet ſpiritualia dirigere, & iis proventus pro Miniſtrorum ſuſtentatione annectere.

Ex his patet, tria in Beneficio Eccleſiaſtico conſideranda eſſe: Primum eſt, Jus, ſeu legitima poteſtas, & obligatio exercendi functiones ſpirituales; & dicitur officium, eſtque immediatè

mediatè aliquid ſpirituale, fundamentumque Beneficii, ſeu Juris percipiendi fructus. 2dum eſt, Jus percipiendi fructus, quod ſpirituale eſt; ſaltem connexivè, & denominativè ac in ſuo fundamento ut dicitur n. 418. Cor. 2. nam ſupponit Jus ſpirituale tribuens poteſtatem exercendi munus ſacrum, in eoque fundatur, & quia Jure ſtricto nemini debetur in particulari; hinc Beneficium dicitur. 3tium eſt, fructus, qui eſt aliquid merè temporale, vendique & emi licitè poteſt, debeturque Beneficiato, fungenti munere ſuo, Jure naturali, & divino Lucæ 10. Conſtitutio tamen tanti, vel tanti ſtipendii, ex hoc, vel illo fundo, Juris tantùm humani eſt.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Beneficium Eccleſiaſticum?

Reſp. Variè dividitur: nam 1. Aliud eſt Sæculare, quod pro Eccleſiaſticis Sæcularibus; aliud Regulare, quod pro Regularibus inſtitutum eſt. Quare ſine diſpenſatione nec Sæculare Regulari, nec Regulare, Sæculari conferri poteſt. In dubio præſumitur eſſe Sæculare, niſi ex primæva inſtitutione ſua, vel ex pacifica 40. annorum poſſeſſione probetur eſſe Regulare. 386. *Diviſio.*

2. Aliud eſt duplex, aliud ſimplex. Duplex eſt, quod duplex Jus, vel onus importat: id eſt, quod ſimul importat præeminentiam, vel juriſdictionem, aut adminiſtrationem Eccleſiaſticam. Si importet præeminentiam & juriſdictionem circa Clerum in foro externo, dignitas dicitur: ùt v. g. Epiſcopatus; Si præeminen-

eminentiam, & jurisdictionem tantùm in foro interno, dicitur Beneficium curatum: ſi præeminentiam ſeu præcedentiam in choro, & proceſſionibus ſine jurisdictione, dicitur perſonatus, ut præpoſitura cantoria ſenioratus &c. Si ſine præeminentia, & jurisdictione annexam habeat adminiſtrationem aliquam v. g. Cellarii, dicitur officium. Theſauraria in quibusdam Capitulis eſt tantùm officium; in aliis Perſonatus. Deinde Beneficium duplex aliud eſt majus, quod eſt quaſi culmen Beneficiorum, & dignitatum: ùt Papatus, Cardinalatus, Archi Epiſcopatus, Epiſcopatus; aliud medium: ùt Decanatus, Prælatura ſeu Sæcularis, ſeu Regularis, Prioratus clauſtralis ſub Abbate, Prioratus Conventualis non ſubditus in Conventu alteri Superiori; aliud minus, in quo exercetur jurisdictio tantùm in foro interno: ùt Paſtoratus. Beneficium ſimplex eſt, quod tantùm eſt inſtitutum ad officia divina, ſeu preces perſolvendas, nec adminiſtrationem, vel jurisdictionem, aut præeminentiam ſingularem habet annexam. Tale eſt tum Capellania collativa, quæ eſt Jus perpetuum percipiendi fructus ex fundatione v. g. Altaris, ob jus, & obligationem certas Miſſas dicendi, authoritate Epiſcopi inſtitutum; tum Canonicatus, qui eſt Jus ſpirituale in perſona de Capitulo ad ſtallum, ſeu ſedem in Choro, & ad vocem in Capitulo, ſi in ſacris ſit conſtituta; ideoque poteſt quis eſſe Canonicus, etſi necdum habeat Præbendam, ſeu Jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ; ordinariè ſimul habet Præbendam. Tum Præſtimonium, quod eſt Beneficium inſtitutum pro Clericis junioribus, ut ſtudiis vacent, ſeu Jus percipiendi portionem, ex Eccleſiaſticis proventibus detractam, quæ adoleſcentibus Clericis confertur

tur ſtudiorum causâ, habetque ſæpe onus annexum quotidie dicendi quinquies *Pater*, & *Ave*. Si conferri poſſit ſæculari ſine onere ſpirituali, non eſt Beneficium.

3. Beneficium aliud eſt ſimpliciter titulare, quod in perpetuum titulum ſic confertur, ut auferri non poſſit ſine cauſa admodum gravi. Aliud eſt manuale, quod ad nutum id committentis eſt auferibile, etſi pro nullo determinato tempore ſit conceſſum. Dicitur *Manuale*; quia in alterius quaſi manu, & diſpoſitione manet. Talia ſunt pleraque Beneficia Regularia, à quibus Superior ſuos Religioſos pro arbitrio poteſt avocare. An Beneficium manuale ſit propriè ſtrictè Beneficium, quæſtio eſt de voce. Affirmat Leſſius; quia ex inſtitutione ſua eſt perpetuum, quatenus, dum aufertur uni, debet conferri alteri, & aptum eſt conferri in titulum perpetuum, etſi ad tempus actu conferatur. Negant quidam alii; eò quòd ad tempus tantùm concedatur; ideoque in Regulis Cancellariæ nomine Beneficii non comprehendatur. At propriè nunquam vacat, quia deſervitorem habet temporalem, velut Vicarium principalis Beneficiati, neque ſubjacet regulis proviſionum.

4. Beneficium aliud eſt collativum, quod confertur per abſolutam voluntatem Collatoris, nullâ præcedente electione, aut nominatione vel præſentatione. Aliud patronatum, ſeu mixtum, quod confertur à Prælato ad præſentationem, ſeu nominationem Patroni, qualis eſt, qui habet Jus præſentandi perſonam idoneam ad Beneficium Superiori, cui poteſtas eſt inſtituendi; aliud eſt electivum, quod per ſuffragia Electorum, & accedentem poſtea Superioris confirmationem confertur; aliud eſt commendatum, ſeu commenda

quod

quod ſolius adminiſtrationis causâ confertur, & alio nomine Vicaria dicitur; poteſtque dari in perpetuum, ſeu ad dies vitæ, & dicitur Vicaria perpetua; vel tantùm ad tempus, & dicitur Vicaria temporalis. Si detur ad dies vitæ, omnia Jura fere habet, quæ beneficiis titularibus competunt; hinc Commenda, ſeu Vicaria perpetua æquivalet Beneficio in titulum dato. Si ſit temporalis non eſt Beneficium, quia titulus, & jus in re non confertur.

5. Beneficia alia ſunt compatibilia, alia incompatibilia. Primi generis ſunt quorum neutrum impedit, quò minùs omnia ad utriuſque functiones requiſita, fieri ab eodem convenienter poſſint. Secundi generis ſunt, quorum functiones ab uno, eodemque fieri debitè non poſſunt: qualia ſunt, quæ requirunt curam animarum in diverſis locis, ex quibus Fideles non poſſunt convenire; vel, quæ requirunt in ſuo loco perſonalem Beneficiati reſidentiam: ùt ſunt duo Epiſcopatus, duæ Parochiæ; vel quæ in eadem Eccleſia ſunt inſtituta ad eundem finem, habentque idem onus, & officium, eodem tempore peragendum: qualia ſunt, duo Canonicatus in eadem Eccleſia, vel in diverſis locis, continuam requirentes reſidentiam. Si quis Jus habeat tantùm ad unius Beneficii collationem, &c. dicitur Monoculare.

387. *Origo Beneficiorum.* *Petes.* Quæ eſt origo Beneficiorum? Reſp. Eſt hæc: In primæva Eccleſia, ùt conſtat ex Actis Apoſtolor. C. 4. & 5. Chriſtiani ſolebant vendere ſua prædia, eorumque pretia Apoſtolis, tanquam Eccleſiæ Prælatis, offerre, ut deinde per Diaconos ſingulis, prout cuique opus erat, diſtribuerentur; poſtea verò, auctâ, diffusâque magis Eccleſiâ, viſum eſt magis expedire, ut ipſamet prædia, ſeu bona immobilia Clericorum Communitatibus donarentur, ut eorum

eorum proventibus perpetuò ipſis proviſum eſſet, ſicut in veteri Teſtamento proviſum fuiſſe conſtat Cap. 35. Numer. Hoc ità conſtituto, Clerici longo tempore pleriſque in locis vivebant in communi, certis Regulis aſtricti (ideoque Canonici dicti) nihilque proprii poſſidentes, ex communibus Eccleſiæ reditibus alebantur. Neque ullus admittebatur in numerum, ordinemque eorum, niſi alicui ex ſacris domibus communibus, ſeu Collegiis, quibus certi tituli v g. S. Crucis, S. Stephani annexi erant, eſſet adſcriptus, ejuſque reditibus poſſet ſuſtentari; ſicut & hodie nullus ſine ſuſtentationis titulo ad ſacros Ordines admittitur. Olim tamen etiam multis in locis permiſſum erat Clericis extra Communitatem vivere, propriaque bona poſſidere, ùt liquet ex Cap. *Certè*, cauſâ 12. qu. 1. Qua de cauſa his etiam temporibus Clerici ordinantur titulo Patrimonii. Denique, ceſſante communi vitâ, & cohabitatione, proventus Eccleſiaſtici in quatuor dividi partes cœperunt. Pars una menſæ Epiſcopi, altera fabricæ, tertia eleëmoſynis in pauperes, quarta Canonicorum ſuſtentationi eſt deputata. Atque ex hac parte percipiendi portionem propter divinum Officium adhuc hodiedum Jus Clericis perſeverat. Sunt & alia deinceps Beneficia fundata, & authoritate Eccleſiaſticâ erecta, quorum fundi manent Eccleſiæ, ſolique fructus in Clericos beneficiatos diſtribuuntur. Inter hæc quoque ſunt Capellaniæ, quæ, quia authoritate Epiſcopi creatæ & dotatæ ſunt, dicuntur Eccleſiaſticæ, ſuntque Beneficia. Cujus ſignum eſt, ſi collatio, vel inſtitutio ad Epiſcopum pertineat. Secus eſt de Laicis, quæ à Laico conſtitutæ ſine authoritate Epiſcopi à ſolis

Laicis providentur, quæ Beneficia non ſunt, habentque adminiſtratorem liberè amovibilem, qui tamen Sacellanus ſeu Capellanus dicitur, quo nomine hodiedum etiam venit Adjutor Paſtoris, etſi Capellam, vel Altare non habeat. In dubio Capella cenſetur Eccleſiaſtica.

QUÆSTIO III.

Quot modis Beneficia Eccleſiaſtica acquirantur?

388. *Sex modis.* Reſp. Sex his modis: 1. Collatione liberâ. 2. Præſentatione, & ſubſequente inſtitutione. 3. Electione vel ſolâ, ſi Electores ſimul Jure conferendi gaudeant, vel ſubſequente ſimul confirmatione. 4. Poſtulatione, & ejus admiſſione. 5. Reſignatione in favorem acceptatâ. 6. Permutatione approbatâ.

Eſt autem 1. Collatio ex mero arbitrio conferentis procedens Juris realis in Beneficio conceſſio, puta, ſi ſit acceptata: nam ante acceptationem confert tantùm Jus ad rem, nec tamen revocari poteſt, ex Cap. *Si tibi* 17. Tit. *De Prabendis* in 6. niſi providendus expreſsè vel tacitè non comparendo recuſaverit acceptare tempore deſignato. Pirrh. L. 3. Tit. 5. Sect. 2. §. 2.

Nec juvat, quòd Collatio in Jure dicatur quædam donatio, quæ ante acceptationem revocari poteſt: nam non procedit ex mera liberalitate, ſed ex officio, ratione cujus debet Beneficiis vacantibus provideri.

2. Præſentatio eſt exhibitio perſonæ idoneæ & habilis, à Patrono legitimè facta Superiori, cujus eſt inſtituere, ſeu Jus in re conferre: præſentans

ſentans enim tantùm dat Jus ad rem, ità tamen, ut Superior teneatur præſentatum inſtituere, niſi probetur indignus.

Unde 3. Inſtitutio eſt conceſſio Juris realis in Beneficio, facta ad præſentationem Patroni. Differt à Collatione, quæ eſt omninò libera: utraque tamen confert Jus in re ante realem poſſeſſionem.

4. Electio eſt perſonæ idoneæ, & habilis deſignatio ad Beneficium vacans, facta per ſuffragia. Hæc tantùm confert Jus ad Beneficium, niſi Electores ſint ſimul Collatores; Jus autem in Beneficio confert ſubſequens confirmatio:

5. Poſtulatio eſt obſecratio ab Electoribus facta Superiori, ut ad Beneficium vacans velit admittere aliquem, qui eligi non poteſt, eò quòd ſit de Jure incapax.

6. Confirmatio eſt conceſſio Juris in Beneficio facta à Superiore illi, qui electus, vel poſtulatus eſt.

7. Reſignatio eſt libera & ſpontanea proprii Beneficii dimiſſio, facta coram legitimo Superiore, eam acceptante, eſtque alia pura, alia conditionalis, ùt infra dicetur.

8. Permutatio eſt mutua Beneficiorum reſignatio, facta à Beneficiatis in manus legitimi Superioris eâ lege, ut Beneficium v. g. Titii conferatur Cajo, & Beneficium Caji Titio. Hinc modus reſignandi eſt, ut Beneficiati reſignent ſua Beneficia in manus Superioris legitimi v. g. Papæ, vel Epiſcopi exprimendo, quòd ità faciant permutationis causâ.

QUÆSTIO IV.

Quæ requirantur ad legitimam præſentationem?

389. *Qua ad Jus patronatûs pertinent?* *Notanda* ſunt ſequentia: 1. Jus Patronatûs eſt legitima poteſtas præſentandi Clericum legitimo Superiori ad Beneficium vacans. Dico: *Vacans*; quia præſentatio ad Beneficium necdum vacans eſt ipſo jure irrita, uti & promiſſio Beneficii etiam indeterminati; quia dat occaſionem captandi mortem Beneficiati.

2. Jus Patronatûs acquiritur vel Eccleſiæ dotatione, vel ædificatione, vel fundatione, ſeu donatione fundi, in quo ædificatur. Hinc plures poſſunt eſſe Patroni. Item acquiritur conceſſione Papæ, vel præſcriptione.

3. Jus Patronatûs aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud Laicum, aliud mixtum. Eccleſiaſticum dicitur, quod titulo ſpirituali; Laicum, quod temporali; mixtum, quod tum ſpirituali, tum temporali, uni vel pluribus convenit. Unde Eccleſiaſticum eſt, quod convenit Eccleſiaſtico Collegio, vel Communitati, aut perſonæ Eccleſiaſticæ ratione Eccleſiæ, vel dignitatis, aut Beneficii Eccleſiaſtici à ſe poſſeſſi, aut ex eo, quòd de bonis Eccleſiaſticis Beneficium fundaverit, vel dotaverit. Laicum eſt, quod competit Laico, vel Clerico, non ratione Eccleſiæ, ſed fundatione, vel exſtructione, aut dotatione ab ipſo, vel Prædeceſſoribus ejus facta ex bonis patrimonialibus. Mixtum eſt, quod partim ratione Eccleſiæ, partim ratione fundationis, vel dotationis laicalis convenit.

4. Aliud eſt reale, quod adhæret rei alicui: v. g.

v.g. caſtro, vel prædio, vel univerſitati bonorum, aut jurium; aliud perſonale, quod adhæret perſonæ v.g. fundatoris, & hæredum ejus independenter ab aliqua re. Per ſe cenſetur perſonale, niſi ex fundatione, conſuetudine, legitimâ præſcriptione, vel legitimâ Superioris authoritate ſit attributum certorum bonorum poſſeſſoribus. Inter Laicum & Eccleſiaſticum in effectu ſingulariter obſervandum, quòd Papa non ſoleat, imò nec unquam cenſeatur derogare Juri Patronatûs Laici, bene tamen Eccleſiaſtici, per Cap. 28. T. De Jure Patronatûs.

5. Aliud eſt hæreditarium, quod tranſit ad hæredes etiam extraneos; aliud gentilitium, quod Fundator voluit pertinere ad gentem, vel familiam aliquam, quæ, ſi emoriatur, redit ad hæredes. In dubio præſumitur hæreditarium.

6. Poteſt à Patrono ſine conſenſu Epiſcopi donati Eccleſiæ, Monaſterio, aut Religioſo loco, vel dignitati Eccleſiaſticæ, & hoc caſu, ſi fuiſſet Laicum, cenſeretur fieri Eccleſiaſticum, per Cap. *Si Laicus, de Jure Patronatûs in 6.* Non poteſt tamen donari, ſine conſenſu Epiſcopi, perſonæ privatæ, quà tali, ſive Laicali, ſive Clericali; per Cap. *Unicum. de Jure Patronatûs in 6.* quia per priorem donationem in meliori ſtatu reponitur, non per poſteriorem.

7. Licèt Jus Patronatûs, ratione ſuî, vendi non poſſit, utpote ſaltem connexivè ſpirituale; poteſt tamen tranſire ad alium præſcriptione, ſucceſſione hæreditariâ, donatione, permutatione, ſaltem cum conſenſu Epiſcopi, poſſeſſione, vel uſufructu in prædio, cui annexum

eſt, modò tamen res elocata ſit ad decennium ſaltem: tunc enim Jus Patronatûs cenſetur ad fructus, niſi elocator id exceperit, pertinere, qui competunt poſſeſſori dominii utilis; conductor autem, ſaltem ad decennium, habetur pro poſſeſſore. Idem eſt de Emphyteuta, & vaſallo; non verò de creditore, cui res aſſignata eſt pro hypotheca, quia is nec dominium, nec poſſeſſionem, nec uſum habet hypothecæ.

8. Jus Patronatûs reale vendi poteſt acceſſoriè, non tamen intuitu ejus res vendi poteſt cariùs.

9. Jus Patronatûs Eccleſiaſtici tranſiens ad Laicum non fit Laicum, niſi titulo oneroſo tranſiret, v. g. permutatione apud Papam. *His notatis*

390. Reſp. Ad legitimam præſentationem requiritur 1. Jus præſentandi in præſentante.

Requiſita. Ut fiat legitimo tempore

2. Ut Patronus Laicus intra 4. Eccleſiaſticus intra 6. menſes, à die vacationis cognitæ computandos, præſentet, ſique intra illud tempus ex negligentia, vel diſſenſione cum Compatrono non præſentet, Collatio pro ea vice devolvitur ad eum, cujus eſt inſtituere; ſi autem factâ, ùt oportet, præſentatione ex Præſentati negligentia, renunciatione, morte, vel occultâ inhabilitate inſtitutio non ſit facta, Patrono Laico novum conceditur quadrimeſtre, Eccleſiaſtico novum ſemeſtre à cognitione mortis, renunciationis, &c. computandum; quia negligentia, & mors alterius non debet nocere innocenti Patrono. La Croix num. 359. Imò poteſt Epiſcopus, vel, ad quem inſtitutio pertinet, tam Laiço, quàm Eccleſiaſtico aliud quadrimeſtre, vel ſemeſtre ex rationabili cauſa concedere, de momento ad momentum computandum.

dum. Porrò ſicut tempus non currit ignoranti, vacare Beneficium, ſic nec ſummis Principibus, nec legitimè impedito, quique prætendit, præſentationem non eſſe factam legitimo tempore, probare debet, Patronum habuiſſe notitiam vacationis: nemo enim præſumitur, ſcienter negligere jus ſuum.

3. Requiritur, ut præſentatus ſit habilis, & dignus; ſi enim Patronus Eccleſiaſticus ſcienter præſentaret indignum, vel inhabilem, vel ſimul plures indignos, non tantùm peccaret, ſed etiam invalidè ageret, illaque vice privaretur jure ſuo, & Collatio ad Epiſcopum pertineret; Laicus autem ſcienter præſentans indignum peccaret quidem, putant tamen Fagnan. Pirrh. Leſſ. L. 2. Cap. 34. num. 29. & alii, nequidem pro illa vice privari jure præſentandi, & variandi, quia Canones tantùm loquuntur de eligentibus; ſed contradicunt alii communiùs. Si autem Laicus ignoranter præſentârit indignum, vel inhabilem, intra ſuum tempus poteſt alium præſentare, hocque ut faciat, ei imperari debet, ex Cap. *Cùm vos. de officio Judicis ord.* Idem poſſe Patronum Eccleſiaſticum, docet Barboſa. Et putat Leur. q. 145. poſt detectum errorem Patronos habere novum tempus. Porrò inhabilis dicitur, qui laborat impedimento Canonico, vel non habet, quod fundatio requirit; indignus autem, qui non habet cætera requiſita v. g. bonam famam, ſcientiam neceſſariam.

Quid, ſi præſentatus ſit indignus?

4. Requiritur, ut Patronus Eccleſiaſticus non variet, ſeu non præſentet plures ſucceſſivè, quod tamen poteſt Patronus Laicus, re adhuc integrâ; non quidem primum privando jure ſuo, ſed alteri etiam conferendo jus,

ut à Epiſcopo poſſit inſtitui, quo caſu penes Epiſcopum eſt eligere, quem voluerit, æquè dignum: uti &, ſi duo ſint Patroni, & unus Cajum, alter Titium, aut Patronus Eccleſiaſticus etiam plures ſimul, quod facere licitè poteſt, præſentet.

5. Ut Parochialia Beneficia, quæ ſubſunt Patronatui Eccleſiaſtico, conferantur per concurſum, ex Trid. Seſſ. 24. Cap. 18. De Reg. quod tamen in his partibus non ſervatur, & à Laico nullo jure exigitur.

Quid, ſi Patronus Eccleſiaſticus, & Laicus præſentent?

Porrò in Patronatu mixto, ſi Clericus, & Laicus conveniant, ut alternis vicibus præſentent, Laicus pro ſua vice quatuor, Clericus ſex menſes habet, quia is, non verò hic variare poteſt; ſi autem præſentent ſimul, gaudebunt utriuſque Patronatûs favoribus. Unde iis conceduntur ſex menſes, nec erit locus reſervationi alternativæ Pontificis, nec neceſſariò per concurſum Collatio erit facienda. Denique in Beneficiis Regularibus plenò jure incorporatis, cùm nunquam propriè vacent per mortem adminiſtrantis, non neceſſariò obſervandus eſt terminus ſex menſium.

Preces primariæ Imperatoris.

6. Cum Jure Patronatûs, & præſentatione analogiam habent primariæ preces Imperatoris: accipit enim Neo Electus Imperator per Indultum Apoſtolicum Jus nominandi idoneum ad Beneficium primum vacans in quacunque Eccleſia, & quocunque menſe etiam alternativo in toto Imperio, prout pro tempore eſt, quem Collator, ſi ſe præſentet, præ cæteris tenetur admittere, Jus illud, & nominatio dicuntur preces; Jus quidem quia petitur à Sede Apoſtolica; nominatio verò, quia eſt quædam quaſi petitio, ut nominato beneficium conferatur. Dicuntur preces

preces primæ, & primariæ, quia ſpectant primum in qualibet Eccleſia vacans beneficium, debetque nominatus omnibus aliis præferri, ita ut alteri beneficium valide conferri nequeat.

Hæretici contendunt, preces illas non deſcendere ex Indulto Romani Pontificis, ſed quo titulo Imperatori conveniant, inter ſe diſcrepant; aliqui enim volunt, eas ipſi competere tanquam Jus regale, inhærens Majeſtati Cæſareæ, alii tanquam Patrono, Advocato, defenſori Eccleſiæ, alii ex mera conſuetudine; At hos omnes erroris convincit apertè P. Joſ. Biner in Apparatu ad Juris prudentiam p. 6. Diſſ. ultima c. 1. Oſtenditque, deſcendere ex Indulto Apoſtolico, patetque vel ex eo, quod ante hac petierint, & modo petant illas Imperatores à Sede Apoſtolica, de quo videri poſſunt A. A. Catholici, Theologo Morali ſufficit noſſe ſequentia.

1. Preces primariæ Imperatoris ſe extendunt ad omnis generis beneficia Eccleſiaſtica, ſimplicia, duplicia, curata non curata, dignitates administrationes, officia, cum limitatione tamen mox danda. In ſpecie extendunt ſe 1mo ad reſervata ſummo Pontifici, exceptis iis, quæ reſervata ſunt in Extrav. ad regimen 13. de Præb. & Dignit. 2do. Ad electiva, collativa per turnum, ſubjecta patronatui Eccleſiaſtico, Vicariasque perpetuas. 3tio. Ad vacantia per promotionem ad aliud, per profeſſionem religioſam, aut initum matrimonium, vel crimen hæreſis, Simoniæ &c. 4to. Ad devoluta ad ſuperiorem immediatum v. g. Epiſcopum, vel alios Prælatos, Papâ inferiores. 5to. Ad reſignata ſimpliciter in manus ordinarii, *Quò ſe extendant?*

 item

item ad collativa in Monaſteriis. Hæc conſtant ex Indultis Apoſtolicis.

Econtra ſe non extendunt 1mo ad devoluta ad Sedem Apoſtolicam, nec ad reſervata in Extrav. ad Regimen. Nec 2do ad dignitates Epiſcopales, nec ad his proximas in Eccleſiis Cathedralibus v. g. Præpoſituras, nec ad Principales, ſeu Primas in Collegiatis, uti eſt præpoſitura, vel ubi hæc deeſt, decanatus. Nec 3tio ad Regularia, ex natura ſua talia, uti ſunt Abbatia, Præpoſitura Regularis, Prioratus Decanatus; neque enim Imperator nominat Religioſos ad ejuſmodi Regulares Dignitates, ne turbetur diſciplina religioſa. Nec 4to ad Beneficia Patronatûs Laici, orti ex fundatione, ædificatione vel dotatione Eccleſiæ, etſi is mixtus eſſet. Nec 5to ad monocularia, imò nec ſi Proviſores non poſſint providere niſi de quatuor ſaltem beneficiis; alioquin enim contingere poſſet, ut nec toto tempore vitæ vel de uno providere poſſent; præſertim ſi Imperator viveret brevi tempore, quia nominatis in vigore manerent preces à defuncto Imperatore conceſſæ, & Succeſſor, novas Impetrare poſſet. Nec 6to ad ea, quæ non conferuntur, in titulum perpetuum, uti ſunt manualia, Vicariæ temporales penſiones, quia non ſunt proprie beneficia. 6. Nec ad litigioſa, ſi lis non de poſſeſſione, ſed de proprietate pendeat. 7. Nec ad reſignata permutationis causâ, aut in favorem tertii, vel fundata pro certa familia, quia non vacant vel fundata non ſunt, niſi ad effectum pro certa perſona. 8. Nec ad ea, quæ ſunt incorporata alicui dignitati, Eccleſiæ, Monaſterio, Collegio, aut menſæ Epiſcopali, vel Capitulari. Nec denique ad

ſita

ſita extra Imperium modernum in aliis Provinciis, vel regnis, niſi ea conditione translata ſint ad alium Principem; ut retineant quoad ſacra easdem conditiones, quas habebant, dum ſuberant Imperio, quemadmodum de Epiſcopatu Metenſi Tullenſi, & Virodunenſi perhibetur, item nec ad ſita in Italiæ Provinciis, etſi Imperatori Jure feudali ſubjectis.

2. Quoad alia beneficia preces Cæſareæ derogant 1mo regulis Cancellariæ, literis conceſſis in forma pauperum, vel perſonis illuſtribus aut graduatis ut his de beneficiis provideatur; imo omnibus Indultis, Privilegiis, & Literis Apoſtolicis. 2do. Concordatis Germaniæ, præſertim in alternativa Menſium. 3tio. Statutis, & Conſuetudinibus particularium Eccleſiarum, uti ſi qualitas, per hæc requiſita, perſonæ nominatæ deeſſet. v. g. Si ſtatutum, vel conſuetudo in certa Eccleſia requireret, ut eſſet nobilis, perſona autem nominata talis non eſſet, nihilominus admitti deberet, de quo exempla non deſunt. *Quibus derogent.*

3tio. Poteſt Imperator jus ſuum nominandi committere alteri, uti ex praxi conſtat. Poteſt quoque variare, ſe adhuc integra, v. g. Si nominaverit Petrum, poteſt dein, nominare Paulum, niſi hic preces jam obtuliſſet: Sic enim res integra amplius non foret. *Ratio eſt;* quia nominatus acquirit tantum jus implorandi officium executoris, ut ſibi provideat; officium autem illud etiam in conſervari dependet à voluntate Imperatoris, qui cenſetur jus variandi ſibi reſervaſſe. Si preces effectum ſortitæ non eſſent, v. g. Si preciſta ante è vita migraſſet. vel preces non inſinuaſſet legitime, pote- *Imperator poteſt variare.*

poterit Imperator nominare alium; quia quando actus non habet effectum ſecundùm intentionem diſponentis, non cenſetur conceſſio ad unum actum reſtricta, ſed de ulteriori intelligitur, donec effectum ſortiatur, ut patet in electione, præſentatione, collatione. Poteſt quoque Imperator nominare eundem ad beneficium in diverſis Eccleſiis, disjunctive tamen, ut vel in hac, vel illa beneficium primò vacans illi conferatur; quo caſu ſi nominatus in una ſit beneficium conſecutus, poteſt Imperator pro aliis Eccleſiis nominare alios.

Requiſita in preciſta ad effectum precum. 410. Ut preces effectum habeant, ex parte preciſtæ hæc requiruntur. 1mo debet eſſe idoneus, ſeu habere qualitates de jure communi, & vi fundationis in preciſta requiſitas in beneficiato; Quare debet eſſe legitimus, aut ſaltem legitimatus, liber ab irregularitate, cenſura Eccleſiaſtica, omnique alio impedimento Canonico, minimùm per diſpenſationem. Dixi 1mò: *Debet eſſe idoneus*, puta tempore collationis, etſi talis non fuerit, quando preces impetravit, uti ſi eo tempore non habuiſſet primam tonſuram, ætatem, ex quo patet, quod precum collatio non conferat jus immediatum ad beneficium, ſicut præſentatio: Dixi 2dò. *De jure communi:* nam Imperator, ut jam dictum, non tenetur attendere ad ſtatuta, & conſuetudines particularium Eccleſiarum: Dixi 3. *Aut ſaltem legitimatus*: Cùm enim illegitimus ſit, irregularis diſpenſatione eget, diſpenſare autem poteſt Papa ad dignitates & omnia beneficia, cùm Impedimentum ſit juris tantùm Eccleſiaſtici, cæterùm modo naturali communi naſcantur omnes, Epiſcopus verò tantùm ad beneficia ſimplicia & ordines minores juxta ſententiam

Legitimatio ad beneficium.

com-

communiorem probabiliter tamen docent Binet in Apparatu ad Jurisprud. p. 4. de Jure Beneficiali Diſſert. 1. a. 3. nu. 88. & Pichler Schmier, & alii apud ipſum, poſſe Epiſcopum etiam diſpenſare in ordine ad beneficia duplicia, & ordines majores cum illegitimo occulto. Fundamentum illorum eſt; quia Tridentinum conceſſit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate ex dilicto occulto excepto homicidio, & non expreſſit, quod delictum debeat eſſe proprium, ſed locutum eſt generaliter, cùm ergo conſtitutio Tridentini ſit beneficium Principis, & mera gratia, in nullius cedens præjudicium, ampliſſimæ interpretationis eſt, neque irregularis ex delicto alieno debet eſſe deterioris conditionis, quam irregularis ex delicto proprio. Vide p. 4. num. 452. §. quarto. 2do. Precifta intra menſem à die notæ ſibi vacationis beneficii debet acceptare gratiam, dicendo, ſe velle hoc beneficium vi precum, tumque Collatori ejus Ordinario hanc ſuam acceptationem manifeſtare, & dein Executor gratiam exequi intra menſem. 3. Si precifta ſuam voluntatem intra menſem non manifeſtet collatori, poterit Collator beneficium conferre alteri. Hoc ſi non faciat, nec Imperator nominaverit alium, an precifta poſſit, menſe elapſo, preces adhuc offerre Collatori, duplex eſt ſententia, una negat, eò quòd tempus ſit determinatum, ne propter diuturniorem dilationem Eccleſia detrimentum patiatur, Altera affirmat quam tenet Schmalzgruber, contendens tempus eſſe determinatum in gratiam Collatoris, ut hic, menſe elapſo, libere poſſit conferre beneficium. Cæterùm tempus non currit legitimè impedito, & probabiliter

nec

nec minori 25. annis, vel ſaltem is jus habet reſtitutionis in integrum: Quamvis enim in iis quæ in ſe ſunt ſpiritualia ut religioſa profeſſio Sacramentum matrimonium, minor æquiparetur majori, non tamen in iis, quæ tantùm ſunt annexa ſpiritualibus, uti beneficialia: ſic minor adverſus propriam beneficii reſignationem reſtituitur in integrum. 4tò. Si preciſta nolit acceptare beneficium primum vacans, poteſt acceptare ſecundum, & ulterius, hoc tamen indicendum erit. 5. Si petitio primi non habuit effectum, quia v. g. actus fuit invalidus, poteſt petere aliud, ſi autem primum valide obtinuit, petere aliud non pòteſt; quia preces effectum habuerunt. 6. Si nactus ſit beneficii petiti quietam poſſeſſionem, tenetur aliud incompatibile, ſi quod habuit, dimittere. 7. Si Imperator, datâ, & acceptatâ gratiâ, moriatur ante executionem gratiæ, eſt adhuc exequenda; quia beneficium Principis decet eſſe perpetuum. Si tamen preciſta fieret inhabilis, aut gratiæ renuntiaret ſeu expreſsè, ſeu tacite v. g. ducendo uxorem, vel ſequendo militiam, amitteret gratiam.

Executores. 5tò. Ut preces eò certiùs effectum habeant, ſolet Imperator, interveniente authoritate Sedis Apoſtolicæ conſtituere precum Executores, qui debent eſſe, vel in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, aut ſaltem habere Perſonatum, vel Canonicatum habere in Eccleſia Cathedrali. Hi Executores poſſunt Collatores Ordinarios etiam cenſuris compellere, ut rite nominato beneficium conferant, ſique nihilominus renuant, poſſunt ipſi beneficium conferre; Poſſunt quoque ſubexecutores ſibi ſubſtituere, quia

ſunt

ſunt delegati ſupremi Principis, qui delegare poſſunt poteſtatem, ſibi commiſſam.

QUÆSTIO V.

Quæ requirantur ad legitimam inſtitutionem, electionem, & poſtulationem?

Reſp. 1. Ad inſtitutionem legitimam requiritur legitima poteſtas, quæ ordinariè convenit Epiſcopo loci. Inſtitutioni tamen nullum certum eſt tempus à jure præfixum. Hinc ob negligentiam ejus, ad quem pertinet, nulla fit devolutio. Secùs eſt de neglectu Collationis, quæ intra ſex menſes fieri debet perſonæ idoneæ. 391. *Inſtitutio legitima.*

Reſp. 2. Ad electionem legitimam requiritur 1. Ut eligens ſaltem ſit Subdiaconus; aliàs ex Trid. Seſſ. 22. Cap. 2. Jus eligendi non habet. 2. Ut omnes, qui Jus eligendi habent, ſi vocari poſſint, ſint vocati; ſi tamen vocatus venire nolit, aut non poſſit, electioni non obeſt. Ex Cap. 28. *De Electione.* 3. Ut Electio fiat vel per ſcrutinium, id eſt, per ſecreta Electorum ſuffragia; vel per compromiſſum, quo eligendi poteſtas in unum, vel plures communi Electorum conſenſu transfertur; vel per inſpirationem, quâ Electores ſubito quodam motu in unum unanimiter conſpirant. 4. Ut Electio ſit Canonica, requiritur, ut major, vel ſaltem ſanior (qualis cenſetur, quæ præ altera in Electione obſervat Canones) pars Capituli in unum conſentiat. Et idem eſt de præſentatione, ſi plures Patroni per modum unius communitatis præſentent; non verò, ſi ſinguli 392. *Electio legitima.*

guli ſeparatim : tunc enim ſufficit pluralitas votorum, v. g. ſi unus haberet 3. alter 4. alter 5. vota, poſtremus eſſet legitimè præſentatus, ac ſi cætera adſint, inſtituendus. 5. Requiritur, ut Electus intra tres menſes (niſi adſit impedimentum) à notitia factæ, vel acceptatæ Electionis petat à legitimo Superiore confirmationem; aliàs Electio corruit per Cap. 6. *de Elect. in 6.* Legitimus autem ſuperior reſpectu confirmationis ordinariè eſt Papa, vel Epiſcopus pro diverſitate beneficiorum. Confirmatio quia tribuit Jus in re, poteſt Epiſcopus à Papa confirmatus ea, quæ pertinent ad jurisdictionem à poteſtate ordinis diſtinctam, etſi necdum ſit conſecratus. Videri poteſt Leurenius. Nemo poteſt in ſcrutinio eligere ſe, poteſt tamen in ſui electionem alteri conſentire, & ità ſui electionem complere in compromiſſo.

393. *Poſtulatio differt ab electione* Reſp. 3. Ad legitimam poſtulationem puram requiritur, & ſufficit conſenſio majoris partis Capituli; ſi autem concurrat cum electione, ità, ut una pars Capituli poſtulet, altera eligat; tum ut poſtulatio valeat, debet poſtulantium numerus continere duas tertias Capituli; aliàs prævalet pars minor eligens. Præterea differt ab electiône: 1mò. Non tribuit Jus ad beneficium, uti electio. 2. Ut effectum habeat, debet accedere diſpenſatio in impedimento. 3. Si Superiori non ſit præſentata, revocari etiam poteſt publicata; quia poſtulatus nequit eam acceptare, niſi ſub conditione præſtandi à Superiore conſenſûs, & diſpenſationis.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

Quænam requirantur ad legitimam Collationem?

Reſp. 1mò. Ex parte conferentis requiritur legitima poteſtas, quæ inprimis convenit ſummo Pontifici, qui cùm ſit ſupremus, univerſalis Chriſti Vicarius, & omnium Eccleſiarum Epiſcopus, ad quem pertinet Sacra dirigere, & diſpenſare in omnibus, eſt ordinarius ſupremus omnium beneficiorum Collator in univerſa Chriſti Eccleſia, poteſtque beneficia conferre 1mo Jure præventionis; quatenus poteſt concedere alicui gratiam exſpectativam beneficii proximè vacaturi: id, quod illi ſoli convenit. Deinde poteſt conferre Jure concursûs cum aliis Collatoribus, vi cujus hos prævenire poteſt, per ſe loquendo, quoad omnia beneficia: ſi tamen alius Collator præveniat, valet ejus collatio; ſi autem Pontifex, & Epiſcopus eodem die idem beneficium contuliſſent, & neutra collatio appareret prior, neuterque eſſet in poſſeſſione, præferendus eſſet proviſus à ſummo Pontifice ob dignitatem providentis: ſi verò unus eſſet in poſſeſſione, hic præcederet; quia pro neutro Jus præſumit. Denique Jure devolutionis, vi cujus ex diſpoſitione Canonum confert beneficia; ſi Collatio fuerit Simoniaca, vel intermiſſa à Collatore inferiore, & Epiſcopo. At Pontifex rarò utitur Jure præventionis, & concursûs, ut vitentur lites. Imò per conſtitutionem Nicolai V. & Concordata, ù vocant Germaniæ, alterni tantùm menſes in Germania conveniunt Pontifici, nempe

394. 1. *Poteſtas legitima, quæ imò convenis Papa*

Januarius, Martius, Majus, Julius, September, & November, reliqui Epiſcopo, vel aliis Collatoribus, ea tamen cum limitatione, ut beneficia Patronatûs Laici, & mixti non cadant ſub alternationem Pontificis; ſique in menſibus Papalibus vacet beneficium Papæ, & intra tres menſes in loco beneficii nulla diſpoſitio Papæ appareat, Ordinarius id conferre poteſt; uti & mortuo Papâ, quamdiu Sedes vacat: ùt docet Leſſ. l. 2. cap. 34. dub. 10. Layman l. 4. tr. 2. cap. 11.

395. *Beneficia reſervata Papæ.* Cæterùm alia quædam beneficia Papa ſibi reſervavit: ùt vacantia in Curia, id eſt in loco ubi Pontifex exiſtit, vel in ei vicino; vacantia per collationem Papalem alterius beneficii, vel dignitatis cum priore incompoſſibilis, ità, ut poſteriore obtento, hoc ipſo prius vacet. Item quæ vacant per privationem, depoſitionem ex ſententia Pontificis, vel per translationem authoritate Apoſtolicâ factam, & alia, de quibus vide Schmalzgr. in lib. 3. tit. 5. & alios.

Non ſubjecta alternativa collationi. Econtra vi collationis alternativæ Pontifex non confert beneficia manualia Regularia, electiva, Patronatus Laici, & mixti. Item quæ conferuntur per concurſum, uti per ſe vi Trid. deberent conferri Parochialia, quæ tamen de ſe ſunt alternativæ Collationis. Item acceſſoriè unita menſæ Epiſcopali, vel Capitulari, aut Monaſterio; quia quoad Titulum ſunt extincta, & propriè non vacant. Item Vicariæ perpetuæ, quando nimirum Parochiales Eccleſiæ non acceſſoriè, ſed æquè principaliter ſunt unitæ Monaſterio, Collegio, &c. Item quæ vacant per reſignationem puram in manibus Epiſcopi, modò ſint in diſpoſitione ejus, ſi per obitum vacent in menſe non reſervato. Denique Parochialia,

quæ

quæ vacant mortuo Papâ: hæc enim, uti & ſimplicia, Sede vacante, conferre poteſt Collator ordinarius, ſive is ſit Epiſcopus, ſive alius, modò tamen Epiſcopus per Indultum vigens menſes Papales non habeat. Leurenius p. 2. q. 600. Biner & alii apud La Croix L. 4. n. 505. Qui menſe Papali ab Epiſcopo beneficium accipit, debet intra ſemeſtre à Papa petere confirmationem, alioquin ipſo facto privatur beneficio, & dein fructus non facit ſuos, qui ante Jus perfectè quæſitum non habuit.

2. Poſt Papam ordinaria poteſtas beneficia conferendi per ſe convenit Epiſcopo in ſua Diœceſi: huic enim Jure communi convenit in ſua Diœceſi Sacra dirigere, & diſpenſare cum ſubordinatione ad Pontificem; ſique aliquando ex inferioris negligentia vel crimine proviſio ad Superiorem devolvatur, convenit primùm Epiſcopo, & hoc deficiente, demum Papæ. Mortuo Epiſcopo, beneficia collativa, quorum collatio ad Epiſcopum pertinet, reſervantur Succeſſori, de reliquis quæ ſunt neceſſariæ proviſionis, ùt patronata, providere poteſt, ſalvo aliorum jure, Capitulum 3. *2. Epiſcopo convenit.*

3. Poteſtas beneficia conferendi convenit ex privilegio, conſuetudine, vel præſcriptione quibuſdam aliis Eccleſiaſticis, & Regularibus, non tamen Laicis, utpote incapacibus Juris ſpiritualis conferendi beneficia; unde ſi fœminæ quandoque eam putentur, aut dicantur habere; non tam ipſæ, quàm Epiſcopi conferunt ad ipſarum nominationem, ſeu præſentationem, ad quam Jure communi Laici etiam ſunt habilitati, ut excitentur ad Eccleſiis benefaciendum. Cæterùm omnes, quibus eſt legitima poteſtas conferendi, dicuntur Collatores ordinarii. *3. Quibuſdam aliis.*

596. *1. Collatio ſit abſoluta.* Reſp. 2. Ex parte collationis requiritur primò, ut ſit abſoluta, id eſt, ſine conditione ſuſpendente effectum. Hinc ſi diceretur: confero tibi Parochiam, ſi infra annum fias Sacerdos; non valeret collatio. Secus, ſi fieret ſub conditione, vel modo, qui ineſt de Jure beneficio, vel Collationi; ùt ſi diceretur: confero tibi Beneficium hoc Parochiale, ſi vacet, ſi ſis idoneus, vel, ità tamen, ut ſis obligatus intra annum ſuſcipere Sacerdotium: hæ enim conditiones ſemper imbibuntur: proinde ſi exprimantur, non vitiant actum, modò nova non imponatur obligatio.

2. Libera & gratuita. 2. Ut ſit libera, perpetua, gratuita, & ſpontanea, id eſt ſine vi, metu injuſto, fraude, & dolo obtenta: ſique fundatio requirat, ut collatio fiat cum conſilio; hoc audiri debet: aliàs actus eſt irritus. Conſilium tamen non neceſſariò ſequendum eſt: uti nec, ſi dicatur, ut fiat de, vel ex cōnſilio; ſenſus enim eſt, ut ex perpenſione conſilii fiat. Cæterùm facta ab alio, quàm Papa, ad ſuî valorem non requirit certam formam, ſed ſatis eſt, quòd voluntas Collatoris exprimatur, & acceptetur. Unde debet eſſe certi beneficii, & fieri certæ perſonæ.

3. Sine diminutione. 3. Ut per Collatorem, Papa inferiorem, fiat ſine diminutione, ex Cap. unico. L. 3. T. 12. id eſt: ut in ipſa collatione ſine authoritate Papæ Collator 1mò non reſervet ſibi vel ſuis, vel menſæ capitulari &c. fructus beneficii; multò minùs de iis relinquendis paciſcatur cum providendo ſeu proviſionario 2. Ut Beneficio non imponat penſionem perpetuam ad Succeſſores in Beneficio tranſituram, alteri Clerico ſolvendam. 3. Ut Beneficiato non imponat novum onus perſonale, v. g. docendi pueros, cantandi

in

in Choro, legendi plures Miſſas, ſi id non inſit beneficio; conſequenter beneficia ſine conditione, modo, & pacto, quo oneretur beneficiatus, conferenda ſunt. Dixi 1mò. Per Collatorem Papa inferiorem: nam quin is pro pleniſſima ſua in omnibus beneficiis poteſtate poſſit beneficia ex juſta cauſa gravare novis oneribus, dismembrare, unire &c. extra dubium eſt.

Dixi 2. In ipſa collatione: nam ante illam, dum beneficium vacat, poteſt Epiſcopus 1mò ex juſta cauſa, v. g. pro bono pacis, & concordiæ, ſi ex duobus litigantibus unus cedere velit, conſtitutâ penſione; item pro ſtudio pauperum Scholarium, pro utilitate Eccleſiæ, pro ſolvendis gravibus debitis Epiſcopatûs &c. temporalem beneficiis penſionem imponere, idque, per ſe loquendo, juxta Laym. L. 4. Tr. 2. C. 18. ſine conſenſu Patroni. Prohibet Trid. tamen Seſſ. 24. de Reform. Cap. 3. ne Parochiales Eccleſiæ, quæ valorem annuum verum 100. Ducatorum non excedunt, penſionibus, & reſervationibus graventur. 2. Poteſt, ſi ſenex infirmus reſignare velit purè & ſimpliciter beneficium, quod etiam inutilis retinere potuiſſet, ſtatuere, ut Succeſſor in beneficio ſolvat penſionem ad dies vitæ reſignantis: pro qua hic etiam apud Epiſcopum poterit ſupplicare, ſine pacto tamen. 3. Poteſt Epiſcopus ex juſta cauſa, tenente ſe ex parte Eccleſiæ, beneficium vacans dismembrare, id eſt: fructus aliquos ab ea ſeparare, ut applicentur alteri beneficio, vel loco pio, ſalvâ tamen congruâ ſuſtentatione Beneficiarii. 4. Poteſt beneficia aliqua unire, ſeu ex duobus unum conſtituere. Uniri autem poſſunt vel æquè principaliter, ità, ut neutrum amittat ſuam naturam, titulum, qualitates, & prærogativas, neu-

Quid poſſit Epiſcopus beneficio vacante

neutrumque ſubjiciatur alteri, unum tamen acquirant Rectorem, in quo uniantur, etſi non inter ſe: vel ità, ut minus dignum fiat acceſſorium digniori, & principali: ùt, ſi Parochia uniatur Canonicatui, Præpoſituræ, &c. Et hoc caſu acceſſorium quaſi extinguitur, aſſumitque qualitates, & prærogativas principalis; & hinc nunquam vacat in, & per ſe, ceſſatque in eo Jus præſentandi, & conferendi: vel ità, ut reditus, decimæ, &c. ad aliquam Eccleſiam pertinentes, tribuantur Monaſterio, vel Collegio. Hæc unio nec extinguit beneficium, nec illud ſubjicit ſuperiori Monaſterii, vel Collegii, ità, ut unus ſit talis Beneficii, & Monaſterii, aut Collegii Rector. Si tamen, ùt ſæpe factum, Beneficium v. g. Parochiale uniatur Monaſterio vel Collegio, aut Eccleſiæ Collegiatæ quoad temporalia ſimul, & quoad ſpiritualia, dicitur pleno Jure incorporatum, & Prælatus fit Parochus principalis, curamque exercet per Vicarium, à ſe præſentatum, & ab Epiſcopo inſtitutum, cui portionem congruam aſſignare debet Prælatus, quæ dein imminui ſine authoritate Epiſcopi non poteſt. Quòd ſi populus ſimul eximeretur à Juriſdictione ſpirituali Epiſcopi; Prælatus haberet Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Beneficium eſſet pleniſſimo Jure incorporatum. 5. Poteſt beneficium dividere, ſeu ex uno inſtituere plura, ità, ut diviſis fructibus, deinceps duo, vel plures inſtituantur Beneficiati. 6. Poteſt beneficium extinguere, v. g. ob tenuitatem redituum, & hos piis cauſis applicare. Dixi: *Poteſt aliqua unire:* nam hodiedum prohibetur Epiſcopus unire beneficia unius Diœceſis cum beneficiis alterius Diœceſis, beneficia curata, & Eccleſias Parochiales Monaſteriis, dignitatibus, Hoſpi-

Hoſpitalibus, Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aut beneficiis ſimplicibus.: item collativa beneficiis patronatis ſine conſenſu Patroni. Trid. Seſſ. 14. Cap. 9. Seſſ. 24. Cap. 13. Seſſ. 25. Cap. 9. de Reformatione: De his plura vide apud Layman, Suar. & Canoniſtas in L. 3, Tit. 5.

4. Requiritur, ut, ſi ordinarius Collator conferat, id faciat intra ſes menſes à die vacationis cognitæ, aut Juris ad conferendum acquiſiti. Cap. *Nulla. de Conceſſ. Prabend.* Si autem Collatio Parochiæ ſit reſervata Papæ, vel competat alteri, quàm Epiſcopo. tum, ubi Conſtitutio Pii V. viget, intra dies 20. debet fieri examen, & magis idonei præſentatio etiam à Laico, & dein præſentatus intra duos menſes inſtitui: tempus tamen præſentandi non currit legitimè impedito. At Conſtitutio illa in his partibus non obſervatur quoad omnia. *4. Collatio fiat intra ſex menſes.*

397. *Quid in dubio de menſe mortis?*

Si dubium ſit, an beneficiatus ſit mortuus in menſe Papali, vel Epiſcopali; ſtandum eſt pro Epiſcopo; quia ad hunc de Jure communi ſpectat proviſio in ſua Diœceſi, & olim providebant de omnibus; circa tempora autem Joannis XXII. Papæ incepit reſervatio hæc occaſione; ad preces Papæ & Officialium ejus, Epiſcopi conferebant beneficia, ſicque dein plura ſibi reſervavit Papa: quare Epiſcopi habent intentionem fundatam in jure communi, pertinetque ad eos proviſio, niſi de reſervatione conſtet, eamque aſſerenti incumbit probatio. La Croix L. 4. n. 489. de Luca apud ipſum. Hinc ſi beneficiatus inveniatur mortuus in ultima nocte Decembris, & dubium ſit, an ante vel poſt medium noctis, pertinet proviſio ad Epiſcopum. An alicui poſſit conferri pinguius beneficium, ut præhabitum dimittat. V. La Croix L. 4. n. 1066.

QUÆSTIO VII.

Quæ requirantur ad legitimam Beneficii reſignationem, ſeu renuntiationem?

398. *Quid, & quotuplex ſit reſignatio?* *Nota.* Reſignatio eſt libera, ac ſpontanea beneficii dimiſſio. Dividitur primò in expreſſam, & tacitam. Tacita eſt, quæ fit facto aliquo, voluntatem beneficium dimittentis ſignificante, vel ex diſpoſitione Juris importante: ùt ſi beneficiatus profeſſionem in Religione faciat: ſi Clericus in minoribus conſtitutus matrimonium ineat, &c. Expreſſa eſt, quæ fit verbis coram legitimo Superiore. Hæc ſubdividitur in puram, ſeu ſimplicem, & conditionalem. Pura eſt, quæ fit ſine conditione, pacto, & modo. Conditionalis eſt, quæ fit adjectâ conditione, pacto, vel modo, qui de Jure non ineſt. Si fiat præcisè, ut beneficium conferatur certæ perſonæ, dicitur reſignatio conditionalis pura in favorem, ſi fiat, ut ex beneficio à Succeſſore in eo, vel reſignanti, vel alteri ſolvatur certa penſio; dicitur reſignatio conditionalis qualificata, & cum reſervatione fructuum: ſi fiat, ut reſignatarius viciſſim ſuum beneficium reſignet reſignanti, dicitur reſignatio conditionalis ex cauſa permutationis. Hoc notato

399. *Reſignatio 1. ſit libera.* Reſp. Ad legitimam reſignationem requiritur 1mò, ut ſit libera, & ſpontanea, ſeu non extorta injuſto metu, non obtenta dolo vel fraude: nemo enim niſi liber privat propriâ voluntate ſe Jure ſuo; & quamvis metus injuſtus non impediat voluntarium ſimpliciter, actum

actum tamen facit irritabilem; imò quandoque irritum, ùt ſi injuſto metu extorta eſſet electio, vel ad reſignationem ſic coactus eſſet à ſæcularibus captus, vel detentus, per Cap. 14. & 43. *de electione*, & Clement 2. *Sanè de pœnis.*

2. Requiritur juſta cauſa, quales ſunt debilitas virium, defectus ſcientiæ, irregularitas, in qua non ſolet diſpenſari, major utilitas Eccleſiæ, ingreſſus in religionem, quam inferior ſine conſenſu Epiſcopi ingredi poteſt, non tamen hic ſine conſenſu Papæ. 2. *Ex juſta cauſa.*

3. Ut quis reſignet beneficium, quod cum Jure in re pacificè poſſidet, regulariter conſenſus legitimi Superioris requiritur, ſeu in ejus manus reſignari debet beneficium per Cap. 4. & 8. de renuntiatione. *Ratio eſt;* quia Beneficiatus obligavit ſe Eccleſiæ, nec niſi per legitimum Superiorem vinculo illo ſolvi poteſt, ſique ſecus faceret, reſignatio eſſet nulla, poſſetque compelli, ut ad beneficium prius rediret. Legitimus autem Superior hic eſt, ad quem de Jure communi ſpectat inſtitutio, non verò ad quem ſpectat ex privilegio, aut conſuetudine. Unde is eſt Papa, & Epiſcopus. Dixi 1mò. *Quòd cum Jure in re, &c.* Nam qui tantùm habet Jus ad rem uti præſentatus, aut electus tantùm, poteſt ſine conſenſu Superioris reſignare coram Patrono, vel Electoribus, quia vinculum illud cum Eccleſia necdum habet. Dixi 2. *Regulariter*; quia, ut profeſſurus in religione reſignet, ſufficit indicari Superiori, ſi purè & abſolutè reſignet: ex jure enim habet facultatem dimittendi beneficium ex cauſa profeſſionis in religione. 3. *Cum conſenſu Superioris.*

4. Ut beneficium reſignetur purè, & ſim- 4. *Sim-*

 plici-

plex coram Episcopo vel Papa.

pliciter, ſufficit, id fieri in manibus Epiſcopi, vel, Sede ejus vacante, in manibus Capituli, non tamen Vicarii Generalis ſine ſpeciali mandato. Cap. 1. *De officio Vicarii in 6.* Nam ad eum pertinet recipere reſignationem, niſi jus aliter diſponat, ad quem pertinet inſtituere, & deſtituere, ſeu deponere Beneficiatum; hoc autem pertinet ad Epiſcopos, & Sede vacante ad Capitulum.

5. In favorem coram Papa tantùm.

5. Ut reſignatio fiat in favorem ſub pacto, ſeu purè, ſeu ſub novo onere, v.g. reſervatione penſionis, ſeu partis fructuum; ex jure communi neceſſe eſt, ut fiat in manibus Papæ; nam reſignatio in favorem etiam pura prohibetur Cap. 1. *de conceſſ. Prabend.* Et pactiones, & conditiones, quæ beneficio non inſunt, jure communi ſunt illicitæ, cui contravenire non poteſt Epiſcopus, deteſtanturque Canones hæreditariæ in beneficiis ſucceſſionis ſpeciem; cui via aperiretur, ſi coram Epiſcopis liceret reſignatio in favorem: venirent enim facilè beneficia de conſanguineis ad conſanguineos, excluſis dignioribus, cum detrimento Eccleſiæ, & ſcandalo Fidelium. Dein ex jure communi beneficia ſine diminutione ſunt conferenda, ne evertantur piæ Fundatorum voluntates. Dixi: *In favorem ſub pacto:* Nam reſignans ſimpliciter, poteſt Epiſcopo commendare tertium, & rogare, ut illi beneficium conferatur. Imò & ſic eſſe animo conſtitutus, ut ſi ſciret, illi beneficium non eſſe conferendum, illud non reſignaret. Illa enim intentio mala non eſt, modò abſit pactum; quod abeſſe poteſt, cùm nihil exigatur à reſignatario, nec recipiatur ab Epiſcopo. Idem dicit La Croix N. 1014. etſi diceret: reſigno, ſed non aliter, quàm ut Titio meum

meum beneficium conferatur, modò id non fiat cum pacto.

6. Ad reſignationem in favorem requiritur, ſi Patronatum ſit, conſenſus Patroni Laici, non verò Eccleſiaſtici apud Papam, ùt habet communis contra aliquos. *Ratio eſt;* ne Laici deterreantur, quò minùs benefaciant ex propriis Eccleſiæ. Sufficit tamen, ſi conſenſus poſtea accedat. Dixi: *Ad reſignationem in favorem:* Nam ſi reſignatio pura & ſimplex fiat coram Ordinario, nullius Patroni requiritur conſenſus: quia Patrono tunc non præjudicatur, cûm Epiſcopus alteri conferre beneficium non poſſit ſine præſentatione. Si beneficium ſit electivum, requiritur conſenſus eligentium; ſi ſit collativum, conſenſus Collatoris, cui tamen derogare poteſt Papa. La Croix N. 976. *6. Cum conſenſu Patroni.*

7. Ut infirmus cum effectu reſignet etiam ſimpliciter, regulariter requiritur, ut ſupervivat 20. dies: aliàs beneficium vacat per mortem: ex regula Cancellariæ 18. quæ regula *de viginti* dicitur: dies autem computari debent à die, quo reſignans per ſe, vel per alium coram Ordinario, ſi reſignatio ſit ſimplex: vel coram Papa, ſi ſit in favorem, conſenſit in reſignationem acceptatam ab Epiſcopo, vel Papa in magna Camera, in qua ùt reſignatio expediatur, debet abſens reſignans conſtituere mandatarium, qui nomine ejus reſignet, & reſignatarius abſens pariter, qui nomine ejus reſignationem acceptet, quod utrumque præſtare poteſt eadem perſona. Dixi: *Regulariter*: id eſt, niſi ſuper regula; *de viginti.* Diſpenſatio impetretur, quæ peti poteſt, & quandoque conceditur. Demum debet reſignatio expedita in loco beneficii publicari. V. La Croix N. 1067. *7. Ut infirmus ſupervivat 20. dies.*

N. 1067. Cauſæ autem regulæ illius ſunt hæ: 1ma. Ne Ordinarii, vel habentes gratias exſpectativas ſuo jure priventur. 2da. Ne beneficia fiant hæreditaria, & de illis diſponatur per modum ultimæ voluntatis. 3tia. Ne infirmis, ratione fortè jam debili, quævis perſonæ obtrudantur. 4ta. Ne detur occaſio captandi mortem reſignantis.

Conſtitutio. Verba regulæ hæc ſunt: *Item voluit, ut ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit, ſive in Romana Curia, ſive extra illam aliquod beneficium ſive ſimpliciter, ſive causâ permutationis, vel alias dimiſerit, aut illius commendâ ceſſerit, ſeu ipſius beneficii diſſolutioni conſenſerit, etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus, ſignata, & poſtea infra 20. dies, per ipſum reſignantem præſtandi conſenſûs computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, & ipſum beneficium quâvis authoritate conferatur, collatio ejuſmodi ſit nulla, ipſumque beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare.*

Hæc Regula comprehendit omnes perſonas, etiam Cardinales, omniaque beneficia etiam electiva, & patronata. Hinc, etſi jam per reſignationem beneficii vacantis facta eſſet inſtitutio, collatio, vel confirmatio; ſi tamen intra 20. dies de momento ad momentum computandos reſignans moriatur, omnia iſta ſunt irrita, & beneficium, tanquam vacans permortem, providetur. Dixi: *De momento ad momentum computandos:* Nam licet in favorabilibus, ſi tempus definiatur per annos, dies inceptus habeatur pro completo; non tamen ſi tempus definiatur per dies: unde in præſenti dies primus præſtiti conſenſus, & ultimus, quo reſig-

Diverſa temporis computatio.

reſignans moritur, non habentur pro diebus completis, ſed hora diei ſpectanda eſt. Vid. La Croix à N. 994. 1001. 1002.

8. Requiritur, ut beneficia reſignata conferantur, quoad Conſanguineos, conformiter Bullæ Pii V. ſaltem ubi hæc recepta eſt: Quæ incipit: *Quanta Eccleſia Dei.* Et ſic ſtatuit: *Præcipimus, ne Epiſcopi, aut alii Collatores de beneficiis, & Officiis reſignandis, aut ſuis, aut dimittentium Conſanguineis, Affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant providere: Quòd ſi ſecùs, aut etiam quidquid, aut contra formam prædictorum fuerit a quoquam temerariè attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere. Qui verò contra fecerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur; à Beneficiorum, & Officiorum collatione, nec non electione, præſentatione, inſtitutione, confirmatione, prout cuique competierit, tam diu ſuſpenſi remaneant, donèc remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia Beneficia, ſeu Officia receperint, prædictis pœnis volumus ſubjacere.* Dixi: *Ubi recepta eſt.* Receptam autem eſſe in Diœceſi Colonienſi, Leodienſi, & Monaſterienſi in Weſtphalia, teſtatur P. La Croix L. 4. N. 1013. debuitque ab initio ubique recipi, & obligare poſt acceptam notitiam, utì in fine habetur. Supplicavit tamen contra eam Hiſpania, utì teſtatur Diana P. 5. T. 14. Reſ. 26.

8. Ut ſervetur Pii V. quoad conſanguineos conſtitutio.

Circa illam La Croix notat ſequentia: 1mò. Per Epiſcopos non intelliguntur Cardinales, etſi ſint Epiſcopi, quia conſtitutio eſt odioſa. 2. Per familiares intelliguntur, qui actu deſerviunt Epiſcopo, aut Collatoribus, & continui ſunt com-

commenſales in eadem domo. 3. Cùm dicat: *Ne Epiſcopi, aut alii Collatores*, putat de Luca de Beneficiis D. 65. N. 16. probabile eſſe, quòd non comprehendat Canonicos Turnarios, qui nomine Capituli conferunt; quia Capitulum non habet Conſanguineos, aut Affines. 4. Conſtitutio illa locum non habet in beneficiis Patronatûs, uti declaravit Greg. XIII. Nec hoc reſtringendum eſt ad Patronatum Laicalem; quia Pius loquitur de Epiſcopis, & Collatoribus, quà talibus, quando ſcilicet ex ſe ipſis beneficia conferunt. 5. Si quis ignorans ità promoveatur, etſi non incurrat pœnas, proviſio tamen eſt invalida. 6. Epiſcopus non poteſt ejuſmodi familiares, Conſanguineos, & Affines ad concurſum pro Parochia, in manus ſuas reſignata, admittere. 7. Beneficium in manus ſuas reſignatum conferre Epiſcopus poteſt conſanguineo, vel Affini ſui Vicarii Generalis; non hic viciſſim Conſanguineo, vel Affini, vel familiari Epiſcopi, quia, quod Vicarius facit, cenſetur facere Epiſcopus. Unde & conferre ſuis Conſanguineis, Affinibus, aut familiaribus poteſt Vicarius Generalis, quà talis. 8. Conferri poſſunt Conſanguineis &c. ſi vacent aliter, quàm per reſignationem; quia Pius tantùm loquitur de vacantibus per reſignationem. Vide Leuren. P. 3. Q. 370.

Nec conſtitutio illa obſtat dictis præcedente reſolutione 5. quòd prohibeat omnem Succeſſoris in beneficio deſignationem; imò & intentionem Succeſſoris, ſicque videatur comprehendere etiam alios præter Conſanguineos: nam Zoeſ. & Engel dicunt, id prohiberi Collatori tantùm, ne appromittat alicui conferre. Navarr. Sanch. Pariſ. Caſtrop. dicunt, tantùm vetari

tari deſignationem, vel intentionem expreſsè, vel tacitè deductam in pactum. Alii tenent eſſe tantùm admonitionem, ne hoc fiat, non autem præceptum, cùm tantùm dicat: *Caveat.* Cæterùm illæ nudæ preces nullam afferunt Collatori obligationem, & de ſe illicitæ non ſunt: cumque non conſtet de prohibitione, interpretatio in contrarium locum habet La Croix n. 1014.

9. Requiritur, ut Reſignatarius ſit idoneus, & habilis, de quo n. 402. Hæc ſi adſint, poſſunt (ſi excipias primarias poſt Pontificalem in Eccleſiis Cathedralibus, & principales in Collegiatis dignitates, Epiſcopatum, & alia Epiſcopatu majora beneficia, quæ ſibi Papa reſervavit per regulam tertiam Cancellariæ) omnia beneficia, etiam Papæ reſervata, purè, & ſimpliciter in manus Epiſcopi, etiam in menſe Papali, reſignari; quia non reſervatur reſignationis admiſſio, ſed beneficii collatio. Si hæc ſemper ad Papam pertineat. Quare Epiſcopus reſervata talia non poterit conferre, ſed ad Papam id pertinet. v. n. 395. in fine §. 1. *9. Fiat perſona idonea.*

QUÆSTIO VIII.

Quæ ad legitimam Beneficiorum permutationem requiruntur, & in ea obſervanda ſint?

400. Reſp. Sequentia: 1mò. Requiritur juſta cauſa. 2. Ut fiat coram legitimo Superiore, quales ſunt Papa, & Epiſcopus, qui recipere poteſt permutationem ſimplicem, & ſine onere novo; non verò Collator Epiſcopo inferior, niſi legitimâ conſuetudine aliud ſit introductum. Quòd ſi beneficia ſpectarent ad diverſas Diœceſes, *1. Cauſa, & ſuperior legitimus.*

ſes, requireret permutatio coram Epiſcopo utriuſque Epiſcopi conſenſum; ſi ſecùs fieret, permutatio eſſet nulla, & eſſet ſimoniaca. Licet tamen volentibus permutare prævië tractare de permutatione cum relatione ad conſenſum Superioris. At non licet abſolutè concludere, multò minùs concluſas executioni dare conditiones.

2. Jus in beneficio. 2. Requiritur, ut permutare volentes habeant jus in, vel ad beneficium, quia nemo poteſt permutare jus non ſuum; imò putant aliqui, requiri jus in re, ut permutatio fiat apud Ordinarium. La Croix n. 1085.

3. Conſenſus Patroni. 3. Ut adſit conſenſus habentis jus præſentandi, eligendi, conferendi, prout nempe fuerint beneficia vel patronata, vel electiva, vel collativa; quia fas non eſt, permutationem fieri in aliorum præjudicium, niſi Pontifex juri illorum deroget.

4. Ut non fiat alteri. 4. Ut Superior conſentiens in permutationem, non conferat alteri, quàm permutantibus, beneficia: hi enim non reſignant aliter. Quare, ſi permutatio etiam ex alio defectu non haberet effectum liberum eſſet beneficiatis redire ad priora beneficia.

5. Sine novo onere. 5. Ut ſine authoritate Papæ non imponatur ſub pacto pro pinguiore beneficio dimiſſo, compenſatio pecuniaria, ſeu penſio; quia eſſet reſignatio conditionalis ſub novo onere, quod beneficio non ineſt. Ità Suar. Caſtrop. Leurenius. Putant tamen Cajet. Gonzal. Navar. & alii apud La Croix n. 1104. poſſe Epiſcopum ex officio, & velut Judicem motu proprio, ſi non anteceſſerit conventio partium, imponere beneficium pinguius accepturo compenſationem inæqualitatis; ſed Leſſius rectè remittit ad conſuetudinem loci, quæ niſi per legitimam præſcriptionem obtineat, non licebit;

quia

quia de jure communi beneficia ſine diminutione ſunt conferenda.

6. Ut permutatio apud Ordinarium non fiat, niſi inter duos, adeoque non ſit triangularis, vel quadrangularis: hinc non ſubſiſtit, ſi reſignes Cajo, ut is reſignet Titio, & Titius tibi. Cæterùm, ſi nullum ex beneficiis permutandis ſit Papæ reſervatum pro omni tempore, ſed ſint collationis alternativæ, eorum permutationes ſimplices poteſt Ordinarius admittere, & conferre beneficia etiam in menſibus Papalibus: quia, ſicut beneficia illa, cùm per reſignationem vacant, non ſunt reſervata, ità nec, dum vacant ex cauſa permutationis, quæ eſt quædam reſignationis ſpecies. Nomine tamen reſignationis ordinariè non venit permutatio. La Croix n. 953. & n. 1098. *6. Ut fiat tantùm inter duos*

7. Ut coram Ordinario permutetur Beneficium non niſi cum Beneficio. Ità AA. communiter teſte La Croix num. 1084. *Ratio eſt;* quia Epiſcopo tantùm permiſſum, ut permittat, & approbet permutationes Beneficiorum. Cùm ergo omnis pactio in materia beneficiali jure antiquo Cap. *Quæſitum de rerum permut.* & Cap. *Majoribus De Præbendis* prohibeatur, adeoque verſemur in materia potiùs odioſa, ſaltem ex genere ſuo, quàm fâvorabili; conceſſio non eſt extendenda ad permutationem Beneficii cum non beneficio. *7. Ut beneficium non permutetur niſi cum beneficio*

Hinc Beneficium permutari non poteſt 1mò cum Jure Patronatûs. Nec 2dò cum Decimis. Nec 3tiò cum Capella, vel Hoſpitali, aut præſtimonio, niſi hæc erecta ſint in Titulum perpetuum, ideoque ſint Beneficia Eccleſiaſtica. Nec 4tò cum Commenda Beneficii, quia deſerviens non habet Titulum.

Non cum titulo Patrimonii. Nec ſtò cum Titulo Patrimonii, tum, quia, etſi Titulus ille authoritate Ordinarii conſtitueretur ad dies vitæ reſignantis beneficium, tamen naturam beneficii non indueret; tum, quia bona in Titulum aſſignata manent bona temporalia, &, defuncto ſuper iis ordinato, redeunt ad hæredes, vel eos, qui liberaliter ea in Titulum, quoad uſum fructuum, aſſignârunt. Neque enim ſunt donata Eccleſiæ, ut perſona Eccleſiaſtica ex iis ſuſtentationem habeat propter functiones ſacras; ſed, ut pro decore ſtatûs Eccleſiaſtici, ſi indigeat, poſſit vivere, ſunt aſſignata: neque negantur ex iis fructus, ſi functiones ſacras non obeat; ſed jus ſuum ad convenientem ſuſtentationem retinet, vel ad dies vitæ, vel, donec de ſufficienti beneficio ſit proviſa, prout Titulus erectus fuerit. Gaudent quidem beneficio fori Eccleſiaſtici, quamdiu ſunt pro Titulo; ſed non ideo fiunt Eccleſiaſtica, aut Spiritualia, præſertim, ſi fuerint propria ordinati deſuper. Hinc, quia ſine authoritate Papæ Jus percipiendi fructus ex bonis beneficii ſeparari non poteſt ab officio, ſed cum hoc ſit moraliter unum, non poteſt commutari cum Titulo Patrimonii; imò nec cum penſione Eccleſiaſtica, non erectâ in Titulum perpetuum: ùt habet communis cum Suarez L. 4. de Simonia. Cap. 33. à num. 4. Videatur La Croix L. 6. P. 2. num. 2277. & 2283. L. 4. num. 1084. ubi ait quidem, viros doctos, à ſe interrogatos, putâſſe, ordinatum ſuper Miſſis fundatis, juncto patrimonio, poſſe hunc ſuæ ordinationis Titulum, ſi authoritate Ordinarii fiat perpetuus reſignanti beneficium, coram Ordinario permutare cùm beneficio Eccleſiaſtico; uſque nuper accepi, praxis illa

in Diœceſi Colonienſi viget, ut authoritate Epiſcopi beneficium permutetur cum Titulo patrimonii, ad dies vitæ cedenti beneficio transſcripti. Quod & in hac Diœceſi Trevirenſi factum ſcio, & ratio fortè eſt: quia, etſi patrimonium non ſit propriè bonum Eccleſiaſticum, nec ex natura ſua perpetuum in eo rigore, quo beneficium; attamen aſſignatur, & admittitur ab Eccleſia in ſuſtentationem Miniſtri Eccleſiaſtici, & extrahitur à Juriſdictione ſæculari, eſtque ad dies vitæ reſignantis beneficium.

8. Requiritur, ut permutatio fiat coram tali Superiore, qui beneficia conferre poſſit. Hinc coram Epiſcopo beneficia Papæ reſervata, unita, litigioſa, & quæ quis per diſpenſationem habet, permutari non poſſunt. Simplex tamen reſignatio beneficii litigioſi coram Ordinario valet; qui tamen id conferre non poterit, nec alium collitigantem ſubrogare, quia beneficia litigioſa ſunt Papæ reſervata per Cap. 1. & 2. *Ut lite pendente in* 6. La Croix n. 982. 1087. Cæterùm permutari poteſt beneficium ſimplex cum duplici, poſſeſſum cum non poſſeſſo, unum cum pluribus. *8. Ut Superior poſſit conferre beneficia.*

Petes. Quæ apud Superiorem à permutantibus, vel reſignantibus ſint exprimenda? Reſp. Exprimenda 1mò eſt cauſa. 2. An beneficium ſit litigioſum, an quis ſuper eo ſit ordinatus? 3. Si beneficium requirat Sacerdotium, an id acceptu-rus ſit Sacerdos? 4. Si aliqua alia qualitas, quàm beneficium exigit, deſit, id exponi debet: univerſim enim acquirens beneficium debet habere omnes qualitates, ad id requiſitas, & quæ onera ſubeunda ſunt, quando beneficium ſimpliciter vacat, etiam ſubeunda ſunt, dum vacat ex cauſa permutationis. 5. Si permutatio fiat 401. *Exprimenda coram Superiore.*

apud Papam, non obſtat conſanguinitas, neque neceſſariò exprimenda eſt, ſed tantùm, ſi fiat apud alium inferiorem. 6. Si fiat apud Epiſcopum, non eſt neceſſe plura beneficia, quæ quis habet, exprimere, modò permutanda poſſit conferre; nec opus eſt exprimere inæquâlitatem ætatis, ſi cætera adſint. Iſthæc exprimenda eſſe apud Papam, alii affirmant, alii negant.

QUÆSTIO IX.

Quæ requirantur, ut quis idoneus & habilis ſit ad Beneficium Eccleſiaſticum?

401. *Conditiones.* Reſp. Requiritur 1mò, ut ſit legitimè natus, aut ſaltem legitimatus. 2. Ut ſit Clericus, ſeu Clericali tonſurà initiatus: cùm enim Laicus munia Eccleſiaſtica ex officio obire non poſſit beneficii Eccleſiaſtici; quod datur propter officium, ſeu functiones ſacras, non eſt capax. 3. Ut ſit immunis à Cenſura Eccleſiaſtica, & irregularitate, alioquin proviſio eſt invalida. 4. Ut ſit cœlebs, conjugatus enim ad beneficium non admittitur. 5. Ut adſit ætas requiſita: nempe annus 14. pro beneficio ſimplici, pro curato annus 25. uterque inchoatus. 6. Ut ſit corpore, & mente aptus ad munia beneficii. 7. Ut adſit intentio perſeverandi in ſtatu Eccleſiaſtico, ſaltem, niſi cauſa nova rationabilis occurrat poſtea; quia beneficia ſunt inſtituta pro iis, qui Deo in ſtatu Clericali ſe ſtatuerunt mancipare. 8. Ut admittens beneficium Parochiale habeat animum intra annum ſuſcipiendi Sacer-

cerdotium; aliàs peccat, teneturque fructus perceptos reſtituere, ex Cap. *Cùm in* 37. *De Electione in* 6. niſi, mutatâ voluntate, intra annum fieret Sacerdos. Dixi: *Admittens Beneficium Parochiale*: nam, ſi foret ſimplex, ſacrum Ordinem non requirens, illud acceptans ſine animo perſeverandi in ſtatu Clericali, non teneretur fructus perceptos reſtituere, ſi muneri ſuo ſatìs feciſſet: quia lex id exigens non reperitur, & impletio muneris eſſet titulus eos retinendi.

An autem talis peccet graviter, ſi lucretur fructus, & habeat animum ducendi uxorem, aut, ubi abſolverit ſtudia, beneficium reſignandi, dubium eſt. Negat Sanch. Vaſq. Layman: quia illa perverſio Ordinis non videtur gravis, nec jure poſitivo vetatur. Affirmant quidam alii; eò quòd videatur eſſe gravis deceptio Eccleſiæ, quæ beneficia inſtituit pro iis ſolis, qui divino ſervitio ſe penitùs mancipârunt: Unde Toletus ait, abſolvendum non eſſe, niſi aut animum mutet, aut beneficium dimittat.

QUÆSTIO X.

An, & quando unus poſſit habere plura Beneficia?

Reſp. Eſt contra jus naturæ, & indiſpenſabile, ut quis plura beneficia habeat, niſi id juſtæ cauſæ, & circumſtantiæ cohoneſtent, & excuſent. Eſt communis omnium fere ſententia cum D. Thom. *Ratio eſt* 1. Quia repugnat fini beneficiorum, intentionique Fundatorum. Ideo enim plura fundata ſunt beneficia, ut cul- 403. *Eſt intrinſecè malum, non tamen abſolute,*

tus Dei augeatur ; ſi autem unus plura habeat, ubi neceſſitas Eccleſiæ , vel magna utilitas id non poſtulat , cultus Dei non augetur, augeretur autem , ſi quiſque non niſi unum haberet : plura enim fierent Sacrificia , plures publicis Officiis, & nomine Eccleſiæ Deum laudarent, ad miſericordiam , & beneficia conferenda flecterent. 2. Iniquum eſt, quòd unus ſtipendia pluribus , à Fidelibus deſtinata, accipiat , & alii Clerici, ſæpe magìs digni, & Eccleſiæ futuri utiliores excludantur , omnique ſubſidio priventur ; aliis verò per Patronos procurentur plura beneficia. Unde oriuntur occaſiones ſcandalorum , ſuppeditatur materia avaritiæ , luxûs, ambitionis. Ex quo patet, quòd pluralitas beneficiorum penes unum certum contineat periculum animarum, ùt loquitur Conc. Lateranenſe 3. Cap. 14. & ordinem Eccleſiaſticum perturbet, ùt ait Trid. Seſſ. 24. Cap. 17. Dixi : *Niſi juſtæ cauſæ, & circumſtantiæ excuſent :* nam ab uno, eodemque plura beneficia poſſideri , non ità intrinſecè malum eſt ; quin ex juſtis cauſis in circumſtantiis certis perſonæ, temporis, loci, &c. cohoneſtari poſſit , & ab Eccleſia concedi: utì, ſi cedat ad majorem Dei gloriam ob Eccleſiæ neceſſitatem, utilitatem, aliamve cauſam, in Eccleſiæ bonum redundantem : quam quia decet ſuſtentare ſuos miniſtros , cauſa ſufficiens ad concedenda uni plura beneficia , eſſe poteſt neceſſitas miniſtri , ſi nempe unum ad competentem ſuſtentationem non ſufficiat , quod judicandum eſt ex perſonæ qualitate, loci , temporis diverſitate : v.g. An ſit perſona nobilis , in Eccleſia illuſtri, in urbe : an parentes, fratres, conſanguinei, quibus eum decet ſubvenire, indige-

digeant, in quibus quiſque ſibi Judex erit, memor, quòd Deum fallere non poſſit. Et, quamvis hìc non neceſſariò habenda ſit ratio bonorum Patrimonii, cùm Eccleſiæ ſit alere ſuum miniſtrum, illaque per accidens hìc ſe habeant; cavendum tamen, ne inordinata cupido has cauſas inanes effingat, velut prægnantes, & falſas beneficia multiplicandi, ſupponat veris: nam ſine cauſa legitima nec vult, nec poteſt diſpenſare Papa; cùm non niſi diſpenſator ſit bonorum Eccleſiæ, ideoque non poſſit ea diſpenſare, niſi in utilitatem ejus, & cultum Dei, in quem deſtinata ſunt. Hinc Trid. Seſſ. 24. Cap. 17. de Reform. ait: *Se ipſos, non Deum decipiunt, qui ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus excludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt.* Ex his deduco

Corollaria.

Habens plura beneficia per ſe non eſt tutus.

1. Qui plura habet beneficia, etiam ſimplicia, quorum ſingula ſufficiunt ad honeſtam, convenientemque ſuſtentationem, non eſt ſecurus in conſcientia, niſi unum dimittat; quia id repugnat juri naturæ; in quo, niſi id per cauſas, & circumſtantias deſinat obligare, Pontifex diſpenſare non poteſt. Et de hoc intelligitur S. Bern. apud S. Thomam. Quodlibetico 6. a. 15. dicens: *Qui non unus, ſed plures eſt in Beneficiis, non unus, ſed plures erit in ſuppliciis, &, qui poterat ire ad infernum ſine diſpenſatione, jam ibit cum diſpenſatione* Nec excuſat conſuetudo contraria, quia, utpote repugnans juri naturæ, eſt irrationabilis, & corruptela, quæ per præſcriptionem obtinere non poteſt. Videt conſuetudinem Pontifex, ſed non ideo approbat: nam, ùt dicitur Cap. *Jam dudum, de Præbendis: Multa per patien-*

tiam tolerantur, quæ, ſi in judicium deducta fuerint, exigente juſtitiâ, non debent tolerari. Dein Pontifex diſpenſat ſub conditione: *Si preces veritate nitantur.* Quare, ùt rectè monet Diana, in materia hac tam lubrica, & periculoſa videat unusquiſque, quid agat, & viros doctos, & timoratos conſulat: nec dicat: ille, & iſte hoc facit; ergo licitum eſt hoc facere: illud enim abſonè infertur.

Quid ſi unum ſit inſufficiens ad ſuſtentationem? 2. Qui habet beneficium inſufficiens ad competentem ſuſtentationem, ei poteſt aliud conferri ſufficiens, modò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat. Ità Trid. ſupra. An autem tunc ſimplex poſſit inſufficiens retineri, controvertitur. Negat Pirrh. L. 3. T. 5. n. 139. cum aliis. Alii affirmant, colligentes id ex Trid. cùm dicat: *Dummodo perſonalem reſidentiam non requirat utrumque.* Quodſi tam ſecundum, quàm primum eſſet inſufficiens, utrumque retineri poteſt, modò non ſint incompatibilia quoad officia.

Econtra, ſi præhabitum ſufficiat ad ſuſtentationem, non videtur eſſe licitum admittere ſecundum, etiam inſufficiens, animo ſimul retinendi; etiamſi utrumque eſſet ſimplex, & neutrum reſidentiale, niſi juſta cauſa, & circumſtantia evacuet turpitudinem: nam, ùt vidimus, id repugnat per ſe juri naturæ. Quòd verò habens primò inſufficiens, poſſit id poſtea retinere cum alio ſufficiente, cauſa poteſt eſſe; quia poſſidens inſufficiens ſervivit Eccleſiæ, & ab ea ſuſtentationem non habuit: proinde decet, ut ſe Eccleſia in eum gratam, & liberalem oſtendat.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO XI.

An, & quale peccatum ſit ad Beneficium Eccleſiaſticum promovere indignum, vel minùs dignum, prætermiſſo digniore?

Reſp. 1. Eſt peccatum mortale, ad beneficium, etiam ſimplex, promovere præſentando, eligendo, commendando indignum, quando dignus haberi poteſt. Ità omnes. *Ratio eſt;* quia promotio indigni cedit in grave detrimentum Eccleſiæ, eſt contraria intentioni Fundatorum, derogat graviter cultui divino: nam indignus cenſetur, qui ad officium debitè præſtandum eſt ineptus, vel ratione pravæ vitæ, vel ignorantiæ, vel morbi, aut ſimilis impedimenti vel putatur non futurus utilis Eccleſiæ, nec ſatisfacturus officio; talem autem promovere utique cedit in grave detrimentum Eccleſiæ, & cultûs divini. Unde & talis, ambiens beneficium, mortaliter peccat, ſique ad id promoveatur, tenetur Eccleſiæ compenſare damnum illatum percipiendo fructus, & non præſtando, quæ ex officio præſtanda erant, & dein, ipſo deficiente, Promotor, & poſt hunc Cooperatores. Ex quo etiam conſtat, teneri Patronos, Collatores &c. inquirere in dignos. 404. *Promovere indignum eſt grave.*

Reſp. 2. Mortale quoque eſt, per ſe loquendo, promovere, ſeu præſentare, proponere, poſtulare, eligere minùs dignum, omiſſo digniore, ad beneficium, habens annexam Curam animarum, vel juriſdictionem, vel functionem magni momenti, ùt concionandi, docendi. Item ad Superioratum Religioſorum. 405. *Uti & minus dignum per ſe loquẽdo ad Parochiã.*

Probatur; Tum quia præcipit Concil. Lateranenſe 3. Cap. 17. & Trid. Seſſ. 24. Cap. 1. & 18. & Pius V. Conſtit. 33. ut dignioribus conferantur talia beneficia. Et non eſſe intelligendum præceptum ſolùm, quando conferuntur per concurſum, conſtat ex damnata 48. ab Innoc. XI. Vide dicta in Analyſi n. 126. Tum, quia cedit in grave detrimentum Eccleſiæ, repugnatque fini, ad quem beneficia ſunt inſtituta: Primarius enim eorum finis eſt major Dei cultus, majorque Eccleſiæ utilitas; Secundarius autem, ut ſint præmia virtutum, quibus digniores in Eccleſia honorentur, & juventur. Uterque autem finis ille impeditur, ſi minùs digni præferantur. Tum, quia omittens digniorem, agit in re gravi contra fidelitatem, ex officio debitam Eccleſiæ: hæc enim commiſit facultatem providendi de beneficiis eâ lege, ut illâ utamur tanquam fideles diſpenſatores ſecundùm fines, quos Eccleſia præfixos ſibi habuit, inſtituendo beneficia; hoc autem grave eſt, & in re gravi violare fidem ex officio debitam, eſt mortale. Tum, quia violare juſtitiam diſtributivam per acceptionem perſonarum in diſtributione bonorum communium, eſt ex genere ſuo mortale, adeoque mortale in materia gravi.

406. *Quis cenſeatur dignior?* Dixi in aſſertione 1mò. *Omiſſo digniore:* nam, ſi digni æquales tantùm haberentur, liberum foret conferre digno uni præ alio: dignior autem cenſetur, qui aptior eſt, ſpectatis functionibus beneficii, circumſtantiis loci, temporis ad ea obeunda, & ad Eccleſiæ utilitatem, animarumque ſalutem, qualis quandoque eſt minùs doctus, ſi ad iſta aliis talentis, & facultatibus ſuperet.

Dixi

Dixi 2. *Per ſe loquendo*: nam excuſari poteſt à mortali 1. Si beneficium ſit levis momenti. 2. Si unus non ſit, niſi paulò minùs dignus altero. 3. Si, ubi duo beneficia conferuntur, unum non, niſi parum excedat alterum. 4. Si proviſio fieri debeat perſonis certæ communitatis, familiæ, vel loci: tum enim, etſi aliunde poſſent haberi digniores, ſufficit provideri digniorem familiæ, loci, &c. Sic enim excitantur homines ad fundanda beneficia, quod cedit ad cultum Dei, & utilitatem Eccleſiæ, quæ in talem fundationem conſenſit. 5. Si digniori reſervetur melius, cujus brevì vacaturi ſpes affulget. 6. Si aliter nequit impediri electio indigni. 407. *Quæ excuſent a mortali?*

Dixi 3. *Ad Beneficium habens annexam curam animarum, &c.* nam, licèt dicta probabiliter vera ſint de beneficio ſimplici, multi tamen apud La Croix L. 4. N. 588. cenſent, poſſe ſimplex conferri ſine gravi culpa ſimpliciter digno, prætcrito digniore. Multi etiam apud Lugonem de Juſtitia Diſp. 35. tenent, Patronos Laicos ſatisfacere, ſi præſentent dignos, quorum ſententiam, quia nemo facilè improbabilem dicet, patet, quid ſentiendum ſit de praxi. Et ratio eſſe poteſt; quia Laici non poſſunt ità judicare de majore dignitate. Hinc putant etiam timorati, ſe ſatisfacere, ſi dignum præſentent. Neque à Prælatis Eccleſiæ tam rigoroſè proceditur extra concurſum. Et quanquam promotio indigni ſit irrita, vel ſaltem irritanda: promotio tamen ſimpliciter digni præ digniore valet; & ſuſtinetur, ne detur occaſio innumeris litibus, detractionibus & calumniis. Neque ſic promotus tenetur reſignare beneficium, aut aliquid digniori, vel Eccleſiæ reſtituere; quia, ſicut operarius me- 408. *Promotio minùs digni ad Beneficium ſimplex.*

lior

lior non habet jus, ut vocetur ad labores pro ſtipendio, ſic dignior non habet jus ſtrictum ad beneficium, & Eccleſiæ aſſignatus eſt idoneus Miniſter, cujus labor eſt par ſtipendio. Unde nec dignus, qui ſe curavit præferri digniori, nec, eum promovens, peccat contra Juſtitiam, ſecundùm La Croix, poteſtque judicans, ſe minùs dignum, ſiſtere ſe examini, & relinquere ſe judicio Examinatorum, vel Collatorum; qui ſi, ſpectatis omnibus, quæ ipſe examinare non ita quandoque poteſt, ipſum digniorem judicent, poteſt, ſalvâ conſcientiâ, beneficium admittere, quòd alioquin alius, magis dignus, fortè accepturus eſſet. Si tamen in concurſu negligatur dignior, ſtricta ei fit injuria, debetque ei conferri beneficium, niſi gravius incommodum timeatur; ſique hoc meritò timeatur, debet ei fieri compenſatio aliqua ab eo, qui cauſa principalis injuriæ fuit; nam, dum fit concurſus, tacitus quidam contractus intervenit, ut is beneficium habeat, qui, examen ſubiens, dignior inventus fuerit; quaſi diceretur; *Dabo, ſi prævaleas. Examen ſubeo, ut des, ſi prævaleam.* Demum culpâ vacat, extra concurſum minùs digno conferre beneficium ſimplex, ſi id charitas, aut cauſa, in bonum Eccleſiæ redundans, poſtulet: uti, ſi Sacerdos non poſſit, niſi ſic levari inopiâ, aut magis idonei ſerventur curæ animarum, aut, ut Paſtor ad curam minùs idoneus amoveatur, & ad beneficium ſimplex promoveatur.

An permutans beneficium teneatur etiam attendere ad digniorem, dubium eſt. Affirmant aliqui ob rationes datas. Negant alii, quia non eſt diſtributor beneficiorum, ſed dimittit, quod ſuum eſt. Sique id retineret,

non

non teneretur plus facere, quàm mediocriter idoneus, ergo talem ſubſtituendo ſatisfacit. Vide La Croix L. 4. à n. 579.

QUÆSTIO XII.

Quomodo Beneficia amittantur, & quando vacent?

Reſp. His modis 1. Per mortem Beneficiati. 2. Per liberam reſignationem coram legitimo Superiore acceptante. 3. Per Sententiam Judicis ob crimen per Canones hâc privatione puniendum; ùt, ſimplex homicidium, adulterium, ſacrilegium, perjurium. 4. Per Matrimonium, & Profeſſionem Religioſam. 5. Per crimen, cui privatio beneficii ipſo jure annexa eſt: ùt ſunt Hæreſis, Schiſma, Simonia, falſificatio Literarum Apoſtolicarum, Sodomia, homicidium per Sicarium ad id conductum. Ob hujuſmodi tamen crimen non tenetur reus dimittere beneficium, antè legitimè poſſeſſum, ante Sententiam Judicis, criminis declaratoriam. Quæ privatio retrò trahitur ad diem commiſſi criminis, ità, ut fructus, ab illo die percepti, amittantur reſignatioque, vel permutatio beneficii, ſi facta ſit, poſſit reſcindi. 6. Per quietam & fructuoſam ſecundi beneficii, ad honeſtam & competentem ſuſtentationem ſufficientis; item cum priore pariter ſufficientis, incompoſſibilis poſſeſſionem. Tum autem cenſetur poſſeſſio quieta, ſi nulla controverſia intra duos menſes ſit mota circa eam, vel beneficium; Fructuoſa verò, ſi fructus, ſaltem ex majore parte, beneficiato, aut ejus hæredibus, non autem, ſi fabricæ, vel Canonicis Senioribus ſint obven-

409. *Amittuntur ſex modis.*

venturi : antè enim non cenſetur beneficium plenè poſſeſſum. Unde, ſi habens Parochiam accipiat alterius, in Titulum collatæ, pacificam, & quietam, fructuoſamque poſſeſſionem, prior aut ipſo jure amittitur, aut eſt dimittenda. Idem eſt de duobus beneficiis ſimplicibus, incompatibilibus, vel quorum ſingula ad ſufficientem ſuſtentationem fructus ferunt. *Excipe.* Niſi Fundator voluiſſet, ut à ſe fundatum cum alio retineri poſſet, aut quis per diſpenſationem plura beneficia habuiſſet propter ſuorum indigentiam: hâc enim ceſſante, ea poſſet retinere, modò proventus ſuperfluos piis cauſis impendat. Vide La Croix n. 892.

QUÆSTIO XIII.

Quæ ſint obligationes Eccleſiaſticorum, & Beneficiatorum?

410. *Obligatio conſtituti in ſacris.* Reſp. Sunt ſequentes. 1. Omnes tenentur ad Horas Canonicas ſecundùm dicta, & in majore ordine conſtituti tenentur ad caſtitatem perpetuam, ità, ut ſint ſacrilegii rei, ſi contra eam peccent. Idem dic de Commendatore perpetuo quoad Horas, non tamen de Coadjutore: quia Commenda perpetua, cùm habeat vim Tituli, ex Trid. Seſſ. 7. Cap. 2. æquiparatur beneficio; Coadjutoria autem nec beneficium eſt, nec ei æquiparatur.

411. *Obligatio ad reſidentiam.* 2. Omnis Beneficiatus jure naturali tenetur, regulariter, & per ſe loquendo conformiter fundationi ad reſidentiam, ſeu habitationem per ſe, vel minimùm per alium in loco beneficii, ad ſervitium Eccleſiaſticum tempore debito præſtandum v. g. Epiſcopus in Epiſcopatu, & regulariter

riter in loco Cathedralis Eccleſiæ, Parochus in Parochia &c. Ratio eſt; quia beneficium datur propter officium, ſeu functiones ſacras: ex tacito enim contractu fundatoris vel Eccleſiæ cum beneficiato confertur jus percipiendi fructus mediante officio, quo non præſtito fructus non facit ſuos, niſi aut infirmitas, aut juſta cauſa Eccleſiæ excuſet, ob quam fictione juris cenſeatur præſens. Dixi 1mò: *Conformiter Fundationi:* nam Curati tenentur ad reſidentiam moraliter continuam; dico moraliter, qui enim phyſicè ſolùm aliquantiſper abſunt, nec cenſentur abeſſe, ècontra ſi fundatio non requirat, niſi ut certæ dicantur Miſſæ, relictâ libertate loci; obligatio non eſt reſidendi. Dixi. 2. *Regulariter & per ſe loquendo:* Si enim ob mutatas per injurias temporum circumſtantias, per rationabilem conſuetudinem, vel ſtatuta, à ſuperiore legitimo approbata, introductum ſit, ut ſatisfieri cenſeatur, ſi Canonici in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis annuè per ſex, quinque, vel tres tantùm menſes reſideant, & tamen, ut videmus hodiedum fieri, percipiant fructus beneficiales ſeu groſſos totius anni, id per accidens eſt. Dixi 3. *Per ſe vel per alium*, puta æquè vel magis idoneum: quamvis enim communis ſententia habeat, beneficiatos ſimplices non teneri ad reſidentiam perſonalem, niſi Jure Eccleſiaſtico, modò per alium æquè idoneum omnia requiſita præſtentur ſine detrimento cultûs divini, & Eccleſiæ; attamen tenent plerique, beneficiatos curatos jure naturali, & divino obligari ad reſidentiam perſonalem per ſe, eò quòd fundatio, & collatio beneficii curati requirat induſtriam perſonæ, & Tridentinum Seſſ 23. Cap. 1. de Reform. apertè pronunciet, ex mandato divino

eos,

eos, quibus cura animarum commiſſa eſt, teneri oves ſuas agnoſcere, pro iis Sacrificium offerre, eas paſcere verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, omniumque bonorum operum exemplo, quæ curatus, niſi præſens præſtare, non poteſt. Nihilominus P. Binet contendit in Curatis etiam non requiri reſidentiam perſonalem niſi Jure Eccleſiaſtico. 1mò, quia Jus naturale videtur tantùm requirere, ut Eccleſiæ ſic provideatur, ut nec cultus divinus, nec bona Eccleſiæ, nec animarum ſalus ex Curati abſentia detrimentum patiatur; his autem optimè conſulitur, ſi præſtantes Vicarii æquè, aut magìs idonei ſubſtituantur, quorum perſonalis induſtria quoque requiritur, & deficientem Paſtoris compenſat. 2. Tridentinum non determinavit, an reſidentia perſonalis Curati Jure divino requiratur, vel ſufficiat Vicaria; quamvis enim aliqui PP. cum Cardinale Lotharingo inſtarent, ut decideretur, reſidentiam perſonalem Jure divino, & naturali Curatis eſſe præceptam; attamen cùm alii Patres obſiſterent, deciſum ſolummodò fuit, reſidentiam eſſe præceptam, abſtrahendo à perſonali, & Vicaria. Videri poteſt Pallavicinus in Hiſt. Trid. P. 3. L. 21. C. 13. n. 18. 3. Licèt Papa diſpenſare nequeat, ut nec Paſtor, nec Vicarius idoneus reſideat, ſæpè tamen diſpenſavit, ut unus plures haberet Epiſcopatus, per Vicarios adminiſtrandos, univit beneficia curata Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Monaſteriis, Parthenonibus cum Jure percipiendi fructus, etſi cura animarum exerceatur per Vicarium etiam temporalem, imò nec per Parthenonis Abbatiſſam, aliamve ſuperiorem poſſit exerceri, cùm clavium capax non ſit, ſed Jus tantùm habeat nomi-

nominandi Vicarium idoneum, ab Epiſcopo examinandum, approbandum, & inſtituendum, eumque vel perpetuum vel temporalem, ſi hoc in literis unionis concedatur, aut facta ſit unio pro menſa ſuperioris, vel conventûs, aut habeatur per privilegium, vel longiſſimi temporis conſuetudinem. Unde Abbatiſſa non eſt paſtor etiam habitu, niſi analogicè. Hæc autem non videntur poſſe fieri, ſi reſidentia ſit juris naturæ, & divini: jus enim naturale immutabile eſt, & contra jus divinum non præſcribitur.

Reſpondent primæ ſententiæ patroni, jus illud non eſſe omnino abſolutum, ſed conditionatum, niſi ſcilicet juſta cauſa accedat, ut Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, obedientia debita, evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Ob has cauſas Pontifex, inquiunt, non tam diſpenſat in reſidentia perſonali, quàm declarat, ad illam hic, & nunc non eſſe obligationem ex jure naturali, & divino. Sic Beneficiati ſaltem ſimplices poſſunt abeſſe, ſi vocentur ad obſequia ſpiritualia Epiſcopi, uti &, ut per quinquennium vel ſeptennium ſtudeant Theologiæ, vel juri Canonico in univerſitate, vel celebri Academia. Dixi *ſaltem ſimplices*: Nam La Croix putat, Paſtores non poſſe abeſſe ratione ſtudii, eo quod ſcientiâ neceſſariâ, dum curam animarum ſuſcipiunt, debeant eſſe inſtructi; ſed Schmaltzg. Biner, & alii idipſum cum licentia Epiſcopi etiam curatis concedunt, quia magis, & ad officia utiliora Eccleſiæ ſe aptare poſſunt.

412. *Tempus abſentiæ per Trid. licitæ curatis.*

3tiò. Per Tridentinum licet Epiſcopis juſta de cauſa per annum abeſſe tribus menſibus ab Epiſcopatu, Paro his à Parochia cum licentia

Epiſcopi duobus, Subſtituto vicario, ſi diutius abſint peccant, & fructus pro rata temporis ſuos non faciunt reſpondentes officio beneficii, niſi aliud poſtulet cauſa juſta Eccleſiæ, vel reipublicæ, uti ſi Epiſcopus abeſſe deberet diutius ob munus publicum, Epiſcopatui annexum E. g. comitia generalia, vel provincialia, aut Parochus (qui tamen debet ſemper ſubſtituere vicarium idoneum) ad jura Eccleſiæ ſuæ defendenda &c. Si præbendati in Eccleſiis Cathedralibus, & collegiatis per annum abſint trimeſtri per Trid. Seſſ. 24. cap. 12. 1mo anno privantur dimidiâ parte fructuum 2do fructibus totius anni. ſed hæc conſtitutio non eſt ubique recepta. Plura de reſidentia, & obligationibus Paſtorum habentur in Neo Conf. à n. 154.

413. *Superflua in pias cauſas ſunt expendenda.* 4. Quamvis Clerici beneficiati non teneantur vivere ex ſuis Patrimonialibus, ſed poſſint omnia ad competentem ſibi ſuſtentationem neceſſaria deſumere ex reditibus beneficiorum ſuorum; quod tamen ex his ſuſtentationi competenti ſuperfluit, tenentur, ſi non ex juſtitia, quod multi probabiliter contendunt; ſaltem ex præcepto Eccleſiæ erogare in pauperes, aliasve pias cauſas. Secus eſt de iis, quæ accipiunt ex Miniſterio ſpirituali, ùt adminiſtratione Sacramentorum Concionibus, Sacrificiis, fungendo Vicariâ temporali &c. Sed de hoc vide P. 3. N. 49.

414. *Habitus conveniens.* 5. Tenentur Clerici beneficiati, & in Sacris conſtituti geſtare tonſuram, & habitum Clericalem, id eſt; veſtes, quæ de communi, & probato uſu Provinciæ geſtari à Clericis ſolent. Quando in horum neglectu ſit culpa gravis, ſpectandæ ſunt circumſtantiæ loci, & temporis, offenſio populi, deſpectus ſtatûs Clericalis:

ticalis : datur enim in his parvitas materiæ. Qui ſunt tantùm initiati minoribus, & beneficium non habent, non tenentur ad prædicta. Vide La Croix L. 4. N. 1371.

6. Tenentur Clerici ex Cap. 1. & 2. de Clerico Venat. abſtinere à venatione, clamore magno ab iis exercenda, ſaltem frequenti Moderata, rara, & recreationis causâ, vacare poteſt culpa : Prohibitio enim hodiedum multùm eſt mitigata. Poſſunt quoque Clerici interesse clamoſæ venationi, modò ab ipſis non exerceatur. Similiter tenentur luſus fortunæ potiùs, quàm induſtriæ, ità vitare, ut in conſuetudinem non abeant. La Croix 1376. 1378. 415. *Abſtinentia à venatione clamoſa.*

7. Tenentur Clerici, niſi ſuſtentatio competens aliud exigat, abſtinere à negotiatione, non omni quidem, ſed propriè dicta, id eſt, quà res comparentur eo animo, ut non mutatas, ſed integras cariùs vendendo, vel permutando, lucrum acquirant. Quòd, quia eſt obnoxium periculo multorum peccatorum ; & valde à Divinis diſtrahit, ſtatumque Clericalem dedecet inhiare lucris, ſeverè prohibitum eſt Clericis in ſacro ordine conſtitutis, & Religioſis omnibus, ità, ut mortaliter peccent, ſi multam dent operam negotiationi. Lugo idem dicit contrà communiorem de Minoriſta, habente beneficium ad ſuſtentationem ſufficiens. 416. *Et negotiatione.*

Dixi 1mò. *Quæ res eo animo comparentur* : nam iis licet emere cum animo vendendi ſine lucro ; quia non eſt prohibita negotiatio, niſi lucri causâ fiat. Hinc Clericus, ſi emerit aliquid, ut conſumat, & poſtea creſcente pretio vendat ; ſperans ſe viliùs empturum ; non pec-

 cat :

cat : eſt enim actus prudentiæ œconomicæ. Idem eſt, ſi emat plura pro ſecuritate ſuæ proviſionis, & quod ſuperfluit, etiam cariùs vendat; quia emit animo obviandi periculo defectûs, qui ſæpe multùm nocet. Item ſi emeret viliora pro ſua œconomia, ut ſua pretioſiora poſſit vendere.

Dixi 2. *Ut non mutatas vendendo &c.* nam poteſt Clericus emere materiam, ut conficiat artefactum & vendat, poteſt emere pecora, ut ſuis paſcuis ſaginata, alere gregem, ut fœtus, lac, lanam vendat; juxta Gobat poteſt etiam emere hordeum, ut vendat confectam inde cerviſiam. Imò juxta alios etiam uvas, ut vinum, à ſe, vel à ſuis domeſticis expreſſum, vendat. Rectè monet Lugo, in ejuſmodi moralibus attendendum eſſe ad ſenſum, & æſtimationem communem, quid nempe cenſeatur eſſe, vel non eſſe negotiatio.

Dixi 3. *Niſi ſuſtentatio competens aliud exigat* : Nam ſi adſit neceſſitas propriæ perſonæ, vel familiæ, cui aliàs deeſſet commoda ſuſtentatio. ceſſat prohibitio quoad neceſſaria; quia, cùm facta ſit ad decentiam ſtatûs, non cenſetur prohibere id, quod ad decenter vivendum neceſſarium eſt. Imò etiam licitum eſt in neceſſitate gravi pupilli, viduæ, vel perſonæ miſerabilis : tunc enim ſpecies turpis lucri ceſſat, & non tam lucrum, quàm ſublevatio proximi quæritur. Quin & extra hos caſus negotiari per alium extraneum, non ſuum domeſticum, prohibitum non eſſe, docet Lugo, & nec fore veniale, niſi adſit ſpecies avaritiæ, & Clericus ſe ſimul immiſceat; quia ceſſat finis legis: ùt ſi Clericus det pecuniam, & alter ponat induſtriam. Nec cenſetur facere per ſe, quod facit

facit per alium, quando ceſſat tota ratio legis. Si Clericus librum à ſe compoſitum det typo, ut lucrum inde habeat, an ſit negotiatio, habet Gobat in *Quin* l. 11. poſt n. 27. in appendice quid hoc liceat religioſo Societatis Jeſu videri poteſt lugo de juſt. d. 26. n. 35. Quod ſacerdos vi ordinis teneatur aliquando celebrare, dicetur p. 4. n. 198.

QUÆSTIO XIV.

Quæ obſervanda ſint de penſionibus, quæ Beneficiis Eccleſiaſticis imponantur?

Reſp. Hæc. 1mo penſio eſt jus ad tempus parcipiendi fructus aliquos ex beneficio alieno, authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum. Differt à beneficio Eccleſiaſtico quia hoc perpetuum eſt, ità & dum vacat, alteri ſit conferendum; penſio autem finiatur morte penſionarii, aut hujus renuntiatione, quæ ſine authoritate ſuperioris fieri poteſt. 417. *Quid & quotuplex ſit penſio?*

2dò. Penſio triplex eſt, temporalis, ſpiritualis, & media, ſeu mixta. Temporalis eſt, quæ datur propter miniſterium temporale præſtitum, vel præſtandum, ut quæ datur Principi tanquam Eccleſiæ defenſori, vel ejus Procuratori, advocato, œconimo, æditue, pulſanti campanas &c. Spiritualis eſt, quæ datur Clerico, & fundatur in titulo mere ſpirituali, ut quæ datur concionatori, coadjutori, vel vicario Epiſcopi aut Parochi: Media eſt, quæ datur quidem Clerico, ſed non fundatur in officio ſpirituali, ut ea quæ datur Clerico pauperi ad victum, vel Parocho ſeni ad ſuſtentationem

dum Parochiam reſignat, vel datur reſignationis, litis componendæ, aut commutationis cauſâ. Hæ duæ poſtremæ dicuntur Clericales, quia Clericis ſolis, prima dicitur Laica, quia datur Laicis.

imponi poteſt etiam ab Epiſcopo. 3tiò. Beneficiis imponere penſionem etſi proprium ſit Papæ; poteſt tamen id etiam Epiſcopus ex cauſa juſta ſpeciali. Cauſæ ſunt paupertas Clerici, Parochi ſenis reſignantis ſuſtentatio, pax inter litigantes de beneficio, utilitas Eccleſiæ in permutandis beneficiis, modò fiat ante collationem, debet tamen penſio eſſe moderata, ut beneficiario maneat conveniens ſuſtentatio, & adeſſe ejus conſenſus, imo eſt Patroni, ſi vergat in ejus præjudicium; ſecus non. Vide dicta n. 400 §. 5. 396. §. 3.

Obligatio penſionarii. 4tò. Penſionarius ex conſtitutione Pii V. ubi in uſum deducta eſt, quod ex timoratorum praxi in locis Beneficiorum colligendum eſt, teneatur ſub onere fructus non faciendi ſuos, acceptoſque reſtituendi orare quotidie officium Beatiſſimæ Virginis; manetque hæc obligatio, etſi partem penſionis dimiſerit, aut aliquas anticipatas acceperit, ſolutiones, imò etſi totam, niſi authoritate Apoſtolica interveniente, redimi permiſerit, quia habet fructibus æquivalens.

Ab hac obligatione excipit Bonac. 1mo illum, cui conſtituta eſt penſio in commodum alterius, quia ſolus ille tenetur qui illâ fruitur. 2. Illum cui conſtituta eſt, ut Laico, vel abſque conditione Clericatus. 3tio. Illum, qui recitat horas Canonicas, etſi aliunde ad illas obligetur. Ex dictis

418. *Corollaria.* Deduco 1mo. Penſio temporalis, ſeu Laica redimi poteſt authoritate propriâ, quià id nulla

nulla lege prohibetur, nec ipſa eſt aliquid ſpirituale, nec ſpirituali annexa, ſed legitima authoritate ſeparata à ſpirituali La-Croix n. 1182. Suar. Leſſ. Azor ſotus. & alii.

2dò. Penſio merè ſpiritualis ſine vitio Simoniæ redimi nequit, conſequenter nec vendi: Penſio enim hæc eſt jus proventus, mediante officio ſpirituali à penſionario præſtando, percipiendi, ſicut autem jus illud poſſideri nequit, niſi ab habente ſpirituale officium; ſic nec emi, aut acquiri poteſt, niſi ſimul ematur, vel acquiratur ſpirituale officium. Atque hæc ratio eſt, cur pecunia acquiri nequeat Beneficium. Si tamen penſionarius retineret officium, poſſet proventus temporales elocare, & vendere etiam, ſpectatâ rei naturâ, ad dies vitæ. Ita Laym. Suar. Leſſ. & alii Ratio eſt, quia ſic penſionarius tantum acciperet anticipatam ſolutionem, & Beneficiarius daret, pro immunitate ab onere quot annis aliquid ſolvendi, ſummam totalem, immunitas autem illa ſicut & fructus, juſque ad illos, præſtita jam functione, debitos, eſt quid merè temporale: Proinde duplex hic, ſicut & in Beneficiis jus ad proventus diſtinguendum eſt; primum mediatum eſt, & fundamentale, quod quis habet ad illos, mediante officio ſpirituali, à ſe præſtando, percipiendos: Hoc ſpirituale eſt, quia continetur in officio ut fundamento, & per illud poſſidetur, nec acquiri poteſt, niſi à quo acquiritur officium. Alterum eſt, quod quis habet, præſtitâ jam functione officii: Hoc naſci debet ex officio primo, eſtque immediatum in fructus, & temporale, nec ampliùs cum ſpirituali, utpote jam præterito, connexum; Unde, & vendi poteſt; non vero primum.

3tiò. Penſio media jam conſtituta non tantùm quoad fructus ſecundùm jam dicta, ſed etiam ſecundum ſe redimi poteſt, ſaltem accedente conſenſu Papæ. Ita Cajet. Sotus La-Croix n. 1118. & n. 1183. & alii contra Nav. Azor, viva & alios, contendentes, eſſe ſpiritualem, eò quod fundetur in Clericatu, & annexam habeat obligationem orandi officium B. V. Ratio primæ ſententiæ eſt ; quia cùm non detur ad officium aliquod ſpirituale obeundum, nec fundetur in titulo ſpirituali, à quo dependeat, ſed datur ad alimentationem Clerici, vel aliam cauſam temporalem, cenſenda eſt merè temporalis. Nec obſtat 1mo, quod non detur niſi Clerico : nam Clericatus eſt tantùm conditio ſine, qua ex ſtylo curiæ Romanæ non datur, non verò titulus, à quo dependeat : Hinc, ſicut ſi quis legatum relinquat Clerico ad ſuſtentationem, non relicturus id illi, ſi Clericus non eſſet, id non evadit ſpirituale, ſic nec penſio conſtituta ad alimentationem Clerici. Nec obſtat annexa obligatio ad officium B. V. Hæc enim acceſſoria eſt, non fundamentum in quo fundetur penſio, nec cauſa ob quam datur, ſed paupertas Clerici &c. Certè ſt pendium datum, ut legatur miſſa non evadit ſpirituale etſi annexam habeat obligationem dicendi Miſſam.

Dixi : *Saltem accedente conſenſu Papæ*: Nam multi tenent, nullam penſionem Clericalem etiam per anticipatam ſolutionem poſſe redimi ſine ejus authoritate. Imo quidam dicunt, redemptionem, propria authoritate factam, eſſe Simoniacam ; quod tamen plurimi probabilius negant, tenentque plures graves A. A. Non eſſe peccatum penſionem, exceptâ mere ſpirituali, anticipata

cipata ſolutione redimere, quia nulla lege invenitur redemptio illa prohibita.

QUÆSTIO XV.

An præbendæ Canoniſſarum ſæcularium ſint Beneficia, & ad quid teneantur?

Reſp. 1. Cùm Beneficium, propriè dictum, non poſſit poſſideri, niſi à Clerico, earum Præbendæ beneficia propriè non ſunt. Si tamen quæ talia Collegia ſint erecta authoritate Epiſcopi; ſunt materiæ Simoniæ. Vide La Croix L. 3. P. 1. N. 105. 419. *Non ſunt beneficia.*

2. Etſi talia Collegia teneantur ad Officium Divinum, quotidie in Choro peragendum, juxta ſtatuta ſua, & conſuetudinem receptam, ità, ut, ſi quæ per ſuam abſentiam cauſa eſſet, ut officium fieri non poſſet, graviter peccaret; ſingulæ tamen extra Chorum ad Horas Canonicas quotidie recitandas probabiliter non tenentur ſaltem ſub gravi. Ità Leſſ. in auctario V. Horæ Gobat in experimentis. Tr. 5. N. 635. & alii. *Ratio eſt*; quia non tenentur ratione Beneficii, Ordinis, vel Profeſſionis. An autem obligatio ad eas per conſuetudinem, vel intentionem Fundatorum ſit introducta, non ſatis conſtat, nec eſt fundamentum præſumendi; Finis enim Fundatorum erat, ut puellæ nobiles convenienter ſuæ conditioni educarentur, donec convenientes nuptias conſequerentur; fuiſſetque illa obligatio illis periculoſa. Unde non præſumitur impoſita, aut per conſuetudinem introducta, imò à fœminis poſſe induci conſuetudinem legalem graviter obli- *An obligent ad horas canonicas?*

 gantem,

gantem, negant multi apud Gobat N. 750. Quare, cùm etiam de lege certa non conſtet, onus tam periculoſum illis imponendum non eſt; Cùm lex debeat in bonum communitatis eſſe. Nec obſtat, quòd aliquæ degentes extra Collegium Horas ſollicitè perſolvant, parenteſque id filiabus fortè inculcent: nam gratitudo aliquas ab iis preces poſtulat, ſuntque tales Canoniſſæ, perſonis Eccleſiaſticis propinquæ. Proinde decens eſt, ut aliquas preces pro piis fundatoribus, vel inſtar Monialium Horas perſolvant; quas, ſi omittant, multò minùs tenentur ad reſtitutionem fructuum. Lex enim ad id obligans Canonicos, cùm odioſa ſit, non eſt extendenda. Vide La Croix L. 4. N. 233. ubi examinat, an Canoniſſa clam maritata, ad tempus poſſit frui Præbenda; reſpondetque negative, quia ceſſat in ea finis fundationis, ſicque eſt inhabilis ad præbendam; ſecus de occulta fornicaria.

CAPUT VII.

De cultu religionis, qui Deo exhibendus eſt per reverentiam erga perſonas, & loca ſacra ex Immunitate Eccleſiaſtica debitam.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Immunitas Eccleſiaſtica?

420. *Definit.* Reſp. Immunitas Eccleſiaſtica eſt Jus, ſeu privi-

privilegium univerſale, quo perſonas, res, & loca ſacra à communibus oneribus, jurisdictione ſæculari, & violentia libera oportet eſſe. Eſt proinde triplex Immunitas, ſcilicet perſonalis, quæ perſonas, realis, quæ res, localis, quæ loca ſacra ſpectat. *tio, & diviſio.*

Perſonalis alia dicitur privilegium fori, vi cujus Clerici exempti ſunt à jurisdictione ſæculari; alia privilegium Canonis, eſtque gratia, & favor ſtatui Clericali conceſſus Canone: *Si quis ſuadente* 26. *Cauſa* 17. *q.* 4. quo eximitur ipſe, & omnes res ei adhærentes ab omni actione injurioſa exteriore. Hoc gaudent omnes Clerici non conjugati, & Religioſi utriuſque ſexûs, etiam Novitii ſecundùm dicta. P 1. N. 283. Nomine immunitatis localis non venit hic, niſi immunitas Aſyli, quod eſt privilegium locis, ad Dei cultum deſtinatis, conceſſum, quo reis ad Eccleſiam confugientibus præſtatur ſecuritas, ut inde vi & violentiâ extrahi non poſſint, maximè, ut tuti ſint in vita, & membris.

Q U Æ S T I O II.

Quinam, & quomodo Clerici beneficio fori gaudeant?

Reſp. Jure communi, & antiquo omnes Religioſi utriuſque ſexûs, & Clericali, ſeu 1ma tonſura initiati eo gaudent. Jure verò novo Trid. Seſſ. 23. Cap. 6. excluditur conſtitutus in minoribus, niſi beneficium habeat Eccleſiaſticum, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens, vel alicui Eccleſiæ ex Mandato Epiſcopi deſerviat, vel in Seminario Clerico- 421. *Quidam excluduntur.*

rum,

rum, aut in aliqua ſchola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. Item excluditur Clericus conjugatus, & bigamus, vel habitum Clericalem, aut tonſuram non deferens. Reliqui verò omnes ſoluti, qui conditiones præſcriptas à Trid. ſervant, gaudent privilegio fori quoad omnes ejus effectus.

Exemptio à foro ſæculari. Unde 1mò ſunt exempti à foro judicii ſæcularis, etiam in cauſis civilibus, niſi Laico Judici fortè ratione rei, de qua eſt controverſia, competat juriſdictio. Uti, ſi Eccleſiæ vel perſonæ Eccleſiaſticæ res data eſſet in feudum, cum reſervatione juriſdictionis. Nihilominus poſſunt ùt Actores, non ùt rei, propter cauſam civilem coram Judice ſæculari comparere: quia reus Laicus coram ſuo Judice conveniri poteſt.

2. Eorum bona Eccleſiaſtica, & Patrimonialia libera ſunt à gabellis, & tributis, quæ titulo juriſdictionis exiguntur; modò obligatio contribuendi non adhæreat bonis, vel negotiationem, ipſis prohibitam, iis non exerceant.

3. Clericus à Judice ſæculari ad teſtandum cogi non poteſt, in crimine tamen deprehenſus, aut de propoſito id perpetrandi ſuſpectus, à ſæculari poteſtate capi poteſt, ut Judici Eccleſiaſtico tradatur; uti &, ſi debita habeat, & fugam meditetur, Laym. L. 4. Tr. 9. Vide dicta P. 1. de Cenſuris N. 283.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ loca, & quæ perſonæ gaudeant privilegio Aſyli, & quæ ob crimina excepta non gaudeant?

Reſp. 1mò. Illo gaudent 1mò templa & ſacella, quæ Epiſcopi authoritate conſecrata, vel benedicta, vel aliâ ratione, v. g. Crucis erectione deputata ſunt ad publicum Sacrificii, vel Sacramentorum uſum. 2. Alia loca religioſa: ùt Monaſteria, Hoſpitalia, authoritate Epiſcopi fundata, ipſumque etiam Epiſcopi Palatium. 3. Cœmiteria, habitaculaque Eccleſiæ omnia: ùt ſacriſtia, atrium, porticus, & quomodolibet Eccleſiæ, vel locis religioſis adhærentia; quia, quæ ipſis locis adhærent, cenſentur ad hunc effectum religioſa. Imò & Cœmiterium diſtans ab Eccleſia; quia præſumitur authoritate Epiſcopi benedictum, & campanile ab Eccleſia ſejunctum, modò non ultra 30. paſſus diſtet. Item villæ ſeu grangiæ, quas etiam recreationis causâ habent Religioſi Ciſtercienſes, & cum illis communicantes per privilegium Eugenii Papæ IV. Denique tabernaculum Euchariſtiæ. Hinc, qui confugit ad illam ferentem in platea, aut ſe miſcet illam comitantibus, capi non poteſt: ſic enim habet conſuetudo. Quod tamen non procedit, ſi in carcere confugiat quis ad Sacerdotem, illam iſtuc deportantem. 412. *Loca Aſyli.*

Reſp. 2. Aſylo gaudent, præterquam in criminibus exceptis, omnes baptizati, etſi perſonaliter interdicti, aut excommunicati etiam 413. *Perſonæ aſylo gaudentes.*

etiam denuntiati, imò & hæretici propter aliud, quàm hæreſeos crimen ad Eccleſiam confugientes, & probabiliter etiam Infideles, Pagani, & Judæi: quia privilegium primariò reſpicit loca ſacra, ne videlicet irreverentes, & violentæ in iis actiones fiant. De infidelibus, & Judæis tamen alii probabiliter negant.

Neque excluduntur 1 mò ſervi, ſi ob grave delictum confugiant ad Eccleſiam. Secus, ſi præciſè fugiant à Domino, abſitque periculum, ne Judici tradantur ob grave delictum: quia Dominus licitè repetit rem ſuam, & vi occupat. L. 6. §. 5. C. *Ac his, quæ ad Eccleſiam.* Idem dic de famulis, de damnatis ad triremes, de militibus militiam deſerentibus, qui gaudent immunitate contra Duces ſuos, quà Judices, & pœnam mortis vel æquivalentem expoſcentes, non verò contra Duces, quà tales, repetentes militem deſertorem, perſonaliter aſtrictum ſibi ad militandum, modò Duces juramentum præſtent de illius immunitate ſaltem à pœna corporali gravi.

2. Nec excluduntur debitores etiam ex ſua culpa tales, ſi ad evitandum carcerem ad Eccleſiam ſe recipiant: nomine enim reorum in jure veniunt omnes tam debitores, quam delinquentes, tam civiliter, quàm criminaliter conventi, præſertim in materia favorabili, qualis eſt hæc.

3. Nec fugitivi ex effracto carcere, vel ex manibus lictorum elapſi. Qui tamen jam cappti, & vinculis ſatellitum conſtricti, ſi ducantur v. g. per cœmiterium, & aſylum provocent, eo non gaudent, niſi fortè ſe manibus, & vinculis in eo loco liberarent, & ad aſylum provocarent.

4. Nec

4. Nec excluduntur Clerici, & Religioſi, qui, cùm non debeant deterioris conditionis eſſe, quàm Laici, gaudent immunitate contra Judices ſæculares, ut iis etiam à ſuis Superioribus extradi non poſſint ſecundùm leges puniendi; non tamen ità, ut extrahi à ſuis Superioribus non poſſint puniendi correctione, & pœnâ Eccleſiaſticâ ſecundum Canones; quia mens Pontificis non fuit, per privilegium illud debitam morum correctionem, & pœnas à ſacris Canonibus præſcriptas tollere cum diſpendio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cùm nec Laicos eximat confugientes ad Eccleſiam à pœnis Eccleſiaſticis ad correctionem ipſorum ordinatis.

Reſp. 3. Aſylo non gaudent ob crimina excepta vi conſtitutionis Gregorii XIV. editæ 1590. quæ incipit: *Cùm alias.* 1mò. Publici latrones, qui nempe in viis publicis rapinæ causâ homines ex inſidiis aggrediuntur, & occidunt. 424. *Aſylo non gaudentes ob crimina excepta.*

2. Viatum graſſatores, qui rapinæ cauſa in viis publicis homines aggrediuntur ex inſidiis, etſi non interficiant. Dubium fuit, an in utriſque illis requiratur frequentatio actuum, & affirmant multi; ſed Benedictus XIII. In Conſtitutione edita Anno 1725. quæ incipit: *Ex quo.* declaravit, & conſtituit, unicam graſſationem in via publica & vicinali ſufficere ad hoc, ut quis latro, & graſſator dici queat, dummodo mors, vel membrorum mutilatio ſecuta fuerit.

3. Depopulatores agrorum, id eſt, qui ſegetes agrorum, vel fructus vinearum &c. malitioſè devaſtant. Hoc crimen debet eſſe notorium.

4. Com-

4 Committentes homicidium, vel membrorum mutilationes in Eccleſia, vel eorum cœmiteriis. Sufficit autem, quòd perſona in tali loco graviter vulneretur, & moriatur extra illum ex vulnere. Item quòd occidens ſit extra Eccleſiam, vel Cœmiterium, & in his exiſtentem occidat, vel mutilet. Item quòd occidens ſit in Eccleſia, & proximus extra exiſtens occidatur, vel mutiletur. Tales uti & alii nullius loci ſacri aſylo gaudent. Ità declaravit Papa Bened. in citata Conſtit.

5. Qui occidit proximum ſuum inſidiosè, id eſt, de induſtria per inſidias ſub ſpecie amicitiæ, aut illi obligatus ad amicitiam, vel fidelitatem: ùt ſi per inſidias parens filium, conjux conjugem, caupo hoſpitem; famulus dominum occidat. Imò Benedictus declaravit, & conſtituit, ut aſylo careat, qui proximum occidit animo præmeditato, & deliberato.

6. Aſſaſſinus, id eſt, qui pretio conductus proximum occidit. Item qui eum in finem pretium ſeu in pecunia, ſeu in alia re dat, vel promittit, etſi promiſſio non ſit impleta, modò aſſaſſinium reipsâ patratum ſit. Talis dicitur Aſſaſſinus, quia Aſſaſſinos populos Syriæ imitatur, qui pretio conducti homicidia committebant.

7. Hæretici, qui propter crimen hæreſeos ad locum aſyli confugiunt.

8. Reus læſæ Majeſtatis in perſonam Principis per actionem illi injurioſam, à ſubdito commiſſam: uti ſi Principem occidat, vulneret, percutiat, hoſtiliter inſequatur, contra eum conjuret, machinetur, revelet hoſtibus ſecretum, ut ab his capiatur, aut hoc conſulat, ad ea juvet, effectu etiam non ſecuto: non

tamen

tamen ſi talem delinquentem tantùm defendat, vel non revelet: per hoc enim non cenſetur perſonam Principis aggredi, etſi poſſit eſſe reus læſæ Majeſtatis. Nomine Principis hîc intelligitur, qui ſupremam habet juriſdictionem, & nemini eſt ſubjectus, ac ità offenditur in perſona à ſubdito ſuo originis, vel domicilii. Talis Princeps Eccleſiæ etiam cenſetur Cardinalis; probabiliter tamen tales non cenſentur Principes, ſuperiorem recognoſcentes, nec uxor, filius, vel legatus Principis independentis. Nec aſylo privantur peccantes in ſtatuta principis; quia, quamvis rei ſint læſæ Majeſtatis, non tamen in perſonam ipſius Principis. Hæc 8. crimina excepit Gregor. XIV. & eorum reos excluſit à privilegio aſyli.

Alios prætcrea excluſit Benedictus: ùt 1mò. Qui confugientibus ad aſylum vim inferunt, eos violenter extrahunt, vel abducunt. 2. Falſificantes literas Apoſtolicas. 3. Miniſtros montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depoſitis principis aut privatarum perſonarum dêſtinati, furtum vel falſitatem in prædictis locis committentes, quorum tamen arca pecuniaria ità muniatur. ut pœnæ ordinariæ locus ſit. 4. Conflantes adulterinas, vel detondentes monetas aureas, vel argenteas etiam Principum externorum, quotieſcunque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habent uſum, & commercium: vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ità expendere, & erogare præſumentes, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint. Demum illos, qui ſub nomine Curiæ ſeſe introducunt in alias domos animo ibidem patrandi rapinas, eaſque reipsâ committunt

cum homicidio . aut membrorum mutilatione alicujus ex domeſticis illarum ædium , vel etiam extranei , quem ibi fortè reperiri contigerit.

Cæterùm cùm ſæpe poſſit eſſe dubium , an crimen, ob quod reus confugit ad aſylum , ſit de numero exceptorum ; Benedictus ſtatuit , ut quando Curia Eccleſiaſtica à ſæculari requiſita fuerit , ut Laicum delinquentem ex loco aſyli extrahi faciat , & ſibi conſignari , eaque ſuper delicti excepti qualitate , ac perſonæ reitate ſint indicia , quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur , tunc Curia Eccleſiaſtica ad ejuſdem delinquentis extractionem , ope & medio ſuorum executorum , implorato etiam , quatenus opus fuerit , brachii ſæcularis auxilio, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ , ab Epiſcopo deputandæ , procedere teneatur , extractumque ad ſuos carceres aſportari , & ibi ſub tuta cuſtodia detineri curet ; ſique reus criminis excepti probetur , tradatur Curiæ ſæculari. Exactâ tamen & receptâ priùs ab ea obligatione in forma juris , reſtituendi extractum Eccleſiæ , ſi ea indicia contra ſe purget , ac diluat.

QUÆSTIO IV.

Qui ſint favores , & effectus aſyli ?

425. *Jus habet, ut non extradatur, non repellatur &c.*

Reſp. Sunt ſequentes : 1mò. Reus confugiens ad locum aſyli recipi debet , nec poteſt repelli , nec impediri à privatis , ne eo confugiat , nec expelli , niſi indecenter ſe haberet, vel turbaret regularem diſciplinam , & monitus non emendaret.

2. Exi-

2. Exiſtens in loco non poteſt vinculis alligari, nec aliter vexari, nec poteſt ei negari victus, & quies, ſed alendus eſt bonis Eccleſiæ, Monaſterii &c. ſi ex bonis propriis non habeat, & tam diu retinendus, donec ſponte exeat, vel ad alium locum tutò transportari. vel fugere valeat, quod tunc & ei ſuaderi poteſt: nullo modo autem extradendus eſt Judici ſæculari ad examen &c. niſi is juratò promiſerit immunitatem, & reſtitutionem. Imò huic promiſſioni non facilè fidendum, ſique reus nollet extradi, diffidens promiſſioni, extradendus non eſſet.

3. Exiſtens in aſylo non poteſt condemnari ad mortem, vel pœnam aliam corporalem gravem, qualis eſſet perpetuus carcer, triremes, ſervitus, exilium, gravis verberatio, poteſt tamen affici pœna Eccleſiaſtica, vel mulctari pecuniaria, vel alia competente, & leviter corporis afflictivâ, ſed per judicium Eccleſiaſticum. Poteſt etiam compelli ad ſatisfaciendum læſis per pecuniam, & fieri executio in ejus bonis. Hoc facto non poteſt poſtea egreſſus condemnari ad aliam pœnam; quia per ſententiam ſuper aliquo crimine latam exſpirat officium, & poteſtas Judicis. In quibuſdam tamen locis conſuetudo habet, ut exiſtens in aſylo, à Judice etiam ſæculari condemnetur ad pœnam etiam mortis ſubeundam, ubi extra aſylum exiſtens capi poterit, quem in finem poteſt Magiſtratus ſæcularis Eccleſiæ militatem cuſtodiam apponere.

4. Si violato aſylo ſit per vim, vel per gravem metum injuſtè incuſſum extractus, ante omnia reſtituendus eſt Eccleſiæ, nec juvat ſponſio immunitatis, nec reus cedere ſuo jure poteſt.

5. Reus criminis excepti, ut extradatur, debet præcedere examen, & judicium Epiſcopi. An furantes in Eccleſia gaudeant aſylo, indeque extrahi nequeant, utrimque probabiliter diſceptatur. In qua controverſia ſpectanda eſt conſuetudo, quæ, ſi cum conſenſu legitimi Superioris introducta, illos aſylo privet, extrahi poſſunt, ſecus ſpectatâ Bullâ Gregorianâ probabilius extrahi nequeunt. Vide Suar. Laym. Pichler in Jure Can. practicè explicato. L. 3. T. 49. La Croix &c.

TRACTATUS V.

DE

Peccatis Virtuti Religioni oppoſitis.

426. *Opponuntur alia per exceſſũ, alia per defectũ.* PEccata Religioni opponuntur aliqua per exceſſum, alia per defectum. Per exceſſum quidem, non quòd Deus nimiùm coli poſſit; ſed, quia vel ùt Deus colitur, quod Deus non eſt; vel, quia Deus colitur inconvenienti, vano, vel ſuperfluo cultu. Per defectum verò, quando vel negatur cultus Deo debitus: v. g. omittendo Sacrum, Horas Canonicas, rem voto, juramento promiſſam; vel ponitur actio ſpecialis irreverentiæ, contra Deum, ùt eſt blaſphemia, tentatio Dei, indigna tractatio perſonæ, loci, rei ſacræ, quo caſu irreverentia redundat in Deum. Peccata, Religioni per

per exceſſum oppoſita, ſuperſtitio, oppoſita per defectum irreligioſitas dicuntur.

CAPUT I.

De Superſtitione, ejuſque Speciebus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Superſtitio?

Reſp. 1. Superſtitio eſt cultus vitioſus veri, vel falſi numinis, ſeu cultus divinus inordinatus. Dicitur Superſtitio, cultus quaſi ſuper convenientem conſtitutus; eſt autem cultus vitioſus, & inordinatus. 1. Si cultus Deo debitus tribuatur creaturæ, fiatque exceſſus ſecundùm rem cultam: utì, ſi thus adoletur idolo, ſi notitia, ſoli Deo competens, exſpectetur à creatura, v. g. dæmone. 2. Si Deo tribuatur cultus falſus, vel vanus, aut ſuperfluus, ab inſtitutione Dei, vel Eccleſiæ alienus. Poteſt autem cultus eſſe falſus vel relatè ad rem ſignificatam, à qua diſcordat cultûs ſignificatio; vel relatè ad perſonam, quæ illum exhibet. Primo modo falſus eſſet, ſi quis intenderet colere Deum ceremoniis, vel ſacrificiis legis veteris, quæ ſignificabant Chriſtum venturum; ſi falſas reliquias pro veris exponeret; falſa miracula vulgaret ad confirmandam Fidem. Secundo modo falſus eſſet, ſi quis, ùt publicus Eccleſiæ Miniſter, Deum coleret, cùm talis non ſit: ùt, ſi Laicus, ſe fingens Sacerdotem, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtraret,

427. *Superſtitionis definitio, & diviſio.*

aut Miſſam diceret. Cultus vanus foret, ſi quis intenderet, Deum colere actione, ad ejus cultum inepta, v. g. auditione Miſſæ Sacerdotis, cui nomen debeat eſſe Petrus, vel non nendo die Sabbati in honorem B. V, cùm alia opera ſervilia faciat. Cultus ſuperfluus foret, ſi quis intenderet Deum colere in Miſſa ſæpius dicendo Alleluja, plures orationes, plures faciendo cruces, quàm ſint ordinatæ ab Eccleſia, dicendo *Gloria*, vel *Credo*, quando in Miſſa omitti debent; ſi quis jejunaret diebus Dominicis, & non aliis; quia id alienum eſt à conſuetudine Eccleſiæ, & ſapit ſingularitatem: unde nullum eſt votum jejunandi ordinariè diebus Dominicis. Si tamen ex bono fine aliquis ſæpius jejunare ſolitus, quandoque jejunet diebus Dominicis, non peccat; peccaret tamen ſaltem venialiter, qui ordinariè jejunaret die Paſchatis.

428. *Tres ſuperſtitionis ſpecies.* Reſp. 2. Superſtitionis, quatenus importat cultum Deo debitum delatum creaturæ, tres ſunt ſpecies: nempe idololatria, divinatio, vana obſervantia, ad quam reducitur magia, & maleficium, & hæc, niſi excuſet imperfectio actûs, ſunt peccata ex toto genere ſuo mortalia, quia iis cultus, Deo proprius, creaturæ defertur, & cum dæmone contrahitur ſocietas, qui ex ſuperbia, odioque in Deum, & homines in omnibus affectat honorem divinum, iiſque modis, quibus Deus, ab hominibus coli deſiderat. Unde, ſicut Deum colimus, reverendo eum, tanquam ſupremæ excellentiæ omnium dominum, & petendo ea, quæ ſolus ipſe largiri poteſt, tum ad mentis noſtræ inſtructionem, tum ad actionum noſtrarum directionem; ità diabolus inducit homines 1. ut ipſi deferant cultum divi-

divinum. 2. Ut ab ipſo petant rerum occultarum cognitionem. 3. Ut pro actionum ſuarum directione ope ejus utantur, quæ omnia non niſi ad Deum pertinent.

Reſp. 3. Superſtitionis, quatenus importat cultum vitioſum veri Dei, alius eſt cultus falſus, qui etiam ex genere ſuo mortalis eſt; alius eſt cultus vanus, & ſuperfluus, qui peccatum eſt vel grave vel veniale pro diverſitate materiæ, v. g. turpia divinis immiſcens grave peccatum contra Religionem committeret, præſertim, ſi valde ad laſciviam provocarent. 429. *Cultus vitioſus veri Dei*

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit Idololatria?

Reſp. 1. Idololatria eſt cultûs ſupremi, ſolique Deo debiti exhibitio, facta creaturæ, vel ſervitus, quæ ſoli Deo debetur, delata creaturæ, vel Idolo; Latria enim ſervitutem Deo debitam; idolum autem ſimulacrum falſi ſignificat, differtque ab imagine, quæ eſt repræſentatio veri. Signa cultûs ſunt duplicis generis, alia Latriæ propria: ùt Sacrificium, templum, altaria, & hæc nulli poſſunt poni creaturæ, etſi templa dedicari poſſint ſub invocatione, & patrocinio Sanctorum. Alia non ſunt ità propria Latriæ, quin & cultui inferiori poſſint convenire: & hinc ex intentione colentis, & circumſtantiis determinantur, ùt genuflexio, inclinatio capitis, oblatio cerei, quæ per cultum Latriæ poſſunt fieri Chriſto, & per cultum Duliæ Sanctis. 430. *Definitio.*

Reſp. 2. Idololatria triplex eſt: Perfecta, minùs perfecta, ſimulata, ſeu merè externa. 431. *Diviſio.*

Perfecta eſt, quâ quis cultum, ſoli Deo debitum, defert creaturæ, ſeu idolo, tenens eſſe Deum, & hæc repugnat ſimul Fidei. Minùs perfecta eſt, quâ quis talem cultum defert creaturæ, v. g. dæmoni, ſciens quidem, non eſſe Deum; attamen ex pravo affectu, v. g. odio Dei, vel cupiditate aliquid obtinendi defert. Simulata, ſeu merè externa eſt, quâ quis cultum divinum defert creaturæ ſine animo colendi: ût, ſi quis mortis intentatæ metu thus adoleret idolo. Quælibet ex his ſpeciebus eſt grave peccatum: nam 1ma non ſolùm cultum, ſed etiam divinitatem Deo abnegat. Secunda Deitatem quidem illi non negat, cultum tamen, illi ſoli debitum, transfert in creaturam. Tertia non quidem internum, externum tamen cultum creaturæ tribuit, adeoque eſt crimen læſæ Majeſtatis divinæ, mendacium perniciosum, oppoſitum Religioni, & externæ profeſſioni Fidei.

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex ſit Divinatio?

432. *Definitio.* Reſp. 1. Divinatio eſt ſignificatio, vel inquiſitio occultorum, ope dæmonis expreſsè, vel tacitè invocati. Dico: *Occultorum:* hoc eſt, quæ ab homine propriâ induſtriâ cognoſci nequeunt; ſique ſint talia, ut à ſolo Deo cognoſci poſſint, ùt ſunt ſecreta cordis, & futura libera, quæ certò cognoſcere ſolius Dei eſt, involvitur idololatria tacita; quia dæmoni tribuitur cultus divinus, dum ab eo exſpectatur, quod à ſolo Deo obtineri poteſt. Si verò ſint talia, ut à dæmone naturaliter ſciri poſſint, ùt ſunt tum actus externi hominis præſentes, & præteriti,

teriti, tum effectus alii, à cauſis neceſſariis futuri, non eſt idololatria, eſt nihilominus grave peccatum; quia continet commercium cum dæmone, jurato Dei hoſte, quod importat quandam defectionem à Deo, & gravem in illum irreverentiam.

Reſp. 2. Divinatio ex parte pacti duplex eſt: una, in qua eſt invocatio, vel pactum expreſſum cum dœmone: ùt, cùm quis verbis dœmonem invocat, vel aliquid uſurpat, per quod ſcit, aut putat, dæmonem cooperari; altera, in qua eſt tacita, & interpretativa ſaltem dæmonis invocatio: ùt, cùm ad occulti cognitionem adhibentur media vana, & improportionata; tunc enim talis cognitio non poteſt exſpectari, niſi à dæmone, cùm medium tale non habeat vim ad cauſandam talem cognitionem, nec Deus, vel Angelus bonus ſe vanis immiſceat, nec, niſi temerè, exſpectari miraculum poſſit; proinde, cùm nihilominus exſpectetur notitia occulti, non poteſt exſpectari, niſi à dœmone, qui ad homines ſeducendos vanis ſe ſolet immiſcere. 433. *Diviſio ex parte pacti.*

Reſp. 3. Divinatio ex parte medii multiplex eſt; nam dicitur Aſtrologia judiciaria, ſi ex aſtris; augurium, ſi ex garritu; auſpicium, ſi ex ſitu, motu, numero avium; aruſpicium, ſi ex viſceribus animalium; onyromantia, ſi ex ſomniis; chiromantia, ſi ex lineis manuum, phyſiognomia, ſi ex vultu effectus liberi, & caſus fortuiti quaſi infallibiliter judicentur. Dico: *Effectus liberi:* nam effectus naturales v.g. pluvia, ſerenitas, tempeſtas, ex concurſu ſiderum, ex avium & animalium motu, garritu, volatu probabiliter conjectari poſſunt; quia inter hæc eſſe aliquam naturalem connexio- 434. *Diviſio ex parte medii.*

nem, docet experientia. At velle ex ſortibus occulta, vel futura cognoſcere, niſi fiat ex ſpeciali Dei inſpiratione, illicitum eſt: ſortes tamen diviſoriæ licitæ ſunt, per ſe loquendo. Univerſim hìc attendendum, an ea, ex quibus aliquid ſeu præſens, ſeu futurum dijudicatur, habeat cum hoc probabilem connexionem: ſi nullam habet, erit divinatio illicita; ſi habet probabilem, & judicetur probabiliter tantùm futurum, vacare culpâ poteſt. Sic licitè ex vultu, ſomniis, diſpoſitione corporis, temperies corporis, & animi propenſiones conjectari probabiliter poſſunt; non tamen actus liberi, ſtatus vitæ, & ſimilia, quorum electio pendet à libera hominum voluntate. Unde peccant, qui Ægyptios vel Zingaros de ejusmodi conſulunt, & quidem mortaliter, ſi fiat cum firma fide; ſi autem fiat joci causà, eſt veniale ob ſcandalum mendacii: imò & mortale, ſi Zingarus inducatur, ut ſeriò prædicat; quia ſic inducitur ad formale peccatum ſuperſtitionis.

QUÆSTIO IV.

Quid ſit vana obſervantia, & quæ ejus cognoſcendæ regulæ?

435. *Definitio.* Reſp. Vana obſervantia eſt ſuperſtitio, quâ aut effectus aliquis per media vana, & inutilia intenditur, aut obſervatione eventûs fortuiti actiones vanè diriguntur. Differt à divinatione tantùm in eo, quòd per hanc intendatur cognitio occultorum; per illam verò effectus externus obſervetur, vel ex eventibus fortuitis dirigantur actiones: unde divinatio, & vana obſervantia ſpecie non differunt, cùm utraque com-

commercium ſaltem tacitum cum dœmone importet; illa ex ſignis ſtudio adhibitis intendendo notitiam occultorum; hæc ex obſervatione ſignorum fortuitò occurrentium dirigendo operationes, aut per media vana intendendo effectum.

436. *Regulæ cognoſcendi vanam obſervantiam.*

Regulæ cognoſcendi, an vana hîc & nunc ſit obſervantia, ſunt ſequentes: 1. Vana eſt, ſi ad effectum aliquem obtinendum adhibeatur medium, quod nec ex natura ſua, nec ex Dei vel Eccleſiæ ordinatione vim ad illum habet: tunc enim, cùm Deus vanis ſe non immiſceat, non poteſt effectus exſpectari, niſi à Dæmone. Proinde ſi exſpectetur, intervenit tacita invocatio Dæmonis: ùt ſi quis geſtet àmuleta, ligaturas, involucra falſis characteribus inſignita contra vulnera, & ſubitam mortem.

2. Vana eſt, ſi medio naturali, vel ſupernaturali addatur, res vel circumſtantia falſa, vel vana, tanquam, neceſſaria & efficax; quia, cum hæc non ſit medium, ab illa effectus exſpectari non poteſt, niſi interveniente Dæmone.

3. Si reliquiæ, vel verba ſacra uſurpentur cum certa perſuaſione conſequendi infallibiliter effectum, v. g. ſi recitentur certæ preces, promittentes recitantibus evitationem certi periculi, vel ſubitaneæ mortis: nullæ enim preces talem vim abſolutam habent, proinde effectus exſpectatur à Dæmone, ſi exſpectetur infallibiliter; quod addo: nam preces recitare, cumque fiducia exſpectare à Deo, quòd ſaluti noſtræ congruit, pium eſt: verùm exſpectare, quaſi hic, vel ille effectus, poſitis certis verbis, vel precibus, infallibiliter ſit conſecuturus, vanum, & ſuperſtitioſum eſt.

4. Vana

4. Vana eſt, ſi ex verbis, vel rebus ſacris effectus vanus exſpectetur, v. g. ſi proferantur verba ſacra, ut annulus moveatur.

5. Quando ab homine bonæ famæ, magni ingenii, & induſtriæ aliquid mirum fit, non ideo damnandus eſt ſuperſtitioſæ obſervantiæ, vel magiæ, niſi aliud urgens ratio, vel commune ſapientum judicium perſuadeat; tum quia nemo præſumitur malus, ſed probari debet, tum quia rebus naturalibus magna vis ineſt, magnaque humanæ virtutis & induſtriæ efficacia; juvat tamen conſiderare media & circumſtantias.

6ta. In dubio, an effectus provenerit à cauſa naturali, an à Dæmone, tribuendus eſt virtuti naturali; proinde ſi ſit ratio probabilis pro virtute naturali, poteſt uti iſto medio, donec advertatur effectus non eſſe ex natura medii, quia homo eſt in poſſeſſione libertatis utendi medio, donec probetur prohibitum.

7ma. Quando conſtat, effectum eſſe non poſſe à cauſa naturali, dubiumque eſt, an ſit à Deo, vel Dæmone; tribuendus eſt Dæmoni, niſi vel maxima operantis ſanctitas, vel alia urgentiſſima indicia aliud perſuadeant; cùm enim non adſit cauſa naturalis, ſed nudum ſignum, nec conſtet iſto poſito operari, & ſupplere Deum defectum cauſæ naturalis; temerarium eſſet dicere, tum ſemper fieri miracula, adeoque prudenter præſumitur effectus eſſe à Dæmone. Quare in hoc caſu non licet experiri, an effectus ſit ſecuturus; quia cenſeretur quis Dæmoni cooperari, & velle habere cum eo ſocietatem; id quod videtur eſſe mortale, etſi fieret joci causâ, & cum proteſtatione, quòd nolit habere ſocietatem cum Dæmone, quia exercitè eam vellet.

8va.

872. Quando bonis miſcentur aliqua redolentia ſuperſtitionem, ſi illa, quæ hanc redolent, removeantur, licitè uſurpabis reliqua cum ſpe proſperi eventus. V. g. Spondetur ſanitas infanti, ſi B. Virgini offeratur cereus ejusdem cum illo ponderis; poteſt offerri magìs vel minùs ponderoſus cum ſpe ſanitatis. Monent hìc prudenter Doctores, quandoque meliùs eſſe ad tempus diſſimulare ſuperſtitiones ſimplicium, quàm ſtatim aperire, quando nempe prævidentur hìc & nunc non avocandi ab iis, ſed peccaturi formaliter; dum peccant non moniti tantùm materialiter. Ex his innumeros caſus facile eſt reſolvere: paucos ſubjicio.

1. Peccat graviter, qui ex ſomniis conjicit eventus fortuitos, & ordinariè ſecundùm ea ſe dirigit; quia exponit ſe morali periculo habendi commercium cum dæmone, idque, quantum eſt in ſe, paratus eſt habere; agere tamen ſemel aliquid de ſe non malum, ut vitetur infortunium, quod ſomnium minatur, communiter excuſatur à mortali, ſi non credatur firmiter; quia in illa levitate credendi non apparet malitia gravis, nec illico præſens periculum conſortii cum dæmone. 437. *Corollaria.*

2. Qui credit certò, ſe iſto anno fore liberum à febri, ſi die Paſchatis abſtineat à carnibus: item qui cum firma perſuaſione, quòd feliciùs ſit luſurus, mutat locum; ſecus ſi ob cauſam hic mutetur.

3. Filium, ex quo pendet lapillus, vel annulus inter pollicem, & indicem ſuſpendere in pileo, vel vitro, ut ſuo ad latera appulſu indicet horam, eſt ſuperſtitio; quia deeſt cauſa naturalis, quæ horam indicet: ùt didicit Card. de Lugo experientiâ, quia in uno loco horæ Italicæ,

Italicæ, in alio aliæ ſunt indicatæ, eodem fere tempore. Proinde id nec ex pulſu arteriæ, nec ex imaginatione, nec ex influxu ſyderum provenire poteſt. Hinc licèt antehac viri docti, inter quos Sporer, ſic horas ſine ſcrupulo tentârint cognoſcere; nunc tamen illicitum eſt. Vide La Croix ſub N. 29. ubi plures alias refert ſuperſtitiones. Item N. 35. ubi improbat uſum virgæ divinatoriæ, oſtenditque, eſſe ſuperſtitioſum, & à N. 37. ubi illicitum, ſaltem per præceptum Eccleſiæ, probat, mulierem ſuſpectam de magia immergere aquæ, ad explorandum, an ſit ſaga: dicuntur enim ſagæ ex pacto cum dœmone non mergi, ſed ſupernatare.

QUÆSTIO V.

Quid ſit Magia diabolica, Maleficium, & qui hujus ſint tollendi modi liciti?

438. *Definitio magiæ.* Reſp. 1. Magia ſuperſtitioſa eſt ratio operandi mira ope dœmonis per ſigna, ad id ab ipſo inſtituta: ſicut enim Chriſtus Dominus ſenſibilia Sacramentorum ſigna inſtituit ad animarum ſanctificationem, & ſalutem; ità & dœmon, malignus Chriſti æmulator, ſenſibilia ſigna imponit, quorum exhibitione, & uſu ipſe aliquid operari ſolet ad animarum ruinam & perditionem. Differt magia à vana obſervantia ſecundùm effectum magìs mirum, v. g. circa corpora immutanda. Non differt ſpecie morali à divinatione: per hanc enim petitur à dœmone occultorum notitia, per illam effectus alicujus operis miri. Ità Suar.

Magiæ

Magiæ tres ſunt ſpecies. 1ma eſt notoria, per quam certis verbis, aliiſve ſignis variæ doctrinæ abſque labore acquiruntur, quâ arte Anabaptiſtæ uti dicuntur, & in priorem inſcitiam relabi, ſi abjectâ ſuâ perfidiâ, ad veram Fidem convertantur. Altera refertur ad ſanitatem, & immunitatem à vulneribus præſtandam corporibus. 3tia refertur ad nocumentum hominibus, jumentis, ſegetibus, &c. inferendum, & propriè maleficium ſeu veneficium appellatur, eſtque conjuncta cum injuria, obligationem inducente reparandi totum damnum; quòd licèt phyſicè à dœmone, moraliter tamen à Mago procedit. Pro cognoſcenda magia eædem regulæ, quæ pro vana obſervantia, ſerviunt. *Tres ejus ſpecies.*

Reſp. 2. Maleficium eſt ratio nocendi aliis ex pacto,& cooperatione dœmonis. Differt à magia præcisè ſumptâ, quòd hæc ſolùm intendat facere mira, illud dirigatur ad nocendum proximo. Eſtque duplex: Amatorium, quod phyltrum dicitur, adhibeturque ad carnalem amorem, vel odium concitandum, dœmone humores, & phantaſiam commovente; nihil tamen agente in voluntatem. Quare, licèt oriatur gravis tentatio, libertas tamen non evertitur. Aliud dicitur veneficium, quo aliis in propria perſona vel animalibus aut bonis damnum infertur morbis, doloribus, morte, &c. fitque multis modis utendo vel cauſis naturalibus cognitis ope dœmonis, aut ſignis: ùt, cùm punguntur imagines in aliqua parte, & tum alii patiuntur in ſimili parte corporis, vel ſigna aliqua aliorum corporibus vel veſtibus applicantur, aut imponuntur lectis, hiſque durantibus illi malè afficiuntur. 439. *Maleficium.*

Reſp.

440. *Quomodo tolli poſſit?* Reſp. 3. Maleficium tolli poteſt 1mò Exorciſmis oratione, pœnitentiâ, jejuniis, Sacramentorum uſu, aliiſque piis operibus. 2. Remediis ex medicina petitis. 3. Deſtructione ſignorum, quibus annexum eſt pactum, præcisè ùt operum dœmonis, non tamen novo maleficio. 4. Opponendo poſitivum ſignum contrarium, ex ſe tamen honeſtum; ùt, ſi dœmon eſſet pactus cum malefico, ſe tam diu nociturum, quamdiu maleficiatus non lavaret corpus, aut non formaret crucem, licitè hic corpus lavaret, & formaret crucem. *Ratio eſt;* quia ſic non intenditur beneficium à dœmone; ſed opus ejus impeditur, aut tollitur. Sic licitè repercutis ſagam, quæ te tetigit; eâ enim repercuſsâ ſolet noxa ceſſare. An autem liceat rogare, pecuniâ inducere, cogere maleficum, ut ſignum vel maleficium tollat, diſtinguendum eſt; nam ſi id non poſſit, vel dubium ſit, an poſſit ſine novo maleficio, non licet; quia ſic ipſe certò vel probabiliter induceretur ad novum commercium cum dœmone, & ab hoc beneficium exſpectaretur: diceret enim id petens æquivalenter: ſive proveniat à dœmone, ſive ab alio, id nihilominus peto; ſi verò is poſſit diſſolvere per media licita ſine ope dœmonis, & novo maleficio, & credatur (id quod illi ex charitate ſuaderi poteſt, & debet) modo licito diſſoluturus, poteſt ad hoc induci; ſi autem putaretur novo uſurus maleficio, poſſe licite induci negant Cajet. Delrio, & alii; quia petens, aut inducens exponeret ſe ſaltem periculo à dœmone habendi beneficium. Affirmant Sanch. Leſſ. & alii; quia ex juſta cauſa poſſum ab alio petere, quod is licitè facere poteſt, & petens in præſenti poteſt proteſtari, ſe nihil cupere à dœmone.

Idem

Idem valet de medico, qui ſciretur eſſe magus. Porrò magi abſolvendi non ſunt, niſi priùs pactum cum dæmone reſciderint, & inſtrumenta magica extradiderint.

CAPUT II.

De Irreligioſitate, ejuſque Speciebus pleriſque.

IRreligioſitas eſt peccatum, quo Deus vel in ſe, vel in ſacris perſonis, aut rebus inhonoratur. Species ejus, ùt dixi, ſunt blaſphemia, tentatio Dei, ſacrilegium, violatio voti, perjurium, ſimonia.

QUÆSTIO I.
Quid, & quotuplex ſit Blaſphemia?

Reſp. Blaſphemia eſt locutio contumelioſa in Deum, facta verbis, vel ſignis æquivalentibus. Dividitur 1mò in hæreticalem, imprecativam, & merè dehonorativam. Hæreticalis eſt, quæ hæreſin continet: habetque malitiam mortalem duplicem: unam contra Fidem, aliam contra Religionem. Fit hæc 1mò. Si tribuatur Deo, quod ei non convenit: ùt, ſi dicatur; crudelis, injuſtus, miſer, &c. 2. Si negetur ei, quod convenit: utì, ſi dicatur, non eſſe omnipotens, miſericors, juſtus, non omnia bene ordinâſſe, &c. 3. Si tribuatur creaturæ, quod Deo proprium eſt: ùt, ſi dicatur, Angelos creâſſe mundum, hunc regi à dæmone, &c. vel: Nego Deum, Chriſtum, Evangelium, ſi ità non eſt; quia Deum negare, etiam ſub conditione, aut dicta ejus eſſe vera, eſt ne- 441. *Definitio, & diviſio.*

gare, quod illi proprium eſt. Si tamen, quod verbis dicitur, in mente non judicaretur; hæreſis non eſſet, ſed grave peccatum contra Religionem, & externam Fidei profeſſionem. Blaſphemia execratoria vel imprecatoria eſt, quâ quis Deo malum imprecatur: utì, ſi diceretur: Vellem, ut Deus non eſſet, non ſciret occulta, non eſſet omnipotens, moriatur Deus. Hæc ſimul odium Dei continet. Blaſphemia merè dehonorativa eſt, quâ per modum contumeliæ vel contemptûs dicitur aliquid Deo conveniens, ùt illud Juliani apoſtatæ: *Viciſti Galilae, viciſti*; aut cum indignatione, irreverentia, irriſione, exprobratione, vel contumeliâ nominatur Chriſti mors, ſanguis, vulnera, & Sacramenta, &c. utì, ſi ex ira contumelioſè dicatur: *Mors Dei;* nam tunc iſta de Deo enuntiantur tanquam contemptibilia, in quibus gravis Dei contemptus apprehenditur, vel audientibus ingenerari pronum eſt. *Ex his reſolves*

442. *Corollaria.* 1. Gravis blaſphemia eſt, ſpuere in cœlum, frendere dentibus in illud, velle aliquid agere Deo invito.

2. Dicere: Perdat te mors, ſanguis Dei, Sacra Dei, Sacramenta, &c. quia hæc non ad perditionem, ſed ad ſalutem hominum ſunt ordinata.

3. Si quis iratus, non contra Deum quidem, ſed contra alia proferat verba, quæ ex ſua ſignificatione, aut modo loquendi, aut circumſtantiis important imminutionem divini honoris aut improperium, ità, ut homines mediocriter pii ad illa horreant. Etſi enim loquens Dei dehonorationem formaliter non intendat, intendit tamen virtualiter & æquivalenter.

4. Si

4. Si quis contra homines vel jumenta iratus enuntiet Sanguinem Chriſti, virtualiterque tendat in Deum, vel advertat ad vilipenſionem ejus, rerumve ſacrarum, quam verba illa præferunt, quia iterum graviter derogatur honori Dei. Si nec indignatio tendat ullo modo in Deum, nec advertatur vilipenſio, non eſt peccatum formale defectu advertentiæ.

5. Si quis per jocum dicat verba blaſphema, ubi apud audientes iis conjuncta eſt inhonoratio Dei. Aliud foret, ſi verba illa ſic corrumperet, ut ſenſus non maneret, v. g. pro Sacrament dicendo : *Salament*, *element*.

6. Eſt gravis blaſphemia dicere : Inebriabo me ad gloriam Dei ; Item : Tu es ſtultus, etſi Deus eſſet tuus pater : quod tamen excuſat Sporer, eò quòd ſenſus ſit : Es ſtultus, etſi haberes patrem ſapientiſſimum.

7. Eſt gravis blaſphemia, verba contumelioſa vel dehonorativa enuntiare contra Sanctos, ùt tales, ſeu cum habitudine ſaltem virtuali ad Deum, ità, ut hujus honor cenſeatur lædi: aliàs enim tantùm erit contra Duliam : ſi nimirum contra illos tantùm proferantur, ùt homines fuerunt in terris : quod veniale eſt, ſi joco fiat: ùt, ſi quis ex joco vel levitate vocaret S. Petrum calvum, vel SS. Criſpinum & Criſpinianum ſutores. Grave verò foret, ſi contemptim vel ex ira aut odio in Sanctos id fieret.

8. Aſſumere in vanum nomen Dei vel JESU, v. g. dicere : Bone Deus ! ô JESU! non eſt blaſphemia, eſt tamen veniale contra Religionem. Nec eſt blaſphemia, abuti verbis Sacræ Scripturæ, niſi tantus ſit abuſus, ut ejus veritati derogetur : eſt tamen irreverentia, iis

uti ad profana, quia ſunt inſpirata à Spiritu ſancto & ſignificativè ſacra.

9. Denique in Confeſſione explicandum, an verba blaſphema prolata ſint in Deum, vel B. V. aut Sanctos; an ex maligno affectu in Deum, an ex deſperatione; an blaſphemia fuerit hæreticalis, an externa tantùm aut ſimul interna; quæ fuerint verba, in quibus circumſtantiis prolata? Nam blaſphemia in Sanctos repugnat ſimul Duliæ, & in B. V. Hyperduliæ, differtque ſpecie ab ea, quæ in ſolum Deum profertur: hæc enim repugnat ſolùm excellentiæ increatæ, illa ſimul creatæ Sanctorum. Quæ procedit ex averſione à Deo, charitati; quæ ex deſperatione, repugnat ſimul ſpei. Qui conſuetudinem verba blaſphema proferendi habet, eſt adducendus, ut ſerium conatum adhibeat emendandæ conſuetudini: aliàs incapax erit abſolutionis. Expedit, ut jubeatur ſæpius de die benedicere Deum, eum adorare, laudare &c.

QUÆSTIO II.

Quid, quotuplex, & quale peccatum ſit tentatio Dei?

443. *Definitio, & diviſio.* Reſp. 1. Tentatio Dei eſt dictum vel factum, quo quis explorat, vel experimentum ſumere intendit de Dei aliqua perfectione vel voluntate, per effectum aliquem extraordinarium, à Deo temerè exſpectatum, patefacienda. Fit dupliciter. 1mò explicitè, cùm ex directa intentione explorandi aliquam Dei perfectionem, v. g. potentiam, miſericordiam, aliquis quid facit vel omittit: ùt, ſi petat miraculum,

culum, quo pateſiat Dei potentia, vel voluntas in re aliqua, omiſſis aliis mediis, v. g. ſi quis in puteum ſe præcipitaret, ad explorandam Dei erga ſe providentiam. 2. Fit implicitè & interpretativè, quando aliquis expreſsè quidem non intendit explorare aliquam Dei perfectionem vel voluntatem; facit tamen vel omittit, quod non videtur ad quid aliud referibile: uti, ſi nolit uti mediis à Deo ordinatis ad aliquid, quod optat, ſperans id à ſolo Deo, v. g. ſi exſpectaret ſanitatem in morbo ſine remediis, conſervationem vitæ ſine cibo & potu; ſi rudis extra neceſſitatem ſine præparatione vellet concionari, exſpectans à Deo inſpirationem dicendorum.

Quale peccatum ſit?

Reſp. 2. Tentatio Dei expreſſa & directa eſt peccatum ex toto ſuo genere mortale: nam velle explorare aliquam Dei perfectionem eſt contemptus Dei, & gravis in eum irreverentia curioſiùs agendo cum Deo, quaſi cum ludione. Habet quandoque adjunctam infidelitatem, quando nempe aliquis dubitans de aliqua Dei perfectione, miraculo eam vult experiri. An tentatio Dei interpretativa etiam ſit peccatum ex toto ſuo genere mortale, dubium eſt. Negat Valentia. Si enim abſit dubitatio in fide, & periculum gravis mali, v. g. ſi procedat ex curioſitate videndi miraculi vel operis ſupernaturalis, putat, poſſe eſſe veniale tantùm. Probabiliùs contradicunt alii cum Suar. quia temerè petens, ut Deus miraculo aliquid teſtetur, aut curioſitatem ipſius paſcat, vult eum fovere ſuam vanam curioſitatem, & operari ad finem vanum, quod valde Deum dedecet. Eſt quoque gravis irreverentia, quòd vilis creatura negligat & reſpuat ordinaria divinæ provi-

dentiæ media, velitque ſaltem interpretativè, ut Deus ad nutum ipſius ſine neceſſitate leges ſuæ providentiæ immutet. Eſt tamen tentatio Dei interpretativa ſæpe tantùm veniale ob imperfe-ctionem actûs, inconſiderationem, ignoranti-am. Imò exſpectare à Deo ſpeciale auxilium, quandoque nullum eſt peccatum : ùt, quando adeſt neceſſitas, deſuntque alia media, vel pia adeſt utilitas, divinus inſtinctus vel ſpes probabilis eff.ctûs futuri ex cauſa naturali. Cæterùm negligere media ordinaria, & effectum extraordinarium à Deo exſpectare, poteſt eſſe mortale etiam contra charitatem propriam. *Ex his reſolves*

444. *Corollaria.* 1. Deum tentat, qui offert ſe hìc & nunc ſine cauſa ad Martyrium : id eſt, quando nec adeſt neceſſitas ad animas confirmandas, vitandam Dei dehonorationem gravem, v. g. blaſphemias; nec habetur ſpecialis Dei inſtinctus, vel quid aliud propter Dei gloriam & fidei augmentùm. Sine tali cauſa provocare tyrannum, eſt cooperari ejus peccato.

2. Qui potens fugâ tueri vitam, ſe multis invaſoribus opponit, ſperans à Deo ſpeciale auxilium, tentat Deum; quia vult eum habere cooperatorem ſuæ temeritatis, quod repugnat reverentiæ debitæ Deo.

3. Deum tentat, qui ſine ſpeciali Dei revelatione offert ſe ad faciendum miraculum in probationem alicujus veritatis revelatæ, vel eum in finem committit ſe ignibus, aut aquis, ſperans, ſe à Deo miraculoſe conſervandum.

* * * *

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex ſit Sacrilegium, Perjurium, & quale peccatum?

Reſp. 1mò. Sacrilegium eſt violatio ſeu indigna tractatio alicujus Deo ſacrati, ſpeciali lege prohibita in ejus reverentiam. Dicitur 1mò indigna tractatio, id eſt: actus, vel omiſſio contra reverentiam Sacris debitam: nam omiſſione etiam Sacrilegium committi poteſt. Dicitur 2. alicujus Deo ſacrati, id eſt: ſpecialiter ad Dei cultum deputati. Dicitur 3. Speciali lege prohibita in ejus reverentiam: nam licèt omne peccatum à perſona ſacra, vel in loco ſacro commiſſum, v.g. blaſphemia à Sacerdote, vel turpe deſiderium in loco ſacro commiſſum, ſit aliquo modo contra reverentiam perſonæ, vel loci ſacri; non eſt tamen Sacrilegium in rigore acceptum. 445. *Definitio.*

Reſp. 2. Sacrilegium triplex eſt: perſonale, quo perſona, locale, quo locus, reale, quo alia res ſacra irreverenter tractatur. Perſonæ ſacræ ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & religioſæ utriuſque ſexûs; loca ſacra ſunt templa, ſacella, cœmiteria, Xenodochia Epiſcopi authoritate erecta; Res ſacræ ſunt, quæ aut ad ſanctitatem producendam ſunt inſtituta, ùt Sacramenta; vel Sacra ſignificant, ùt verba ſacræ Scripturæ; aut repræſentant, ùt imagines Chriſti ac Sanctorum, item ceremoniæ ſacræ, reliquiæ Sanctorum, ſacra vaſa, ornamenta ad pios uſus conſecrata, &c. 446. *Triplex eſt Sacrilegiũ.*

Reſp. 3. Sacrilegium perſonale fit quatuor modis. 1mò. Perſonam ſacram ſubjiciendo judi- 447. *Quatuor modis fit perſonale.*

judicio fori ſæcularis. 2. Inferendo illi violentas manus. 3. Exigendo ab ea tributum contra immunitatem Eccleſiaſticam. 4. Violando luxurioſè corpus perſonæ Deo conſecratæ per votum ſolenne caſtitatis, vel ſimplex religioſum conſtituens, ùt habet communior contra Suar Tr. 3. L. 3. de Sacrilegio N. 5. Sanch. L. 7. de Matrimonio D. 27. Palao Diſp. 2. P. 3. §. 2. N. 2. negantes eſſe Sacrilegium propriè dictum, eò quòd nullâ lege Eccleſiaſticâ ſpeciali in reverentiam perſonæ talis actus reperiatur prohibitus: alii cenſent id colligi ſatis ex Conc. Toletano 2. & ex Cap. *Virginibus* 14. Cauſa 27 S. 1. Laym. L. 4. Tr. 10. C. 7. N. 4. quoad violationem voti ſimplicis caſtitatis tenet cum Suar. quoad violationem voti ſolennis diſſentit.

448. *Locale pariter quatuor modis.* Reſp. 4. Sacrilegium locale pariter fit 4. modis: 1mò. Violando immunitatem loci ſacri, v. g. effringendo, ſpoliando, incendendo, evertendo, &c. 2. Ponendo in eo actionem, quâ, ſi notoria fiat, polluitur Eccleſia vel cœmiterium: ùt eſt injurioſa ſanguinis, vel voluntaria & illicita effuſio humani ſeminis in Eccleſia. 3. Exercendo in Eccleſia actionem profanam ex natura ſua, vel jure Canonico prohibitam, ùt ſunt negotiationes ſolennes, judicia ſæcularia, tripudia, clamores profani, comeſſationes, &c. 4. Furando è loco ſacro rem etiam profanam, ſub cuſtodia in eo depoſitam, quod addo; quia probabiliter furari in templo rem profanam, non depoſitam ſub cuſtodia, non eſt Sacrilegium mortale, tum quia non videtur fieri tunc loco ſacro major irreverentia, quàm per fabulationes, riſus, detractiones, contractus ſæculares, &c. quibus

bus non videtur per ſe ineſſe malitia mortifera; tum etiam, quia non prohibuit Eccleſia ſpeciali lege tale furtum in reverentiam loci ſacri. Oppoſitum tamen non eſt improbabile, quia Joannes Pontifex VIII. Cap. *Quisquis* 17. Q. 4. ait: Sacrilegium committitur, auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro; ubi generaliter loquitur: ſed putatur loqui de re non ſacra depoſita ſub cuſtodia.

Reſp. 5. Sacrilegium reale fit 7. his modis: 1mò. Invalidè vel indignè adminiſtrando, vel 449. *Reale fit ſeptem modis.* ſuſcipiendo Sacramenta. 2dò. Chriſma, Euchariſtiam neglectis clavibus non ſatis cuſtodiendo, permittendo ſacras ſpecies corrumpi, vaſa ſacra, corporalia, veſtimenta, altaria, & ſimilia non ſervando munda, aut adhibendo indecora. 3. Euchariſtiam, & omnia ad ejus contactum immediatum conſecrata, illicitè, & irreverenter tangendo, ùt ſi Laicus vel fœmina attingat nudâ manu calices, agnos Dei, aliave Chriſmate delibuta; non eſt tamen grave, ſi ſine contemptu attingat vacuos calices. Imò cum juſta cauſa cætera, quæ Euchariſtiam immediatè non contingunt, nec Chriſmate unguntur, uti mappas, veſtes Sacerdotales immediatè contingere omnibus licet. Idem dicit Layman de corporalibus, pallis, purificatoriis poſt uſum ſacrum lotis. 4. Vaſa ſacra aut paramenta propriâ authoritate, & extra caſum neceſſitatis in uſus profanos convertendo, vel iis abutendo. 5. Sacram Scripturam ſcienter pervertendo, vel ejus ſententiis ad jocos, præſertim inhoneſtos, abutendo, res ſacras contemptim abjiciendo, imagines Chriſti inhonorando. 6. Furando res ſacras, injuſtè occupando,

cupando, defraudando bona Eccleſiæ immobilia, vel mobilia, bona pauperum, quæ ex fundatione & inſtitutione Eccleſiæ ad Dei cultum ſunt deſtinata: furando rem ſacram, v. g. reliquias etiam devotionis causâ. Non eſt tamen Sacrilegium, auferre Eccleſiaſticæ perſonæ acquiſita titulo Eccleſiaſtico, v. g. per recitationem horarum; quia jus non favet quoad hæc ſpecialiter Clericis, uti nec, defraudare decimas; etſi hoc ſit grave, utpote repugnans religioni & juſtitiæ; ſecus eſt de bonis deputatis ſervitio Eccleſiæ, & ſuſtentationi miniſtrorum. Idem dicunt alii de bonis Eccleſiæ relictis in teſtamento, negat tamen Palao, ſi ab Eccleſia necdum ſint poſſeſſa; quia talis remota deſtinatio non videtur ſufficere, ut res ſit actu ſacra. Unde voti etiam realis violatio non eſt Sacrilegium propriè, ſed perfidia irreligioſa. 7. Vendendo res ſpirituales per Simoniam.

450. *Sacrilegium quale peccatum?* Reſp. 3. Sacrilegium eſt peccatum ex genere ſuo mortale, diverſamque ſæpe habet ſpecie malitiam, in Confeſſione explicandam: quia dum ſacra indignè tractantur, ſæpe gravis in Deum, ad cujus cultum ſunt deſtinata, irreverentia redundat: uti ſi conculcentur imagines Sanctorum, Sacramenta indignè tractentur, percutiantur graviter perſonæ ſacræ etiam conſentientes: ſi vis inferatur Eccleſiæ vel innocentibus in ea exiſtentibus, etſi non munita eſſet ad defenſionem eorum, &c. recta enim ratio dictat, ſancta eſſe reverenter tractanda: tantoque gravior eſt culpa, quanto res, quæ indignè tractatur, eſt ſacratior, hinc conculcare Euchariſtiam, vel eâ abuti, Sacrilegium eſt graviſſimum. Deinde cùm res ſacræ diverſam

vel

vel habeant, vel importent ſanctitatem, in eorum violationem ſpecie diverſa refunditur malitia in Confeſſione explicanda, v. g. ſpecie diverſa eſt malitia, indignè tractare perſonam, vel locum ſacrum,& indignè ſuſcipere Sacramenta. Dixi: *Eſt peccatum ex genere ſuo mortale*: nam veniale eſſe poteſt ob parvitatem materiæ, v. g. furari in templo rem levem, & exiguum quid, omnibus ſpectatis, de reliquiis Sancti, abuti verbis ſacræ Scripturæ ad jocos non inhoneſtos &c. La Croix L. 3. P. 1. N. 1003.

Reſp. 4. Perjurium eſt invocatio Dei in teſtem falſi: eſtque duplex, aſſertorium, quo Deus invocatur in teſtem opinione noſtrâ falſi præſentis, præteriti, vel futuri; promiſſorium, quo non impletur, quod ſub juramento nos facturos promiſimus. Primum eſt ſemper mortale, ſecundum poteſt eſſe veniale ſecundùm dicta de juramento, eſtque perjurium minùs ſtrictè tale. Latiſſimè eſt omne juramentum irreligioſum, ùt ſi juret etiam verum modo indebito. 451. *Perjurium.*

CAPUT III.

De Simonia.

SAcrilegium, quo res ſacra, ſeu ſpiritualis indignè tractatur contractu, in ejus reverentiam prohibito; Simonia dicitur à Simone Mago, qui, ùt habetur Actorum 8. videns ab Apoſtolis per manuum impoſitionem dari Spiritum S. obtulit iis pecuniam, ut & ſibi darent hanc poteſtatem, exiſtimans, donum Dei pecuniâ poſſideri poſſe. Unde etiam dicitur hære-

hæreſis, nempe originaliter, & cauſaliter: quia ad eam diſponit.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Simonia?

452. *Definitio Simoniæ.* Reſp. 1mò. Simonia ſtrictè accepta eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum pretio temporali. Dicitur 1mò. *Studioſa*, id eſt, deliberata voluntas: tum ut advertamus Simoniam magna ex parte pendere à voluntate dantis, an nempe det temporale ùt pretium rei ſpiritualis, an ùt ſtipendium Miniſtro Eccleſiæ; tum quia ad Simoniam non requiritur emptio, vel venditio completa, ſed ſufficit inchoata. Dicitur 2. *Emendi, vel vendendi:* quæ verba, etſi latè accipienda ſint, indicant tamen ad Simoniam requiri contractum oneroſum reciprocum, ſaltem inchoatum ex una parte cum animo obligandi ex juſtitia alteram. Dicitur 3. *Aliquid ſpirituale*: quo nomine venit res, vel actio ad Dei cultum, animarum ſalutem, & finem ſupernaturalem ordinata, ùt Sacrificium Miſſæ, Orationes, Sacramenta, &c. Dicitur 4. *Vel ſpirituali annexum*: id eſt, quod vel ad ſpirituale ordinatur, vel illud comitatur; vel ab eo dependet velut effectus. Dicitur 5. *Pro pretio temporali:* quo non ſolùm pecunia, ſed etiam omne pretio æſtimabile intelligitur.

Dixi: *Simonia ſtrictè accepta:* nam definitio illa convenit tantùm Simoniæ juris naturalis, quæ propriiſſimè Simonia eſt, utpote æquiparativa commutatio rei ſpiritualis cum tem-

temporali ; non autem Simoniæ juris tantùm Eccleſiaſtici , quâ contra legem poſitivam commutatur, v. g. beneficium cum Beneficio Eccleſiaſtico. Unde Simonia univerſim ſumpta definiri poteſt : ***Contractus circa ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa , lege prohibitus intuitu religionis , ſeu in reverentiam ſpiritualibus debitam.*** Hæc definitio fundatur in jure Canonico : nam ***Cap. Quæſitum. de rerum permutatione*** dicitur : ***Pactio circa ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa , labem ſemper continet Simoniæ.***

453. *Diviſio in Simoniã juris natura, & Eccleſiaſtici.* Reſp. 2. Simonia dividitur in Simoniam juris naturalis , ſeu divini , & Simoniam juris tantùm Eccleſiaſtici. Simonia juris naturalis eſt , quæ à Deo ob intrinſecam ſuam malitiam prohibita eſt : ùt, ſi res ſpiritualis veniat in æſtimationem , contractum , & commutationem cum temporali , v. g. ſi promittatur pecunia pro reliquiis ſacris , Sacramento Baptiſmi , Sacrificio Miſſæ &c. Hæc eſt peccatum ex toto genere ſuo mortale , nec ex levitate materiæ veniale eſſe poteſt ; quia gravis irreverentia eſt , rei ſpirituali , quæ eſt extra , & ſupra omne pretium temporale , etſi leviſſima foret , temporalem æquiparare. Imò eò gravior eſt irreverentia , quò res temporalis foret vilior. Repugnat quoque juſtitiæ , ùt dicetur infrà. Simonia juris Eccleſiaſtici eſt, quæ jure tantùm Eccleſiaſtico eſt prohibita ex motivo religionis ſeu reverentiæ erga rem ſacram , & ſub pœnis Simoniæ juris divini propter periculum & ſpeciem ejuſdem Simoniæ: ùt , ſi res ſpiritualis cum ſpirituali, vel temporalis pro temporali contra legem Eccleſiæ , ex motivo religionis latam , permutetur ; vel ſi offi-

officia, ad rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem pertinentia, pecuniâ comparentur. Et hæc Simonia eſt quoque ex genere ſuo mortale, poſſet tamen in raro caſu eſſe veniale tantùm: ùt, ſi quis exiguum quid de fundo beneficii propriâ authoritate venderet, aut permutaret. An ſit ejuſdem ſpeciei cum priore, dubium eſt. Affirmat Suarez, & alii communiùs; quia utraque repugnat religioni, ſicut inceſtus lege Eccleſiaſticâ prohibitus eſt ejuſdem ſpeciei cum inceſtu prohibito lege naturali. Idem eſt de Sacrilegio. Negant probabiliter alii; quia videtur diverſa turpitudo eſſe, ſi cum temporali permutetur ſpirituale, quàm ſit, ſi ſpirituale cum ſpirituali. Pichler, & quidam alii tenent non eſſe in rigore, & univocè Simoniam, ſed ſolùm analogicè, fictione, & æquiparatione juris: ſed negat id Suarez; quia eſt contractus circa ſpiritualia, ex motivo religionis prohibitus lege Eccleſiaſticâ, ſicut alii jure divino ex eodem motivo prohibentur.

454. *Diviſio in mentalem, realem, &c.*

Reſp. 3. Simonia juris naturalis, & Eccleſiaſtici dividitur etiam in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem. Explico ſingulas, 1mò. Mentalis eſt prava intentio, quâ quis re ipsâ aliquid facit, vel dat v. g. temporale, ut alterum obliget, vel moveat ad dandum, conferendum ex obligatione pro eo ſpirituale, aut contra; abſque eo, quod exterius exprimatur, vel in pactum utrimque tranſeat. Proinde Simonia mentalis hìc non eſt ſola prava voluntas, ſed importat ſimul actum externum, & ad Simoniam ſufficit pactum inchoatum & imperfectum: uti patet in Simone Mago, qui intendens dona Spiritûs ſancti poſſidere pecuniâ, eam obtulit Apoſtolis.

lis, qui pravæ ejus intentioni non conſenſerunt: ſed Petrus dixit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Patet & in aliis exemplis: uti, ſi quis per pecuniam datam intendat Beneficium Eccleſiaſticum, & Patronus, vel Collator id neſciat, aut acceptare renuat; vel poſt acceptum ſpirituale velit id compenſare per temporale oblatum, datario non conſentiente. 2. Simonia conventionalis eſt pactio Simoniaca, mutua, expreſſa, vel tacita, ſed ſine executione utrimque facta: eſtque pura, ſi ex neutra parte ſit expleta, ſaltem partialiter; vel mixta, ſi ex una tantùm parte facta ſit executio, v. g. datum jam temporale, ſed nondum ſpirituale, vel contra. 3. Simonia realis eſt pactio Simoniaca utrimque completa ſaltem ex parte: uti, ſi collatio, v. g. Beneficii Eccleſiaſtici facta ſit, & pretium ſaltem inadæquatè ſolutum. 4. Simonia confidentialis eſt procuratio, vel collatio Beneficii cum confidentia, in pacto fundata, tacito vel expreſſo, ſine expreſſa licentia Papæ; ut is, cui procuratur Beneficium, id ipſum aliquando reſignet procuranti, vel alteri, aut penſionem, ſeu fructus aliquos ex eo præſtet. Fieri poteſt quatuor modis. 1mò. Per acceſſum. uti, ſi tibi procuretur Beneficium eâ lege, ut alteri adhuc incapaci poſtea, ubi capax erit, illud reſignes. 2. Per ingreſſum: uti, ſi Beneficium, tibi collatum, ante cœptam ejus poſſeſſionem reſignes alteri cum pacto, ut illud poſtea ingrediaris, ſi alter moriatur, vel illud dimittat. 3. Per regreſſum: ùt, ſi Beneficium à te poſſeſſum reſignes cum conditione, ut reſignatarius illud tibi, vel alteri convenienti tempore reſignet. 4. Si præſentans, reſignans,

con-

conferens, inſtituens, &c. paciſcatur, ut pars Beneficii, ſeu fructuum ſibi, vel alteri detur. Ad hanc Simoniam requiritur, ut pactum ſit circa idem Beneficium: unde, ſi quis reſignet Beneficium alteri eâ lege, ut hic aliud à ſe poſſeſſum dimittat in favorem tertii, non eſt Simonia confidentialis, ſed vel conventionalis, ſi necdum utrimque completa eſt, vel realis, ſi utrimque completa eſt. Hæc bene notanda ſunt; quia per ſolam Simoniam realem, & confidentialem incurruntur pœnæ Simoniacis ſtatutæ. Porrò ſi reſignes cum intentione obligandi alterum, ut iterum reſignet; erit Simonia tantùm mentalis, ſi mentem tuam non manifeſtes; ſi manifeſtes, putant quidem Caſtrop. & alii fore Simoniam confidentialem, ſed Suar. & alii requirunt pactum ſaltem tacitum completum, & Pius V. dicens, ſolâ intentione dimittentis committi, intelligitur, quòd præſumatur committi, ſi intentio ſit manifeſtata; quia tunc præſumitur aliquod pactum. Sufficit tamen eſſe commiſſam ab uno, v. g. ſolo conferente cum procuratore accepturi Beneficium, etiam ignorantis, vel à mediatore, inito pacto tali. Hæc Simonia locum tantùm habet in acceptionibus Beneficiorum, & reſignationibus, non verò penſionum, vel aliarum rerum; imò nec in permutatione, niſi causâ hujus Beneficium vacans conferatur, quia verba Bullæ illam non comprehendunt, & in odioſis non ſunt extendenda ultra id, quod ſignificant. Dixi: *Niſi causâ hujus Beneficium vacans conferatur;* quia Bulla habet: *Si quis conferat Beneficium vacans.* Si reſignes Beneficium ſub onere ſolvendi penſionem alteri, juxta omnes eſt Simonia confidentialis; ſi autem ſub onere,

ut

ut ſolvatur tibi Sanch. Nav. Leſſ. & alii tenent committi tantùm Simoniam communem; quia Pius V. dicit tantùm fore Simoniam confidentialem, ſi quis ſe obligat alii, vel aliis; verba autem odioſa non ſunt extendenda ad perſonam non expreſſam. Sed Caſtrop. & Suar. tenent oppoſitum, & probabiliùs; tum quia reſignans ſub parte fructuum ad ſuum libitum, eſt reus Simoniæ confidentialis, uti expreſsè habetur; tum quia ſignum dignoſcendi, an ſit confidentialis, aſſignatur, ſi reſignans percipiat fructus; tum quia Pius V. confirmat Bullam Pii IV. hic autem expreſsè dicit eſſe confidentialem, ſi reſignans ſibi reſervet fructus. Quando autem dicitur: *Alii*, intelligitur alius ab eo, qui accipit Beneficium, atqui reſignans ab eo eſt alius; ergo La Croix L. 3. P. 1. N. 66.

QUÆSTIO II

Quid, & quotuplex ſit pretium Simoniacum?

Reſp. Etſi pretium in emptione & venditione, ſtrictè loquendo, ſit pecunia pro merce data; hic tamen per pretium intelligitur tum pecunia, tum quidquid eſt pecuniâ æſtimabile, eſtque triplex: aliud dicitur munus à manu, aliud munus à lingua, aliud munus ab obſequio, ſeu potiùs onus: munus à manu eſt pecunia, omniſque res pecuniâ æſtimabilis: ut gemmæ, picturæ, vinum, pecora, agri, remiſſio debiti, jus & obligatio ad aliquid temporale. Munus à lingua eſt interceſſio, laus, commendatio apud alium, ex pacto, vel intentione obligandi ab aliquo facta ad obti- 455. *Pretiũ triplex.*

nendum per illam aliquid ſpirituale, v. g. ſi quis det, vel promittat alteri pecuniam, vel aliquid temporale ex intentione ipſum obligandi ad intercedendum pro ſe apud alium, v. g. Epiſcopum, ut iſte conferat beneficium Eccleſiaſticum danti pro interceſſione pecuniam. Munus, ſeu onus ab obſequio eſt quodvis obſequium ex pacto, vel intentione obligandi alterum ad dandum ſpirituale, in rebus temporalibus, vel ad temporalia utile, factum, vel faciendum: v. g. famularis, vel negotia geris Patroni, habentis jus præſentandi ad Beneficium, eâ intentione, ut ipſum obliges ad te præſentandum loco mercedis aliàs debitæ pro famulatu; vel contra Patronus te præſentat, ut tenearis ipſi famulari ad tempus abſque mercede, vel ſaltem pro inæquali.

Ratiò pretii. Hæc omnia dari, vel fieri poſſunt, vel ùt pretium formale, vel ùt virtuale. Ut formale præſtantur, ſi directè quis intendat unum dare tanquam æquivalens alteri, & in ejus compenſationem: Pretii enim ratio conſiſtit in æſtimatione, & compenſatione duorum ad invicem. Virtualiter dantur ùt pretium, ſi tum immediatè detur unum, quando quis intendit obtinere alterum, & non eſt titulus alius dandi: dat enim ex aliquo motivo, ergo ſi non det ex alio, dat ex præſenti, quod eſt, ut per hoc, quod dat, obtineat alterum. Alii eſſe poſſunt tituli dandi, ut ſublevetur alterius egeſtas, ut ſolvatur debitum gratitudinis, hactenus defectu occaſionis nòn ſolutum &c. La Croix N. 72.

Pretiū virtuale Viva dicit dari ùt pretium virtuale; ſi detur ùt motivum intrinſecum, v. g. viciſſim donandi ſpirituale, id eſt: quo accipiens moveatur imme-

mediatè ad dandum ſpirituale: tunc enim intervenit pactum implicitum ſaltem inchoatum. Videri poteſt P. Viva in damnatam 45. ab Innocent. XI. N. 6. Ad Simoniam ſufficit dari temporale pro ſpirituali velut pretium virtuale.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint materia, ſeu merx pacti Simoniaci?

Reſp. 1. Materia, ſeu merx Simoniæ ſunt primò res ſpirituales, id eſt, aliquo modo ſupernaturales, ordinatæ ad cultum Dei, vel animarum ſalutem. Sunt autem res ſpirituales in triplici claſſe: nam aliæ ſunt tales formaliter, & intrinſecè: ùt gratia ſanctificans, gratiæ gratis datæ, dona Spiritûs ſancti, virtutes infuſæ per ſe. Aliæ tales cauſaliter, nempe ordinatæ ad producendum effectum ſupernaturalem, & ſpiritualem, uti Sacramenta, juriſdictio, & poteſtas Eccleſiaſtica, conſecrationes, benedictiones aquæ, numiſmatum, templorum &c. Aliæ ſunt tales effectivè, vel participativè, ſeu effectûs cauſæ, vel poteſtatis ſpiritualis: uti ſunt actiones piæ, functiones ſacræ, preces, orationes, v. g. perſolvere officium Canonicum, baptizare, Miſſas legere, abſolvere à peccatis, cenſuris, diſpenſare in votis, juramentis, conferre ordines, adminiſtrare Sacramenta, verbum Dei prædicare, reliquaque officia divina celebrare, miracula facere, &c.

456. 1. Merx ſunt ſpiritualia

Pro his & ſimilibus dare, vel exigere aliquid temporale tanquam pretium, eſt Simonia juris

457. Pro his dare temporale, repugnat juri naturæ.

juris divini, ſeu naturalis, uti per ſe patet. Secus eſt, ſi accipiatur aliquid, vel detur titulo ſuſtentationis, titulo laboris extrinſeci, titulo redimendæ vexæ vel alio juſto. Sic imò celebrans pro alio Miſſam, licitè admittit ſtipendium, Canonici diſtributiones, Religioſi munera pro ſuis orationibus, Clerici pro habendis Concionibus, & Parochi licitè, ubi id conſuetudo legitima, vel ordinatio Superioris induxit, recipiunt aliquid pro ſepultura, aſſiſtentia Matrimonii, adminiſtratione Sacramentorum &c. modò abſit animus ſimoniacus, & violentia v. g. talia præſtare nolentis, niſi priùs ſecuritas præſtetur de præſtando ſpirituali. 2. Qui non obligatus aliunde ex officio, contractu, fundatione &c. longius iter facere deberet, vel negligere ſuas functiones, ut pro altero in Saeello v. g. per horam vel per duas horas diſtante, Miſſam faceret. Pro labore tamen intrinſeco functioni ſacræ, & ab hac inſeparabili, ùt eſt, induere veſtes ſacras, accedere ad Altare, pronuntiare verba, inſumere tempus &c. ſine quibus celebrari Miſſa, & divina non poſſunt, nec haberi Concio, nec adminiſtrari Sacramenta; temporale exigi tanquam pretium non poteſt. 3. Si quis juſtè peteret v. g. adminiſtrari ſibi Sacramentum Pœnitentiæ, vel extradi Hoſtiam conſecratam ab Hæretico detentam, illam injurioſè tractante &c. idque obtineri non poſſet ſine pecunia; hanc dare ex ſua parte licitè poſſet: daret enim illam non ùt pretium, ſed ùt medium amovendi alterius malitiam.

Nec obſtat, quòd ſic mediatè per pecuniam obtineat ſpirituale: nam licèt mediatè procurans ſpirituale per temporale ſit Simoniacus, ſi per

ſi per temporale, tanquam per ſe ordinatum ad ſpirituale obtinendum, hoc intendat: ùt, qui emit alterius preces ad obtinendum Beneficium; ſi tamen temporale directè ordinetur ad removendum impedimentum, Simonia non eſt. Sic & exiguntur pecuniæ ſine Simonia in Curia Romana & aliis, quando diſpenſatur in impedimentis Matrimonii & aliis, non tanquam pretium actûs diſpenſationis, ſed vel pro ſuſtentatione Officialium, vel titulo pœnitentiæ injunctæ illis, qui ob delictum contraxerunt inhabilitatem aliquam, à qua cupiunt liberari, vel ut applicentur cauſis piis, v. g. redimendis captivis, alendis pauperibus &c. & itâ commutetur obligatio per diſpenſationem tollenda, vel ut diſpenſationes, quæ ſunt vulnera legum, petantur rariùs.

Reſp. 2. Materia Simoniæ quoque ſunt ſpiritualibus annexa. 1. Annexa antecedendo in concreto ſumpta. 2. Annexa concomitando. 3. Annexa conſequendo: nam 1. Antecedendo annexa ſpiritualibus dicuntur, quæ præcedunt ſpiritualia, & ad ea ordinantur; ùt ſunt Eccleſiæ, templa, calices, patenæ, veſtes & vaſa ſacra, paramenta Eccleſiæ, oleum, Chriſma, Roſaria benedicta, numiſmata, Agni Dei Chriſmate delibuti, jus præſentandi, jus eligendi ad Beneficium vel dignitatem Eccleſiaſticam; imò & ipſa præſentatio, & electio ad illa, Ceremoniæ ſacræ & Sacramentalia, omnesque res conſecratæ & benedictæ, quæ omnia ordinantur ad ſpiritualia. 458.

2. Spiritualibus annexa antecedenter.

Hæc autem vendere, ùt talia, pretio temporali, & in concreto, una cum Conſecratione, Benedictione, &c. vel ùt ordinem dicunt ad ſpiritualia, Simonia eſt; conſequenter ſunt

Hæc in concreto vendere ſimonia eſt.

materia Simoniæ. Dixi: *In concreto ſumpta*: nam res benedictæ & conſecratæ v.g. Templa, Calices, Roſaria &c. vendi poſſunt quoad materiam & formam, quam fortè habent pretio æſtimabilem, uti habet communis Theologorum & RR. Canoniſtarum contra antiquiores Canoniſtas; modò propter Benedictionem, Conſecrationem vel ordinem, quem habent ad ſpirituale, non augeatur pretium. *Ratio eſt*: quia antecedendo annexa ſpiritualibus non amittunt per annexionem illam ſuum valorem intrinſecum materiæ & formæ artificioſæ, pretio æſtimabilem, qui in æſtimatione morali per intentionem ementium & vendentium ſeparari poteſt à Benedictione & Conſecratione, ut in hanc non cenſeatur ferri intentio paciſcentium. Et ſic paſſim videmus; nemine improbante, vendi numiſmata, imagines cereas & Roſaria benedicta ſecundùm materiam, ſumptibus, labore, curâ, itinere, ſine quibus comparari vel afferri non poſſunt, in pretium computatis. Sic per Cap. 7. De Jure Patronatûs, poſſunt bona, quibus annexum eſt Jus Patronatûs, vendi ſine Simonia, ità, ut illud Jus ſimul tranſeat ad emptorem, modò propter id jus pretium non augeatur; ſic quoque juxta Can. 13. Canon. 70. Cauſa 12. Q. 2. Eccleſiæ, calices, patenæ conſecratæ poſſunt vendi aliis. Textus, quibus videtur prohiberi vendere Eccleſiam & res, ſemel ad uſum ſacrum deputatas, loquuntur vel de rebus ſacris, quà talibus, quatenus ſimul conſectatio vel ordo ad ſpirituale trahitur in æſtimationem erga temporale, aut per conſuetudinem eſt iis derogatum, cùm id illicitum non ſit jure divino vel naturali, ſed Eccleſiaſtico tantùm

tùm fortè fuerit, cui per conſuetudinem derogari poteſt. Per Can. 102. Cauſ. & Q. 1. Cap. 16. & 36. Epiſcopi quidem, niſi conſuetudo iis derogavit, Simoniam committunt accipiendo aliquid pro oleo & Chriſmate ſacro, non tamen alii, ſi ratio ſacri in æſtimationem cum temporali non veniat.

Notant tamen hìc DD. ùt, ſi Calices, vaſa vel paramenta ſacra vendantur Laicis, priùs confringantur, vel diſſuantur, ut ſic amittant Conſecrationem vel Benedictionem; quia à Laicis non poſſunt adhiberi ad uſus ſacros. Templa non poſſunt vendi, niſi ad uſus ſacros; quia manent deputata ad uſum ſacrum, ſecus ac calix diffractus. Cæterùm permutare res ſacras cum ſacris extra materiam Beneficiorum, v. g. Reliquias cum Reliquiis, vel Roſarium benedictum cum Roſario benedicto, non eſt Simonia, etſi fiat ſine authoritate Epiſcopi.

2. Concomitando annexa ſpiritualibus ſunt, quæ intrinſeca neceſſitate conjuncta ſunt ſpirituali: ùt labor corporis & omnis actio, ſine qua ſacra functio exerceri non poteſt: ùt ſtare ad Altare, loqui in adminiſtratione Sacramentorum, Concione &c. hæc autem, cùm ſint pars intrinſeca rei ſpiritualis, cenſentur ſpiritualia, vendique non poſſunt ſine Simonia. 459. *3. Annexa concomitanter, & hæc vendere ſimoniacum.*

3. Conſequendo annexa ſunt, quæ velut effectus præſupponunt cauſam ſpiritualem, ùt fundamentum & principale. Talia ſunt, Jus percipiendi decimas, Jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ, quæ præſupponunt officium divinum velut cauſam & fundamentum. Hæc autem pretio temporali emere vel vendere, quamdiu manet connexio, & authoritate Ponti- 460. *Annexa conſequenter.*

tificis, per quem facta eſt, non fuerit ſublata, eſt Simonia, non tantùm Juris Eccleſiaſtici per Can, *Si quis.* Cap. 27. & 33. Tit. de Simonia, etſi quis intenderet tantùm dare pretium pro temporali; ſed etiam probabiliùs juris naturæ: ut tenet communior Theolog. cum S. Thom. 2. 2. q. 100. a 4. o. contra plures Canoniſtas, Leſſ. Cardenam apud La Croix n. 117. l. 3. p. 1. n. 116.

Hæc vẽdere probabiliùs repugnat juri naturæ. *Ratio eſt ;* tum quia, cùm jus percipiendi decimas & fructus ex bonis Eccleſiæ ordinatur ad officium divinum, cum eo ità connectitur, ut in æſtimatione morali faciant unum jus, nec poſſit jus percipiendi fructus obtineri, niſi ratione officii, in quo fundatur; non poteſt quoque emi vel vendi, quamdiu non eſt ſeparatum authoritate Pontificis, quin ſimul ematur vel vendatur ſpirituale officium: tum quia, quod fundatur in aliquo, tanquam in cauſa morali, non poteſt poſſideri ſine ſuo fundamento; Jus autem percipiendi fructus fundatur velut in fundamento, & radice in officio ſpirituali. Huc pertinet illud dictum Paſchalis Papæ Cap. *Si quis.* 7. Cauſ. 1. Q. 3. *Quisquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit;* quod dixi de Beneficio, idem, ob paritatem rationis, dic de Commenda Clericali; quia principale in ea eſt ſpirituale miniſterium, cui temporale commodum eſt conſequenter annexum. Aliud eſt de fructibus Beneficii & decimalibus: hi enim percepti, cùm non ſint amplius annexi juri vel officio ſpirituali, vendi utique liberè & ſine Simonia poſſunt. V. 11. n. 418. Cor. 2.

Nec obſtat 1. Quòd connexio inter temporale & ſpirituale in prædictis juribus ſit inducta ab Eccleſia: nam factâ & durante connexio-

nexione non poteſt vendi jus percipiendi fructus, quin vendatur jus ſpiritualis officii : ſicut, licèt erectio Beneficii ſit ab Eccleſia, reſidentia tamen eſt juris divini naturalis.

Nec obſtat 2. Quòd Roſaria benedicta, imagines, numiſmata, quæ Reliquias attigerunt, & Reliquiaria vendi poſſint, ſecundùm valorem intrinſecum materiæ & formæ artificialis ; quia in his temporali eſt ſpirituale annexum tanquam antecedenti, & temporale in ſpirituali non fundatur, nec ordinem ad hoc dicit ; quod verò eſt ſpirituali annexum conſequendo, ordinem dicit ad ſpirituale, velut ſuum fundamentum ; non poteſt autem temporale annexum ſpirituali vendi, quatenus ordinem dicit ad ſpirituale, quia tunc ſpirituale æſtimaretur pretio temporali. Unde connexio tanta eſt, ut paciſcentium intentione ſeparari non poſſit. Secus eſt in annexis ſpirituali antecedendo, quæ temporale præſupponunt.

Resp. 3. Materia Simoniæ quoque ſunt 3tiò omiſſiones actuum procedentes à poteſtate ſpirituali, ſeu Eccleſiaſtica. Unde, ſi fiant pro pretio, ſunt ſimoniacæ : ùt, ſi pro pretio, auditâ Confeſſione, omittas aliquem abſolvere, ſi promittas, aliquem non abſolvere à cenſuris, ſi paciſcaris, ut non eligas, non des votum &c. ſi paciſcaris, non commendare te ipſum, vel alium, ubi intenditur promotio tertii ad Beneficium Eccleſiaſticum. *Ratio eſt* ; tum quia non ſolùm abſolvere, approbare, eligere &c. ſed etiam ligatum detinere, vel rejicere, eſt exercitium juriſdictionis ſpiritualis, adeoque pretio invendibile : ſuam enim æſtimabilitatem habet, quatenus ab illa juriſdictio-

461.
3. Omiſſiones actuum ſpiritualis poteſtatis.

 dictio-

dictione habet moralem efficaciam ; tum quia jus pro ſe vel alio ſollicitandi eſt ſpirituale : ergo, qui ab altero emit ceſſionem illius, reipſa dat pretium pro jure illo alteri attribuendo ; ergo pro ſpirituali : deinde parat alteri viam ad Beneficium per pecuniam, quod eſt ſimoniacum. Idem eſt, ſi pactio fiat, ut quis non contradicat, ut deſiſtat à prætenſione juſta, ut ſe non ſiſtat ad concurſum &c. La Croix n. 175. 176.

Dixi : *Omiſſiones procedentes a poteſtate Eccleſiaſtica :* nam ſi omiſſio non ſit exercitium hujus, neque intuitu rei ſpiritualis pretio æſtimetur juxta La Croix nu. 177. ex Suar. Laym. Leſſ. non erit Simonia, pro illa dare, vel accipere pretium, etſi ſit omiſſio actûs ſpiritualis ex officio debiti ; uti ſi Parochus pecuniam accipiat, ut non audiat confeſſionem alicujus, eò quòd non ſit actus juriſdictionis, ſed voluntariùs tantùm illius non uſus, injuſtus tamen & redolens turpe lucrum. Verùm quamvis non ſit Simonia dare pecuniam, ut alter abſtineat ab actu ſpirituali injuſto vel ſacrilegio : v. g. ut ad Parochiam non eligat indignum, vel minùs dignum, & moveatur ad eligendum digniorem, ſicque eligentes hanc Simoniæ non ſiut rei, ſed tantùm injuſtitiæ & turpis lucri ; tamen de Paſtore oppoſitum non eſt improbabile ; quia, ſicut Judex, nolens judicare & abſolvere reum, ità utitur ſuâ libertate, ut abutatur poteſtate, quamvis negativè per non uſum ; ità Paſtor ſic utitur ſuâ libertate, ut abutatur poteſtate, nolendo audire ſui Parochiani Confeſſionem. *Confirmatur.* Confeſſarius poſt cœptum judicium ſacramentale negans digno abſolutionem, abutitur ſuâ poteſtate, & ligatum detinet ; quia negat abſolutionem debitam:

tam: ergo & Parochus, qui ex officio tenetur ſui Parochiani Confeſſionem audire, abutitur ſuâ poteſtate ſpirituàli, negando audire Confeſſionem ejus, & non exercendo judicium Sacramentale, prout debet, & ligatum detinet; non enim aliter ligat Confeſſarius pœnitentem, quàm non abſolvendo, & imponendo ſatisfactionem; adeoque in utroque caſu Simonia committitur, negando abſolutionem digno propter pecuniam.Ità Viva opuſc. morali 3. q. 7. a. 1. ſub n. 2. qui fatetur, primam ſententiam eſſe communiorem. *Ex dictis reſolves*

1. Non eſt Simonia, emere titulum ordinationis priùs conſtituendum v. g. ſuper menſa Abbatiàli aut bonis Communitatis; quia eſt quid totum temporale, & licèt poſtea, ubi titulus acceptatus erit ab Eccleſia, accipiat aliquam connexionem cum ſpirituali, antè tamen eſt quid merè temporale; ergo ſicut licet emere calicem, poſtea conſecrandum; ità hìc. Secus eſt de titulo conſtituto, v. g. fundatione Miſſarum hebdomadatim, quibus reſpondet ſtipendium ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiens; cùm enim officium legendi Miſſas ſit ſpirituale, jus propter id percipiendi fructus; eſt ſpirituali conſequenter annexum, adeoque ſimoniacum eſt illud emere. 462. *Corollaria. Quid, ſi detur pecunia pro titulo patrimonii?*

2. Non eſt Simonia, emere vel vendere jus utile decimandi, ſi hoc authoritate Pontificis, vel conſuetudine ſit ſeparatum ab officio & jure directo, quod ſemper manet penes Eccleſiam. Idem eſt, ſi jus decimandi à Papa ſit Laico conceſſum. Licet quoque jus decimandi in uno loco, permutare cum jure decimandi in alio, & fructus Beneficii vel decimales elocare etiam ad vitæ tempus, ubi extravagans; *Pro jure decimandi.*

vagans : *Ambitioſæ*, concedens tantùm triennium, non eſt recepta, quam fere nullibi receptam dicit Caſtrop. quia elocatio non ſeparat jus à titulo Beneficii.

Pro matrimonio, ut contractu? 3. Etſi ſit Simonia, dare pretium pro ipſo Sacramento, non eſt tamen pro habendo Matrimonio in ratione contractûs civilis v. g. per dotem, vel aliter compenſare inæqualitatem perſonarum contrahentium: uti, ſi una perſona ſit nobilis, altera ignobilis. Ità S. Thom. Suar. Laym. Illſung Tr. 5. n. 309.

Pro obligatione faciendi ſpirituale? 4. Etſi Simonia non ſit, aliquid exigere pro adminiſtratione Sacramentorum, officiis divinis, Litaniis, precibus per modum ſtipendii, ùt conſtat ex hac propoſitione Wicleffi damnatâ à Martino V. *Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, iis in temporalibus ſubvenientibus;* probabiliùs tamen eſt Simonia, quid exigere pro obligatione faciendi ſpirituale v. g. adminiſtrandi Sacramenta; quia talis obligatio connectitur cum ſpirituali, tanquam cum fine, ordo autem ad ſpirituale non cadit ſub pretium. Ità S. Th. Suar. Caſtrop. apud La Croix n. 162. contra Nav. Leſſ. Laym. & alios id probabiliter negantes, eò quòd obligatio diſtinguatur à functione ſacra, reſtrictioque libertatis ſit pretio æſtimabilis. *Confirmatur.* Poſſum accipere pretium pro obligatione mutuandi, etſi non pro mutuo; ergo à pari Meritò tamen ſuadetur, ut alio titulo v. g. ſuſtentationis temporale recipiatur.

Pro Jure Patronatûs? 5. Licèt Jus Patronatûs poſſit tranſire ad alium ratione rei, cui affixum eſt, non poteſt tamen ſine Simonia vendi, nec quando perſonæ affixum eſt, nec quando adhæret rei; quia ex Suar. Laym. Lib. 4. Tr. 21. cap. ultimo, n. 60.

n. 60. eſt quid merè ſpirituale, vel quia ex ſe ordinatur ad ſpirituale, & fundatur in poteſtate Eccleſiaſtica inſtituendi Beneficia. Unde plus dari non poteſt v. gr. pro arce, eò quòd illi ſit annexum Jus Patronatus; ſique plus daretur, & ipſum & pretium amitteretur. La Croix n. 179. *Nec juvat*, quòd Patrono debeatur præcedentia, honorificentior locus &c. adeoque ob hæc arx fiat æſtimabilior: nam dignitas Eccleſiaſtica etiam ſecum fert Jus Præcedentiæ, loci honoratioris, & tamen emi non poteſt, etiam pretio his reſpondente, quia Jus Præcedentiæ fundatur in Jure Patronatûs, quod ſpirituale eſt, ex dictis contra Leur. in foro Beneſ. p. 3. q. 25.

6. Eſt Simonia, ſi elocetur res ſacra & pro uſu exigatur pretium. Poſſet tamen, ſi uſu atteratur, pro damno aliquid accipi. La Croix n. 161. ait, non eſſe Simoniam, ſi Muſicus pro cantu non debito, ad populi devotionem excitandam adhibendo, paciſcatur de pretio. Quòd ſaltem verum eſt, ſi id fiat tanquam de adjumento ſuſtentationis, & erga impedimentum ab aliis negotiis. V. Leſſ. n. D. 8. n. 45. *Pro elocatione rei ſpiritualis?*

7. Eſt Simonia, ſi Judex Eccleſiaſticus accipiat pretium pro Sententia, procedente à Jurisdictione ſpirituali. Item, ſi quis emat, vel vendat poteſtatem ſupplendi in Parochia. Si tamen peteres licentiam ad functiones pro Parocho obeundas, poſſet hic eam negare, niſi ipſi cederes ſtipendium, quod ipſe haberet, ſi eas ipſe obiret, quia poteſt ſe ſervare indemnem. La Croix n. 173. modò eas obire facilè poſſit. *Pro ſententia judicis ſpiritualis?*

8. Non eſt Simonia, pro pretio docere Theologiam, ſeu Scholaſticam, quæ quæſtiones *Pro doctione Theologia?*

nes ſpeculativas diſputativè examinat, & concluſiones deducit partim ex principiis fidei, partim ex lumine naturali; ſeu poſitivam, quæ explicat Scripturam, & argumentationibus Theologicis fundamenta ſubminiſtrat; ſeu moralem, quæ actus morales explicat, quia ordinantur proximè ad intellectum formandum in iis materiis. Aliud eſt de myſtica, quæ, quia in aſceteriis potiſſimùm traditur, aſcetica dicitur: hæc enim per ſe tendit ad voluntatem Chriſtianâ perfectione imbuendam, utì & Conciones. Idem dicit La Croix de polemica, quæ tractat controverſias ad confirmandos homines in Fide, & Infideles convertendos. Si tamen per eam tantùm intellectus inſtrueretur, ut principia Fidei Catholicæ propugnare, & Hæreticos redarguere poſſit, Simonia non foret, pro ejus doctione pretium dare vel admittere. Sic juxta Suar. Layman, Illſung Ludimagiſtri licitè exigunt mercedem pro inſtructione puerorum in doctrina Chriſtiana, quia hanc non proponunt modo exhortatorio, & ùt miniſtri Eccleſiæ, ſed tantùm doctrinaliter, informando intellectum. Verum hi jure exigunt ſuſtentationem, utpote pro aliis occupati.

Pro aſſiſtentia in matrimonio contrahendo?

9. Parochus Simoniam committit juxta Suar. ſi pro pecunia, tanquam pretio, aſſiſtat Matrimonio; quia aſſiſtit ùt Parochus, in quo conceptu involvitur ſpiritualitas, adeoque hæc venditur, dum venditur aſſiſtentia: ſecus dicendum de aſſiſtentia teſtium, quia non aſſiſtunt ex officio ſpirituali, atque eorum actus eſt tantùm terminatione ſpiritualis, ſicut actus Advocati, qui licitè poteſt pro pretio agere in cauſa ſpirituali. *Nec obſtat*, quòd aſſiſtentia teſtium

teſtium ſit de eſſentia contractûs validi, adeoque & de eſſentia Sacramenti; nam non omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, ſunt ſpiritualia & invendibilia, ùt patet conſideranti.

Dices. Aſſiſtentia Parochi non eſt actio Sacramentalis, quia Parochus non eſt miniſter Sacramenti Matrimonii: hoc enim valet, etſi invitus aſſiſtat, & non conſentiat; miniſtratio autem Sacramenti debet eſſe voluntaria. Deinde non eſt actus jurisdictionis; quia & is debet eſſe voluntarius, eſtque invalidus, ſi talis non ſit: ergo non apparet, ex quo capite aſſiſtentia ejus ſit ſpiritualis. Reſp. Eſt ſpiritualis; quia debet eſſe Paſtoris, quà talis, vel Sacerdotis, quatenus ab ipſo deputati. Vide Suar. Cap. 19. Caſtrop. p. 12. & alios.

10. Eſt Simonia, emere jus, vel actum ſepulturæ in loco ſacro; quia pretium daretur pro re ſacra. Poteſt tamen exigi & dari aliquid pro obligatione non ſepeliendi alios, quàm v. g. certæ familiæ defunctos in tali loco; quia privatio libertatis eſt pretio æſtimabilis. Item poteſt aliquid exigi applicandum fabricæ, & pro fundo loci, per aliquos etiam pro loco, quatenus eſt honoratior: id quod alii melius negant; quia honor fundatur in loco ſacro, ſicut in Epiſcopatu fundatur honor Epiſcopi, pro quo nihil temporale dari poteſt, quatenus honorabilior eſt. *Pro jure Sepulturæ?*

11. Non poteſt ſine Simonia temporale exigi pro admiſſione ad Statum Religioſum, vel Profeſſionem in eo; quia Status Religioſus eſt ſpiritualis, admiſſioque ordinatur ad eum, quæ & procedit à poteſtate Eccleſiaſtica. Poteſt tamen exigi conveniens pro ſuſtentatione in Novitiatu; imò & pro ea poſt *Pro admiſſione ad ſtatum Religioſum?*

Profeſſionem, ſi Monaſterium ſit inops, & inſtitutum non repugnet. Si autem Monaſterium ſit opulentum, juxta aliquos Simonia eſt juris naturæ, exigere aliquid pro ſuſtentatione; quia factâ Profeſſione, Religioſus ex mente Fundatorum habet jus ad ſuſtentationem, conſequenter annexum Profeſſioni, ſicut adeptus Beneficium Eccleſiaſticum jus habet ad ſuſtentationem, ſi fungatur officio. Negant quidem id alii, eò quòd nemo, etſi dives, teneatur alium alere gratìs; ſed hæc ratio firma non eſt; quia fundatio facta eſt, ut conſervetur Monaſterium, & Profeſſi alantur. Sed quidquid ſit de hoc, Canones ſaltem id prohibent, eſtque illicitum, niſi cauſæ rationabiles excuſent, v. g. quòd proventibus ex fundatione non poſſit occurri eventibus ſiniſtris ex bello, ſterilitate, &c.

QUÆSTIO IV.

Quale pactum conſtituat Simoniam?

463. *Contractus quotuplex?* *Nota.* Pactum ſeu contractus eſt duorum vel plurium conſenſus in idem, externè manifeſtatus, inducens obligationem Juſtitiæ. Si inducat tantùm obligationem in unum, dicitur contractus gratuitus ſeu lucrativus. Talis eſt promiſſio, donatio liberalis acceptata, &c. Si inducat obligationem in utrumque contrahentium, dicitur contractus oneroſus: ùt contractus locationis, emptionis, venditionis, &c. Hic poteſt eſſe vel formalis, & explicitus, vel virtualis & implicitus ſeu tacitus, item completus vel incompletus ſeu inchoatus. Explicitus eſt, quo partes expreſsè conſentiunt in idem,

idem, v. g. do tibi beneficium hoc, ut mihi ſervias, ut des centum, ut des mutuum, ut remittas debitum. Implicitus eſt, quo inducitur quidem obligatio, ſed ſignanter non exprimitur conſenſus, uti fit in ſuſceptione officii v. g. Parochi, Advocati, Tutoris, examinatoris Synodalis, &c. Incompletus eſt, quo quis intendit alterum obligare; is autem vel non advertit, vel, ſi advertat, non conſentit, ùt, ſi quis præſtet alteri temporale, cum animo eum obligandi ad dandum ſpirituale, vel contra, aut velit per temporale compenſare acceptum ſpirituale: tunc enim vult temporale dare tanquam æquivalens, ſaltem ex parte, idque ſic ab alio acceptari. *His notatis*

Reſp. Simoniam conſtituit pactum ſeu contractus oneroſus tum explicitus, tum implicitus, tum completus, tum incompletus, non 464.
tamen, per ſe loquendo, & ex natura rei, pactum merè gratuitum, ſeu donatio vel promiſſio merè gratuita & liberalis. Eſt communis, & ratio eſt; quia malitia Simoniæ ſtrictiſſimè acceptæ conſiſtit in commutatione, & æquiparatione rei ſacræ, vel Spiritualis, cum temporali; hæc autem fit per omnem contractum oneroſum, etiam inchoatum tantùm, non verò per promiſſionem, donationem, aut exhibitionem v. g. obſequii merè gratuitam: nam, ut ſit Simonia talis; debet dari vel promitti temporale pro ſpirituali, vel contra, tanquam pretium; hoc autem fit per omnem & ſolum contractum reciprocum, oneroſum, tacitum vel expreſſum, completum & inchoatum; non verò per promiſſionem vel donationem merè gratuitam.

Omnis contractus oneroſus, etiam tantùm inchoatus ex una parte conſtituit ſimoniam.

465. *An ad ſimoniam juris humani ſufficiat gratuitus contractus?* Dixi : *Ex natura rei, & per ſe loquendo*; nam juxta Suar. cap. 7. apud Viva q. 6. a. 2. num. 7. in reſponſione, & alios, ad Simoniam Juris Eccleſiaſtici ſufficit contractus omnis, intuitu Religionis prohibitus, circa ſpiritualia, ſive is ſit oneroſus, ſive gratuitus. Sic imò Simonia eſt vendere Chriſma, etiam ratione materiæ, permutare Beneficia propriâ authoritate. 2dò. Simonia eſt, ſi examinator ſynodalis, occaſione examinis, in concurſu ad Parochiam admittat aliquid, ſive antè, ſive pòſt, ùt patet ex Trid. Seſſ. 24. Cap. 18. 3tiò. Si Baptizatus Baptizanti, ordinatus ordinanti quidquam etiam gratis donet, ex Can. *Emendari* 104. Cauſ. 1. Q. 1. & Cap. *In ordinando*. de Simonia. 4tò. Trid. Seſſ. 21. C. 1. *de Reform.* vetat, ne pro collatione Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, pro literis dimiſſoriis, &c. Epiſcopi vel alii eorum Collatores quidquam, etiam gratis oblatum, quovis prætextu accipiant. *Ratio* autem Suar. *eſt*; quia omnis contractus, in reverentiam rei ſpiritualis prohibitus, eſt rebus ſacris injurioſus. Et hinc tenet, Simoniam juris naturalis & Eccleſiaſtici eſſe ejuſdem ſpeciei.

Sed alii negant, eſſe Simoniam, ſi non interveniat oneroſus contractus, ſaltem inchoatus. Ad primum dicunt : Vendere Chriſma ratione olei, eſſe Simoniam, quia eſt contractus oneroſus, prohibitus intuitu Religionis. Ad 2dum : Eſſe Simoniam, ſi concurrens pro Parochia det alteri temporale, antè, velut virtuale, pretium, ex pacto implicito, ut ipſi faveat, det votum, &c. Item eſſe Simoniam, ſi examinator admittat poſt examen, aut detur in compenſationem. Si autem abſit omnis pactio,

ctio, etiam virtualis, peccari quidem ajunt dando, & accipiendo, non fore tamen Simoniam in foro interno; etſi in externo ob periculum præſumatur, & incurrantur pœnæ Simoniacis conſtitutæ. Ità tenet Schmalzgruber cum aliis Lib. 5 Tit. 3. ſub n. 67. Idem dicit de aliis relatis. Monet tamen maximè cavendum, ne ante collatum ſpirituale aliquid accipiatur. Ad 4tum reſpondet Caſtropalao Tr. 17. D. 3. P. 5. iſta prohiberi Epiſcopis, non intuitu Religionis, ſed ex odio avaritiæ,, quia Trid. in præambulo habet: *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet*; ergo talis prohibitio non procedit ex motivo Religionis, adeoque talium munerum acceptio non eſt ſimoniaca, cùm Concilium dicat, eam favere ſimoniacæ pravitati; non verò dicat, eſſe ſimoniacam. De examine ſynodali vide La Croix L. 4. n. 611. *Hinc*

466. *Corollaria.* 1. Non eſt Simonia, donum temporale dare vel præſtare v. g. obſequium ex ſpe obtinendi ſpirituale omninò gratìs; quia malum non eſt, ordinare temporale ad ſpirituale, nec Simonia eſt, ubi nec pactum, etiam implicitum, intercedit, nec lege prohibetur. Imò nec Simonia foret, per ſe loquendo, ſi, qui temporale obſequium præſtitit alteri, exponeret ſpem ſuam, & gratum animum peteret; quia, quod licitè opto, & ſpero, hoc & per ſe loquendo, licitè ſignis externis exprimo.

Quando cenſeatur adeſſe pactũ implicitum

Cautela tamen hîc opus eſt, ſi detur temporale ex ſpe ſpiritualis, ne detur ſcandalum, & pro ſpe adſit intentio obligandi ex juſtitia; quod fere contingit, ſi temporale, quod datur,

tur, non ſit levis momenti, nec ſit alia ratio dandi: tunc enim cenſetur aliquis dare velut virtuale pretium, ùt dixi ſuprà, ſi immediatè det, quando intendit obtinere ſpirituale, & non ſit aliud motivum, cur det. Aliud foret, ſi daret v. g. ob levandam alterius egeſtatem, aut tanquam ſtipendium, vel donum eſſet levis momenti, v. g. eſculenta. vel poculenta: tunc enim cenſeretur illud dare gratìs, nec aptum movere alterum ad dandum ſpirituale pro illo: ſicut parva munuſcula non cenſentur apta movere Judicem ad ferendam ſententiam injuſtam. Ut autem determinetur, an munus ſit parvi, vel magni momenti, ſpectanda eſt perſonæ dantis, & accipientis qualitas, muneris quantitas, donationis tempus, utì habetur Cap. *Etſi quæſtiones. de Simonia.*

2. Poſt acceptum ſpirituale licet dare temporale, non in compenſationem ſpiritualis, ſed ad extinguendam obligationem gratitudinis. Similiter licet poſt acceptum temporale dare ſpirituale ad illam præcisè extinguendam, poteſtque Collator v. g. Beneficii dicere Clerico, ſe hoc illi conferre ex gratitudine propter obſequia, ſibi ab ipſo, vel ejus Patre præſtita; quia cauſam, ob quam aliquid fit licitè, exprimere non eſt illicitum, & quod ex gratitudine datur, gratis datur; quia donum gratuitum non excludit obligationem gratitudinis, ſed juſtitiæ: aliàs Religioſi Simoniaci eſſent, offerendo Sacrificia pro ſuis fundatoribus, & benefactoribus.

3. Etſi per ſe loquendo, ſi ſincerè procedatur, non ſit Simonia dicere: confero tibi hoc Beneficium; ſed ſcias, te debere eſſe gratum, vel

vel ; volo, ut ſis gratus : confer mihi hoc Beneficium, intercede pro me, & ero gratus ; cùm tantùm manifeſtetur obligatio antidoralis, quæ ex natura rei oritur, exſolvique poteſt orationibus, piis conſiliis, eleëmoſynis : attamen ejuſmodi verbis uti, periculoſum eſt, tum ob ſcandalum, facilè oriturum ; tum ob periculum, ne adſit intentio in alterutro dandi temporale pro ſpirituali ; vel contra : unde ſi circumſtantiæ ſint tales, ut cum verbis ſignificent promitti temporale ; Simonia erit illis verbis uti. Significant autem hoc tempore facilè promitti temporale, aut intendi : ſi enim, qui accepit ſpirituale, dein non det temporale, cenſetur mereri nomen ingrati, exprobrationem, & pudorem hominum opinione juſtum pati debet. Imò quandoque monetur, ut gratitudini ſatisfaciat : quod ſignum eſt, adfuiſſe pactum implicitum ſaltem ex una parte. Unde monet Leſſ. cautè utendum illis verbis, præſertim, ubi ex conſuetudine acceptantur, tanquam obligatoria ad aliquid determinatum, ut ferè fit his temporibus apud ſæculares præſertim ; & difficile eſt credere, magnas ſummas pecuniæ dari omninò gratis. Unde ſi verba illa ab alio acceptentur, erit Simonia conventionalis.

4. Erit Simonia, ſi quis ſe obliget ad dandum ex gratitudine temporale pro ſpirituali obtinendo : V. g. dicendo : ſi contuleris mihi hoc Beneficium, promitto, me daturum tibi ex gratitudine 100. aureos ; vel : dabo tibi liberaliter hoc Beneficium, ſi te obliges ad dandos mihi liberaliter 100. aureos. *Ratio eſt*, quia initur contractus oneroſus dandi temporale pro ſpirituali, vel contra, & transfertur ob-

ligatio gratitudinis in obligationem juſtitiæ : cùm enim gratitudo non obliget ad aliquid determinatum ; ut promittens maneat intra debitum gratitudinis , non debet promitti quid determinatum : Nec juvat, quòd dicitur poſſe deduci in pactum , quod actui ex natura ſua ineſt : nam id verum tantùm eſt , quando prior obligatio non alteratur , nec in novam transfertur : ùt, ſi præcisè dicatur : promitto me fore gratum. Aliud eſt, ſi obligatio gratitudinis reſtringatur ad determinatum , & induat naturam juſtitiæ, vel fidelitatis. Imò in materia Beneficiorum dicere : promitto me fore gratum : juxta Pichler Simonia eſt ſaltem juris Eccleſiaſtici, eò quòd in ea omnis pactio ſit Simoniaca. Dicta confirmantur ex damnatione propoſitionis 42. facta ab Innocent. XI. quæ ſic habet : *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum ; ſed ſolùm, ſi exigatur, tanquam ex juſtitia debitum.* Quæ propoſitio falſa eſt; quia dum debitum gratitudinis ad aliquid determinatum aſtringitur per pactum, intenditur obligatio juſtitiæ. Quòd autem in temporalibus uſura eſt, hoc in ſpirituali eſt Simonia, ùt habet axioma.

5. Simonia quoque eſt, ſi quis fictè promittat temporale , ut obtineat ſpirituale pro eo , vel contra : utì ſi Titius fictè promiſit pecuniam Patrono , & hic eum præſentavit ad Beneficium. *Ratio eſt* ; quia pro temporali reipsâ obtinuit ſpirituale , non ſecus, ac ſi verè promiſiſſet : ſicut qui per veram promiſſionem pecuniæ necdum datæ obtinuit Beneficium. Ut Judex fictâ promiſſione pecuniæ corrumpi poteſt : ſic hic. Nec obſtat, quòd fictè pro-

mit-

mittens non habeat animum dandi temporale pro ſpirituali: nam habuit animum, per temporale obtinendi ſpirituale, quod ſufficit. Nec dubitari poteſt, quin ſit ſacrilegè mentitus, & alterum induxerit ad Simoniam. Si tamen ex utraque parte fuiſſet fictio, & neuter habuiſſet animum dandi; non eſſet Simonia, ſed ſacrilegum mendacium.

Ex hactenus dictis patet, non omnem Simoniam eſſe *crimen ambitûs*, nec ejus malitiam ex eo præcisè petendam eſſe, *quod nundinatio officiorum in Eccleſia ſit peſtis, & quidem longè pernicioſior, quàm mercatura dignitatum civilium*; uti aſſerebant poſitiones Anno 1748. vigeſimâ Septembris pro Doctoratu utriuſque Juris publicæ diſceptationi expoſitæ, tanquam ex Jure Canonico delumptæ. Nam vendere vaſa ſacra, ſacras veſtes, numismata benedicta, &c. ratione ſacri ſimul deductâ in æſtimationem erga pretium temporale, dare temporale tanquam pretium pro Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione, pro abſolutione à cenſura, pro Sanctorum reliquiis, &c. haud dubiè Simonia eſt; nec tamen ambitus, vel nundinatio officiorum in Eccleſia. Quare poſitiones illæ mancæ ſunt, & in ſenſu univerſali falſæ. Unde autem petenda ſit malitia Simoniæ, conſtat pariter ex dictis.

QUÆSTIO V.

An, & quando ſit Simonia, pro ſpirituali dare, vel facere temporale tanquam motivum, vel finem, aut compenſationem ſpiritualis, vel contra?

467. *Diverſæ A. A. opiniones.* Non levis hîc eſt difficultas, quia Innoc. XI. damnavit intèr cæteras hanc ordine 45. propoſitionem: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam, quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut ècontra!* Damnavit & hanc 46. *Et id quoque locum habet, etſi temporale ſit principale motivum dandi. Imò etſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis; ità, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.* Unde propoſitiones his contradictoriæ veræ ſunt. Sed difficilè eſt explicare, quo ſenſu, & univerſalem regulam ſtatuere: in quo D. D. non conveniunt.

Nam imò La Croix cum Cardena dicit N. 73. Simoniam eſſe ſaltem Juris Eccleſiaſtici dare temporale tanquam motivum ſpiritualis reciprocè dandi, quamvis nullum aliud pactum, nec implicitum interveniat; potuiſſeque ſic ſtatuere Pontificem, etſi fortè non eſſet intrinſecè malum; quia nempe periculoſum eſt, & facilè occaſio mali. Addit tamen temporale tunc eſſe virtuale pretium.

Motivum in- & extrinſecum. 2. Viva opuſculo 3. moralium q. 5. a. 2. n. 2. ait, tunc eſſe Simoniam, quando temporale

rale datur, ùt motivum intrinſecum, finale, principale, ponendi ſpirituale; non verò, ſi ùt motivum tantum extrinſecum ponatur. V. g. ſi des temporale Epiſcopo, ut eò moveatur ad dandum tibi pro eo Beneficium, Simonia eſt; át ſi ei ſervias fideliter pro ſalario cum ſpe accipiendi Beneficium, non eſt Simonia; etſi intendas ejus benevolentiam tibi, ex qua ſuo tempore tibi Beneficium conferat. Eſt enim motivum intrinſecum, quod actum ſpecificat, & cui is innititur, idque vel principale, ſi magìs moveat, & præ alio, aut præ alio, ſi finale eſt, intendatur; minùs autem principale, ſi minùs moveat, vel minus intendatur: hoc autem poteſt habere rationem pretii. Motivum extrinſecum eſt, quod dat tantùm occaſionem actûs, ex alio motivo eliciendi, & actum non ſpecificat: ùt, ſi quis conſiderans pœnas moveatur, ut eliciat perfectam contritionem; ſi conſiderans motiva credibilitatis, moveatur ad volendum credere, & eliciat actum fidei; ſi Epiſcopus, conſiderans fidelia obſequia ſui famuli, ei ad Dei gloriam conferat parochiam; motivum intrinſecum contritionis eſt abſoluta Dei bonitas, extrinſecum pœnæ inferni; motivum intrinſecum actûs fidei eſt authoritas Dei loquentis, extrinſecum ſunt motiva credibilitatis; motivum intrinſecum conferendi parochiam famulo in Epiſcopo eſt gloria Dei, extrinſecum ſunt obſequia: & hoc dicitur etiam motivum occaſionale, & impulſivum. Hæ ſententiæ probabiles ſunt.

3. Alii dicunt eſſe Simoniam, ſi quis faciat ſpirituale propter temporale tanquam finem extrinſecum, vel principalem intrinſecum; ſecus ſi ob id tanquam finem intrinſecum minus

principalem faciat. Sic ajunt: Simonia eſt, ſi Canonicus ad Chorum eat principaliter propter diſtribuenda temporalia; ſi Sacerdos celebret Sacrum principaliter propter ſtipendium; ſecùs, ſi iſta fiant propter temporale minùs principaliter, & ſecundariò. Item Simoniam dicunt eſſe, ſi quis alium abſolvat à peccatis propter ſtipendium, aut concionetur ob id. Finem intrinſecum rei dicunt, quem ex natura ſua reſpicit, idque vel primariò, & per ſe directè, & erit principalis, vel ſecundariò, & quaſi per conſequentiam; & erit minus principalis. Extrinſecum dicunt, ad quem non ex natura ſua, ſed ex intentione operantis res ordinatur. Sic finis intrinſecus Beneficii Eccleſiaſtici primarius eſt cultus Dei, ſecundarius ſuſtentatio Miniſtri: finis intrinſecus abſolutionis eſt ſalus animæ, extrinſecus poteſt eſſe quid temporale.

4. Alii cum Suar. Sanch. Caſtrop. tr. 17. d. 5. p. 2. Pirrhing l. 5. tit. 3. n. 130. apud La Croix n. 62. negant eſſe Simoniam, ſi temporale non æquiparetur ſpirituali, etſi illud intendatur, aut hoc fiat principaliter propter temporale; quamvis fateantur in eo poſſe eſſe aliquam inordinationem ſaltem venialem. Ratio illorum eſt, quia temporale tunc non intenditur ùt pretium, ſed ùt eleëmoſyna, vel ſtipendium, quod ex officio peti poteſt pro ſuſtentatione. Nec videtur reprehenſibilis, qui, ſecluſo temporali, paratus ſervire Deo, bona opera facit, ut aſſequatur temporalia; referendo ea ad finem honeſtum; quia bona opera ſunt media à Deo ordinata non tantùm ad ſpiritualia, ſed etiam ad impetranda temporalia. Sic licitè quis audit, vel curat legi

Sacrum

Sacrum pro avertenda contagione pecorum, pro conſequendo hærede, ſucceſſu felici in negotiis temporalibus : ſic & licitè inſtituuntur, & fiunt preces publicæ pro conſequenda aëris ſerenitate, pluvia, &c. Itaque ſi intentio rei temporalis non ſit mala, nec conjuncta cum alio inordinato affectu, ſed tendat ad finem honeſtum ; nullum erit peccatum ordinare ſpirituale etiam principaliter proximè ad temporale, modò in hoc non ſiſtatur, ſed tendatur ulterius ad alium finem honeſtum ; quia ſic res ſuperioris ordinis poteſt ordinari ad finem rei ordinis inferioris, uti notant Nav. & Suar. n. 12. Nec ſic dehonoratur, aut minoris fit ſpirituale, quàm temporale. Sicut, licèt Deus incarnationem filii ſui ordinaverit ad ſalutem noſtram ; non ideo illam minoris fecit, quàm hanc : & qui peccatum mortale deteſtatur propter Gehennam, non ideo illud æſtimat minùs malum, quàm gehennam. Confirmatur : qui dat pecuniam Sacerdoti tanquam ſtipendium, per eam principaliter intendit Miſſam, & tamen non eſt Simoniacus, quia Miſſam non æquiparat pecuniæ : ergo vice verſâ, qui facit ſpirituale principaliter pro temporali tanquam ſtipendio, non eſt Simoniacus. Hæc ſententia præplacet : Unde

468. *Si adſit pactum implicitum, vel commutatio, eſt Simonia*

Reſp. 1mò. Eſt Simonia dare temporale pro ſpirituali, vel contra, tanquam motivum intrinſecum conferendi, vel efficiendi ſpirituale eâ intentione, & animo, ut alter moveatur, & obligetur ad conferendum, vel efficiendum ſpirituale in commutationem, etſi pactum expreſſum non interveniat. *Ratio eſt* ; quia ſic temporale non datur gratis, ſed velut virtuale pretium : nam dans ſic eſt conſtitutus, ut velit alterum

alterum non recipere temporale, niſi velit viciſſim dare ſpirituale; nec daret, ſi ſciret alterum non movendum ad viciſſim dandum, ſique ſpe ſuâ fruſtraretur, ſeſe illuſum quereretur. Unde adeſt implicita voluntas emendi, & Simonia ex parte ſic dantis, & ex parte ſic accipientis: quia uterque concurrit ad virtualem contractum, unus dando, alter recipiendo temporale pro ſpirituali, vel contra. Atque ità dicitur vendi ſpirituale pro temporali; ſicut Judex, recipiens munera pro iniqua ſententia, dicitur vendere juſtitiam, & datur temporale velut virtuale pretium. Hoc contingit maximè in materia Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad quæ comparanda trahit utilitas, & pro quorum collatione nihil tanquam ſtipendium dari poteſt, ſi nempe non parvi momenti aliquod temporale detur tanquam motivum, & non adſit alius titulus dandi. Proinde rectè damnata eſt prima pars propoſitionis 45tæ, quæ ſi vera in ſenſu univerſali foret, panderet oſtium Simoniæ, omneſque pœnæ in Simoniacos ſtatutæ eluderentur: quisque enim diceret, ſe non dare pecuniam ùt pretium, ſed ùt motivum, ſicque palliarentur Simoniæ, præſertim in materia Beneficiorum, cum magno Eccleſiæ, & animarum detrimento, pecuniâ meritis prævalente. Dixi: *Tanquam motivum intrinſecum, & cum animo, ut obligetur;* nam ſi præſtetur temporale tanquam motivum extrinſecum ex ſpe tantùm conſequendi ſpirituale: ùt, ſi obſequia præſtentur ad conciliandum benevolentiam cum ſpe tantùm conſequendi aliquando Beneficium Eccleſiaſticum, Simoniam non eſſe conſtat ex dictis.

Reſp.

Reſp. 2. Simonia quoque eſt intendere, vel ponere ſpirituale propter temporale tanquam finem, quando temporale intenditur tanquam pretium formale, vel virtuale, aut intervenit pactio etiam inchoata, & implicita tantùm, habendi temporale pro ſpirituali, vel in ejus commutationem; non verò ſi temporale non intendatur tanquam pretium etiam virtuale, nec adſit pactio, vel intentio faciendi ſpirituale pro temporali commutandum; ſed ob aliam juſtam cauſam v. g. titulo ſtipendii ad honeſtam ſuſtentationem, titulo eleëmoſynæ, titulo extinguendi debitum gratitudinis. Ità Suar. Sanch. & alii ſuprà. Prima pars conſtat ex dictis in reſponſione 1ma, eſtque eadem ratio. Pars 2da eſt contra Cardenam, & alios ſuprà, tenentes eſſe Simoniam, ſi fiat ſpirituale propter temporale, vel contra tanquam finem principaliter intentum: ùt, ſi quis dicat Sacrum, vel Horas Canonicas, Sacramenta adminiſtret, concionetur principaliter propter ſtipendium, vel emolumentum temporale: ſi autem principaliter intendat honorem Dei, vel ſpirituale bonum animæ ſuæ aut proximi, dicunt non peccare; eò quòd temporale ſit tantùm finis ſecundarius impulſivus, determinans ad eligendum potius hoc, quàm aliud, ad agendum potiùs hoc, quàm alio tempore. *469. Uti &, ſi finis intendatur, ùt pretium.*

Sed ratio noſtra eſt 1mò. Simonia Juris naturæ ex ſe importat temporale tanquam pretium ex pacto dandum pro ſpirituali; ergo tunc finis temporalis, à dante vel faciente ſpirituale intentus, tantùm conſtituit Simoniam, quando intenditur ùt pretium, ſeu formale, ſeu virtuale; atqui poteſt aliquid intendi ùt finis

prin-

principalis, quin intendatur ùt pretium : nam qui ſumit medicinam, ùt finem principalem intendit ſanitatem, non tamen ùt pretium : vendens egenti in gravi neceſſitate frumenta, pro fine principali poteſt habere impletionem præcepti charitatis : item poteſt Concionator habere pro fine principali vanam gloriam, miles pro fine principali defenſionem patriæ, fundans Miſſas, vel dans ſtipendium Sacerdoti pro fine principali Miſſam, quin illi fines intendantur ùt pretium : eſt enim diverſa ratio pretii, & ratio finis. Hic intenditur propter ſe, illud conſiſtit in mutua duorum inter ſe æſtimatione, & compenſatione. 2. Poteſt aliquid intendi, ùt finis ſecundarius, & ſimul ùt pretium. Sic miles rectè intendit principaliter defenſionem patriæ, & ſecundariò ſtipendium tanquam mercedem ſui laboris. Poteſt famulus principaliter ſervire Domino ob finem ſupernaturalem, v. g. ut eum avertat à peccatis, & ſecundariò ob mercedem : nam propter aliquid ſtipendii capax voluntati liberum eſt operari, intendendo illud, vel ùt ſtipendium, vel ùt pretium, vel principaliter, vel ſecundariò.

Confirmatur ex D. Th. quodlib. 8. a. 23. ubi ait : *Si Prælatus intendit obligare eum, cui dat Beneficium Eccleſiaſticum, ad aliquam recompenſationem ſibi, vel ſuis conſanguineis; intentio Simoniaca eſt : intendit enim quandam tacitam venditionem. Si verò non intendat obligare, ſed intendat, quòd ille ſibi, vel ſuis propriâ ſponte temporale recompenſet, eſt quidem prava intentio, & carnalis* (ſi nempe non referatur temporale ad honeſtum finem) *ſed non Simoniaca.* Quia nempe non intenditur

ditur temporale tanquam virtuale pretium, & non fit venditio etiam tacita. Dicit quidem S. Th. quodlib. 8. a. 11. Simoniam committi, ſi Canonicus vadat ad Eccleſiam principaliter propter diſtributiones; ſed Cajet. & S. Anton. teſte Layman cap. 8, §. 2. n. 12. rectè eum explicant, dicendo, intelligendum eſſe, ſi eas intendat velut pretium. Nec juvat, quòd famulus, ſerviens pro mercede, videatur erga eam vendere ſua obſequia: nam non ideo Canonicus vendit officium ſpirituale, intendens per hoc diſtributiones; cùm has poſſit intendere ùt ſtipendium ad ſuî ſuſtentationem: ſicut Sacerdos, legens Sacrum propter ſtipendium acceptum, vel accipiendum, non vendit Sacrum; cùm jure naturæ illi, in alterius gratiam occupato, debeatur ſuſtentatio.

Reſp. 3. Simonia pariter eſt dare temporale velut gratuitam compenſationem pro ſpirituali, vel contra. *Ratio eſt*; quia vox *Compenſatio* propriè accepta, & particula *Pro* non cadunt in id, quod datur gratìs, ſed commutationem denotant: unde ſi datur temporale in compenſationem pro ſpirituali, reipsâ eſt emptio ſpiritualis pro temporali, hocque illi æquiparatur, acſi eſſet juſtum ejus pretium: quæ eſt gravis vilipenſio rei ſpiritualis. Nec juvat, quòd dicatur compenſatio gratuita; nam eſt tantùm verbotenus talis, reipsâ autem eſt commutatio ſpiritualis cum temporali. Ex his reſolves. 470. *Vel temporale detur, ùt compenſatio.*

1mò. Eſt Simonia, ſi Parochiâ vacante, feras Patrono munus temporale non levis momenti, ſupplicans, ut te præſentet; quia tum tale munus offertur velut motivum intrinſecum, habetque rationem pretii, cùm moraliter 471. *Corollaria.*

liter aptum ſit cogere ad retribuendum pro eo ſpirituale; nec cenſetur dari gratis, ſed cum animo obligandi. Idem eſt, ſi tale munus dares alteri, ùt motivum, ut is tibi reſignet Beneficium, aut ſi dares Beneficium principaliter, ut obtineas munus; quia intenderes commutari ſpirituale cum temporali. Et id paſſim verum eſt, ſi in materia Beneficiorum detur temporale, velut motivum recipiendi ſpirituale: Non enim tunc Beneficium intenditur alio titulo.

2. Non eſt Simonia ex natura rei, aliis promittere, legare, vel dare temporale ſub modo, vel onere, aut conditione operis ſpiritualis præſtandi; modò non fiat per modum compenſationis, neque ſub pacto abſoluto, & determinato, aut conditionato de dando. vel faciendo aliquid in utilitatem dantis, vel promittentis, vel alterius perſonæ, cujus ille quaſi vicem ſubeat. Sic poſſunt parentes licitè promittere munera liberis, ut Sacramenta, templa, catecheſin frequentent; poteſt dari infideli pecunia ſub conditione, ſi Baptiſmum ſuſcipiat; poteſt Catholica hæretico promittere Matrimonium ſub onere, ſi ſe convertat; poteſt Dominus alere pauperem ſtudioſum ſub onere, ut vel fiat religioſus, vel ut ſumptus refundat. *Ratio eſt*; tum quia hìc non imponitur abſoluta obligatio illi, qui pecuniam accipit; ſed datur optio, ùt, ſi velit temporalia habere, præſtet hoc ſpirituale, ſi nolit, maneat ùt antè, & illis careat; tum, quia dans temporale nihil viciſſim recipit. Et ſic Deus promiſit bona temporalia, ſi faceremus opera moraliter bona, non ut pretium, ſed ùt incitamentum, & præmium. Et quamvis imple-

impletâ conditione, promittens teneatur ſtare promiſſis, contractus manet gratuitus: ſicut, ſi tibi promiſiſſet Titius 100. pro dote, ſi pater tuus in bello moriatur, contractus manet gratuitus, etſi, patre mortuo, teneatur tibi numerare Titius 100.

Dixi 1mò. *Modò non fiat per modum compenſationis*: quia tunc foret Simonia, ut conſtat ex dictis. Dixi 2. *Nec ſub pacto abſoluto, &c.* Nam ſi Abbas aleret pauperem ſtudioſum eâ lege, & obligatione abſolutâ, ut religionem ſuam ingrediatur, foret Simonia juxta Layman ſub N. 11. Dixi 3. *Sub pacto determinato*: Nam ſi eſſet disjunctivum, & ſpirituale non eſſet faciendum in utilitatem dantis temporale, excuſari poterit. Sic, qui admittuntur ad Seminaria, promittere debent ſe velle ſtatum Eccleſiaſticum amplecti, vel ſumptus pro victu refundere. Dixi 4. *Aut conditio non ſit &c. in utilitatem dantis, vel promittentis*: Nam conditio tranſiret aliàs in commutationem ſaltem innominatam, & quidem Simoniacam, ſi verſetur circa opus ſpirituale pro temporali: v. g. do tibi decem aureos, ſi mihi, vel amico meo dederis ſacras reliquias. Excipe tamen, niſi ſpirituale ſit tale, pro quo ſtipendium dari poſſit, vel eleëmoſyna: ſic, ſi conſtitueretur certa pecunia pauperibus, ſi, vel ut certas preces fundant pro dante, non eſſet Simonia. Vide La Croix L. 3. P. 1. N. 163.

Dices. Si poſſi n dare temporale ſub onere, ut alius faciat ſpirituale in ſuam utilitatem; potero & dare licitè, ut id faciat in meam utilitatem; quia temporale non minùs poſſum licitè ordinare in meam, quàm alterius 472. *Objectiones ſolutæ.*

ſpiritualem utilitatem, v. g. ut abſolvat me à peccatis.

Reſp. Etſi id verum ſit, ſi detur temporale velut ſtipendium, imò & ſpeculativè verum eſſet, ſi daretur temporale merè gratis; attamen ſi titulus non adſit dandi temporale ſub onere, niſi pro ſpirituali in utilitatem dantis, nec temporale habere poſſit rationem ſtipendii, vel eleëmoſynæ, in praxi ordinariè erit Simonia; quia donatio, vel promiſſio non erit merè liberalis, tendens tantùm ad alliciendam alteriùs voluntatem: ſicut eſt liberalis merè, ſi Religioſi adoleſcentibus dent munuſcula, ut petant admitti ad religionem; aut hi dent religioſis, ut ſuî admiſſionem facilitent.

Dices 2. Si ſub pacto oneroſo abſoluto, & determinato permutetur, vel detur temporale, ut fiat ſpirituale, hocque non cedat in utilitatem permutantis, vel dantis, non intervenit emptio: ùt, ſi quis alat pauperem ſtudioſum in ſtudiis ſub pacto abſoluto; oneroſo, & determinato, eâ lege, ut fiat Religioſus, nullà intervenit emptio; cùm alens eum nihil accipiat erga alimenta: ergo nec erit Simonia. Itâ Sanch, contra Suar. apud La Croix L. 3. P. 1. N. 164. Reſp. Non intervenit emptio ſtrictè dicta, quâ pro merce datur pecunia C. emptio latiùs accepta, verè tamen talis N. A. & C. Ad emptionem ſufficit, quod emendum non ſit in poteſtate ementis, & per venditionem in ejus poteſtatem tranſeat. In caſu autem noſtro jus exigendi à ſtudioſo illo ingreſſum religionis ante non erat in ejus poteſtate, & per emptionem in eam tranſit, naſciturque in ſtudioſo obligatio ingrediendi religionem.

473. Ex dictis jam patet, meritò damnatam eſſe rela-

relatam propoſitionem 1mam : nam imprimis Præpoſitio *Pro* propriè non denotat donationem gratuitam. Deinde licèt dari poſſit temporale tanquam ſtipendium, eleëmoſyna, vel motivum extrinſecum ad impetrandum ſpirituale; in ſenſu tamen univerſali falſa eſt propoſitio, & in materia Beneficiorum, quando non adeſt aliud motivum dandi temporale, ſemper adeſt pactum ſaltem implicitum, & venditio virtualis, aut ſaltem ejus periculum proximum; ut proinde ob hoc lex naturæ exigat praxin illius univerſim prohiberi in materia Beneficiorum. Falſitas 2dæ Propoſitionis quoque patet : cùm enim ſe referat ad primam negativam, dicatque hoc locum habere, &c. eſt æquivalenter negativa univerſalis, negatque univerſim Simoniam eſſe, etſi temporale ſit principale motivum dandi &c. quod falſum eſſe patet ex dictis. *Falſitas propoſitionis utriuſq; damnatæ.*

QUÆSTIO VI.

Quibus præterea committatur Simonia in materia Beneficiorum?

Reſp. Omnis pactio utrimque oneroſa in materia Beneficiorum, facta authoritate propria, eſt prohibita intuitu religionis, & Simoniaca. Ità D. D. communiſſimè ex Cap. *Quæſitum. de rerum permut.* & Cap. *finali de pactis*, Cap. *Tua nos* 34. 474. *Omnis pactio utrimque oneroſa ſimoniaca eſt.*

Dixi 1mò *Pactio utrimque oneroſa* : nam promiſſio vacantis Beneficii gratuita Simoniaca non eſt. Dixi 2. *In materia Beneficiorum:* nam in aliis materiis ſpiritualibus pacta poſſe eſſe licita, dictum eſt ſupra. Dixi 3. *Facta* an-

authoritate propria : nam fieri poſſe authoritate Papæ dictum, ubi de Beneficiis actum eſt. Ratio autem prohibendi pacta utrimque oneroſa in materia Beneficiorum fuit; quia reverentia debetur Sacris. Cùm autem ob jus percipiendi temporalia, quod Beneficia ſecum ferunt, præſens eſſet periculum, ne Beneficia, ùt res profanæ tractarentur, & turpi lucro grande oſtium aperiretur per commercium circa illa, promoverentur per pecuniam indigni, neglectis dignis ſi pacta licerent: hinc Eccleſia ex motivo Religionis, ſeu reverentiæ rebus ſacris debitæ omne pactum oneroſum in materia beneficiali ſine conſenſu & authoritate legitimi Superioris prohibuit. Quod periculum cùm in aliis materiis non ità locum habeat; licent pactiones in iis, ut nempe ſpirituale cum ſpirituali permutetur.

475. *Permutatio patronatûs an ſimoniaca?* Hinc 1. Simonia eſt, ſine authoritate Papæ vel Epiſcopi beneficia permutare. An idem dicendum ſit, ſi permutaretur jus præſentandi cum alia re ſpirituali, vel cum alio jure præſentandi, ſine conſenſu Epiſcopi, non eſt eadem omnium ſententia. Affirmant Schmalzgruber, Pichler, & alii. Negat P. La Croix L. 4. n. 347. ubi ità habet: *Jus Patronatûs perſonale poteſt etiam propriâ authoritate permutari, etiam per ſe & ratione ſuî cum alia re ſpirituali; quia, exceptâ materiâ beneficiariâ, non prohibentur permutationes rerum ſpiritualium, ſecundùm dicta* L. 3. P. 1. n. 127. *Jus Patronatûs reale per accidens permutari poteſt cum re temporali, ſi res, cui adhæret, permutetur; tum enim acceſſoriè cum ea tranſit.* Azor, Caſtrop. Corr Leuren. Q. 66. *Nec ad hoc requiritur authoritas Epiſcopi. Si-*

ve

ve autem Jus Patronatûs ſit quid ſpirituale in ſe, ſive ſpirituali annexum, eſt tamen materia Simoniæ, nec ratione ſui vendi aut emi poteſt. Imò ſi perſonæ immediatè adhæreat, ſine conſenſu Epiſcopi non poteſt, etiam per donationem, tranſire ad Laicum, ſed tantùm ad perſonam ſacram vel locum pium. La Croix L. 3. P. 1. n. 73. Attamen juxta Raynaud. non eſſet Simonia, quia donatio eſſet libera.

2. Eſt Simonia, ſi duo pactum ineant, dicendo: Dabo tibi ſuffragium meum in hac electione, & tu mihi dabis tuum in illa. Vel: Tu elige meum nepotem ad hoc beneficium, & eligam tuum ad illud; vel: ùt tenet Mendo, ſi dicas: Hac vice eligam, quem tu malueris, & aliâ vice tu eliges, quem ego maluero; quia pactio eſt de ipſa promotione ad beneficium. Item ſi deſiderans votum Titii in electione, magnam ab eo pecuniæ ſummam accipias mutuò, ut te eligere cogatur, ne pecuniam mutuò dandam perdat; quia, niſi eligaris, futurus es impar ſolvendo: ſic enim pecuniæ reſtitutione & averſione damni emis ejus votum. *Simonia in electione.*

3. Simonia eſt, reſignare beneficia ſub reſervatione penſionis, ſub conditione, modo, onere, quæ fundationi non inſunt, niſi fiat cum conſenſu Superioris legitimi, ſecundùm dicta ſupra de Beneficiis. Dixi 1. *Reſignare*: nam reſignans tractare poteſt cum reſignatario de modo reſignationis ſub clauſula. *Si placuerit legitimo Superiori*; concludere tamen non licet abſolutè: nam prohibetur pactio firma, eaque tantùm: Cap. *Univerſorum. De rerum permutatione.* Dixi 2. *Quæ fundationi non inſunt*: utì ſi reſignares cum pacto etiam *In reſignatione*

 tacito,

tacito, ut reſignatarius tibi ſolveret debita; ut legeret pro te quot menſibus Miſſam, ut juret, quòd lecturus ſit Miſſas, quas fundatio requirit. Si fieret ſine pacto, cum ſpe tamen ſolutionis debitorum, vel ut fiat potens ſolvere debita, non foret Simonia reſignare beneficium; uti nec juxta Laym. ſi reſignatio aut collatio non fiat ſub pacto, ut juret, ſed antequam providendus ullum jus habeat, reſignans vel collator peteret juramentum, quòd velit præſtare, quæ fundatio exigit. Vide Leuren. P. 2. q. 770. Dixi 3. *Niſi fiat cum conſenſu Superioris legitimi*; nam ſi fieret ſub reſervatione placiti Apoſtolici, excluderetur Simonia, uti & ſi fiat ſub conditione coram Ordinario, quæ de jure ex fundatione vel ſtatuto ineſt, v. g. ſi ſub pacto reſidendi, ſi beneficium reſidentiam requirat. Cap. *Significâſti. De Elect.* aut ſub pacto, ut ſolvat penſionem, quâ beneficium juſtè gravatur. Secus ſi conditio de jure nec inſit, nec adjiciatur authoritate Apoſtolicâ; ſine hac enim beneficia conferenda ſunt ſine diminutione.

4. Simonia eſt, ſi tuum beneficium reſignes Titio, ut is reſignet ſuum tertio, aut cum confidentia acceſsûs vel regreſsûs, aut cum pacto, ut tibi refundantur expenſæ factæ pro beneficio obtinendo, v. g. pro lite, pro Bulla vel per ſtatuta ſolvendæ: expenſas enim feciſti pro te, & commodum, quod in alterum redundat, provenit immediatè ex beneficio: ſique expenſas, uti fieri ſolet, in pura reſignatione, reſignatarius ſolvat totas, id in pactum deduci non debet. Excuſat tamen à Simonia Azor & Pirrh. ſi coram Ordinario reſignetur ſub pacto, ut reſignatarius reſignanti refun-

dat

dat expenſas, factas pro ipſo beneficio, v. g. pro meliorandis agris, pro reparando jure proventuum, pro redemptione vexæ injuſtæ, ſaltem, ſi expenſas fecerit reſignans ex Patrimonialibus, & non ex ſuperfluis ſuſtentationi, provenientibus ex beneficio. *Ratio* illorum *eſt*; quia reſignans repetit, quod ſuum eſt, & adhuc velut ineſt beneficio, quodque illius hæredibus ſucceſſor teneretur refundere. *Excipe*, niſi reſignans expenſas fecerit in commodum ſuum, & ideo ex beneficio receperit fructus, ſuis expenſis reſpondentes.

5. Simonia eſt, ſi pro temporali, vel ſpirituali ſub pacto reſignes gratiam, quam habes, exſpectativam, aut ſub pacto, ut beneficium tibi reſignet, vel conferat; & tu magnam pecuniæ ſummam elargiaris pauperibus.

6, Simonia eſt, ſi des alteri pecuniam, vel aliud temporale, ut pro te intercedat apud Patronum vel Collatorem, quia paras tibi viam ad beneficium per pecuniam, hancque das pro interceſſione, quatenus ordinatur ad Beneficium obtinendum: ſicut ſi dares pecuniam Epiſcopo, ut ſe benevolum oſtendat in collatione beneficii, teque aliis æquè dignis præferat; quia, licèt videaris tantum emere affectum, reipſa tamen emeres beneficium: & quamvis Collator illud gratis conferret, tum tamen pretio acciperes. *Ob munus à lingua.*

7. Id quoque verum eſt, etſi dares pecuniam interceſſori mediato v. g. Cajo, ut intercedat pro te apud Epiſcopi familiarem, ut te hic apud eum commendet; quia adhuc per pecuniam acquireretur beneficium; ſecùs eſſet, ſi daretur non pro interceſſione, ſed pro expenſis, labore, moleſtiâ itineris; pro lucro ceſſante,

te, damno emergente, modò plus non detur, quàm illis titulis reſpondeat: aut ſi daretur pecunia pro habendo faciliori acceſſu ad Epiſcopum, aliumve Collatorem, aut Patronum, vel pro admiſſione in ejus familiam; ut ſic ei fieres gratus, & beneficium obtineres; vel, ut tibi ſignificetur ab aliquo primum beneficium vacans; quia datur pecunia pro temporali, & via per eam non ſternitur ad beneficium, niſi remotè & indirectè. La Croix n. 93. Idem eſt, ſi des pecuniam præcisè, ut quis tua merita apud Collatorem exponat; quia finis proximus non eſt beneficium; ſed acquiſitio bonæ æſtimationis. Hìc tamen cautelâ opus eſt, ne prava intentio interveniat, & intendatur interceſſio.

8. Simonia eſt, ſi nolis beneficium conferre Titio, niſi hic faciat, ut te roget Cajus, quem tibi cupis obligatum. Si tamen non imponeretur obligatio, Simonia non eſſet. Item Simonia foret, ſi dicente Titio: Conferam tibi beneficium, tu reponeres, & ego dabo tibi 100. aureos; quia firmares eum in promiſſione per pecuniam. La Croix n, 82.

9. Eſt Simonia, ſi certes cum Collatore pro 100. v. g. aureis, quod non tibi, ſed alteri ſit collaturus beneficium vacans; quia facis, ut ille pro pecunia, ex illa ſponſione lucrandâ, tibi conferat beneficium. Item, ſi Collator tecum ludat hoc pacto: Si viceris, dabo beneficium, ſi autem vicero, dabis mihi 100. quia pactum adeſt de dando beneficio pro pecunia. Aliud foret, ſi pactum eſſet: Si vicero, dabis mihi ſolidum; ſi tu viceris, dicam pro te Miſſam, quia ſtipendium pro Sacro dandum exponi poteſt erga ſolidum. At pro beneficio

ficio ſtipendium non poteſt dari. Lugo tamen dicit, id pactum periculoſum eſſe. La Croix L. 3. P. 1. n. 80. & L. 3. P. 2. n. 1096.

10. Eſt Simonia, ſi cum pacto, ne alter nocere pergat, beneficium conferas; quia carentia nocumenti eſt pretio æſtimabilis. Secùs, ſi ſine pacto, ſolùm rogando, ne nocere pergat. Item, ſi Cajo conferas beneficium cum pacto, ut tibi remittat debitum, vel debiti ſolutionem anticipet, vel, ut tibi liceat differre ſolutionem. Si des tua bona Eccleſiæ cum pacto, ut eligaris in Canonicum, aut ex illis fundetur Præbenda, quæ tibi conferatur; quia das temporale pro conſequendo ſpirituali. Potes tamen cum conſenſu Epiſcopi retinere tibi jus præficiendi Clericum Præbendæ inſtitutæ. Poteſt quoque quis ordinare ex juſta cauſa, ut aliquid de fructibus beneficii vacantis ſubtrahatur impendendum in pios uſus.

11. Eſt Simonia, pro admiſſione in poſſeſſionem beneficii ex pacto dare, vel recipere aliquid temporale, etiam convivium, patet ex Cap. *Jacobus. De Simonia*, & ex Trid. Seſſ. 24. Cap. 14. *De Reform.* ubi tamen id lege ſtatutum, vel conſuetudine eſt receptum, & hoc temporale applicatur ad pios uſus, nec exigitur priùs, quàm poſitum ſit ſpirituale, nec hoc negatur, etſi nihil detur, excuſari poteſt: cùm teſte Leſſio decretum Trid. paſſim non obſervetur; toleraturque conſuetudo ab Epiſcopis in Germania, ubi recepta non eſt Conſtitutio Innoc. XII. quam refert La Croix L. 4. n. 671. Vide eundem L. 3. P. 1. n. 87. Sic & excuſatur conſuetudo in multis Germaniæ locis vigens, ut ſinguli, qui adeunt poſſeſſionem beneficii, procurent librum in uſum Bibliothecæ

tus veniant hîc nomine beneficiorum, dubium eſt. Affirmant Suar. Sanch. & alii, adeoque eſſe materiam Simoniæ, etiam in ordine ad incurrendas pœnas. Negant probabiliter alii, eò quòd non ſint Beneficia Eccleſiaſtica propriè dicta, ideoque nec dicantur ſimpliciter beneficia, proinde nec eſſe materiam Simoniæ Juris Eccleſiaſtici. Quare juxta hos non eſt Simonia dicere: Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem. Emere tamen talia non licet, ſicut nec penſionem Eccleſiaſticam, licèt beneficium non ſit an redimere liceat jam conſtitutam, vide n. 418. Præſtimonium eſſe propriè beneficium, alii affirmant, alii negant. V. dicta n. 417.

QUÆSTIO VII.

Quibus caſibus liceat redimere vexam, Patrono Hæretico dare pecuniam, aut tranſigere in materia Beneficiali?

477. *Licet redemptio vexa injuſta in jure plenè acquiſita.* Reſp. 1. Non eſt Simonia, nec illicitum, pretio, vel alio aliquo temporali redimere vexam injuſtam citra jus jam plenè in beneficio acquiſitum, & firmum: ſecùs ſi in materia illius agatur de jure quærendo, vexâque procedat ab iis, qui prodeſſe ſeu jus conferre completum poſſunt, & detur illis temporale, ut à vexa deſiſtant. *Ratio prima partis eſt*; quia tunc non datur temporale pro re, vel jure ſpirituali, cùm hoc jam plenè poſſideatur; ſed pro tollenda injuria. *Ratio 2da partis eſt*, quia in eo caſu redimens vexam cenſetur virtualiter emere ſpirituale, & directè parare ſibi viam

viam ad beneficium per pecuniam, quod Eccleſia prohibuit. Si tamen vexa proveniret ab iis, qui jus concedere non poſſunt v. g. eligendo, præſentando, inſtituendo, Simonia non eſſet vexam redimere; quia ſic directè tantùm intenderet quis avertere injuriam, cujus omiſſio eſt aliquid temporale. Unde nec ceſſans ab ea eſſet ſimoniacus; injuſtus tamen admittendo pecuniam. Et idem eſt, ſi te vexans juvare quidem poſſet, ſed vexaret te aliter, quàm abutendo poteſtate, quam habet v. g. ad eligendum; uti ſi te infamaret, aut injuſtè à te averteret electores Patronos: hanc enim vexam poſſes pretio redimere; quia tum non vexaret, ùt potens juvare, ſed ùt alius, qui tantùm obeſſe poteſt. *Ex his reſolves.*

1. Simonia eſt, redimere pretio temporali vexam juſtam circa jus ſpirituale jam in re obtentum, ubi agitur de eo ob delictum auferendo; quia tum jus non eſt firmum, ſed auferibile, adeoque firmaretur illud pecuniâ. 478. *Corollaria.*

2. Si obtinueris jus ſpirituale per indubitatam inſtitutionem & impediaris injuſtè à capienda poſſeſſione, licitè redimis vexam pecuniâ; quia poſſeſſio, utpote ſita in aliquo facto merè temporali, non eſt ſpiritualis, niſi ratione tituli, ſeu juris, cui annexa eſt. Proin pecunia tantùm daretur pro tollendo impedimento poſſeſſionis, quæ illi titulo jam acquiſito debita eſt, ſicut ſi haberes jus decimandi acquiſitum, poſſes dare pretium pro obtinendis actu decimis, ut ſic in actum temporalem poſſeſſionis venires, niſi id ſpecialiter Eccleſia vetuiſſet, ne detur occaſio injuſtitiæ.

3. Si necdum jus certum habes, ùt, ſi alius ſimul haberet probabile, & is eſſet etiam inſti-

ſtitutus, aut collationem haberet; vel ſi in dubio hoc tantùm ſis præſentatus, eſt Simonia vexam redimere pecuniâ; quia per eam comparares tibi jus certum & firmum.

4. Si quis ſine rationabili cauſa precibus, vel muneribus inducat electorem, vel Patronum, ut non tibi, ſed alteri faveat, licitè vexam redimis pecuniâ à vexante; quia licèt illa actio non ſit injuria, attamen repugnat charitati. Idem eſt, ſi alter injuſtè vellet ferre cenſuram, vel ab hac non abſolvere; quia pecuniam non dares pro actu poteſtatis, ſed libertate à vexa ſub onere non ligandi vel abſolvendi, ad quod jus habes, & licèt iſte juvare poſſit, non juvat ad novum jus.

5. Si detur ſpirituale v. g. beneficium ſub pacto, ne ille, cui datur, dein vexet, vel noceat, eſt Simonia, etſi alter injuſtè vexaret; quia daretur ſpirituale pro temporali. Secus ſi dares, ut eum placares ſine pacto. Suarez tenet, non fore Simoniam, ſi in præſenti dares beneficium alteri, ne te occidat; quia ab eo nihil acciperes, quod antè jure tuo non habueris. Vide La Croix n. 83. & 138. Licitum quoque eſt alteri v. g. Secretario Epiſcopi, ut tollat infamiam, quæ apud Epiſcopum injuſtè tibi cauſata eſt, dare pecuniam.

479. *De Patrono Hæretico.* Reſp. 2. Eſt Simonia, dare pecuniam Patrono Hæretico, ut te ad beneficium Eccleſiaſticum præſentet. Ità communior & probabilior contra aliquos, qui ex Covarr. & Henriquez ſententia, Jus Patronatûs non eſſe penes Hæreticos, inferunt, non eſſe Simoniam Hæretico, putatitio Patrono, dare pecuniam, eò quòd non detur illi pro re ſpirituali, in quam nulla eſt ei poteſtas, ſed pro nihilo, &

qui-

quidem tali, qui juvare non poteſt. Sed ratio noſtra eſt, imprimis communior & probabilior tribuit Hæreticis, non denunciatis publicè, Jus Patronatûs; ergo ex eo capite non excuſaris; deinde pecuniâ emis jus ad beneficium, & conſequenter beneficium. Quod repugnat juri naturæ & juſtitiæ. Unde ſuadet Leſſius, ut collatio petatur à Papa, qui jus illud ab ipſo pro illa vice tollere poteſt, & tibi conferre, & inſuper diſpenſare, ut cum eò agas ſuper fructibus.

Dixi: *Ut te præſentet*: nam licitè potes redimere vexam Eccleſiæ, ut, ſi Hæreticus vellet conferre beneficium Acatholico, aut Catholico indigno, aut ſibi reſervare; dare poſſes ei pecuniam, & redimere illam vexam Eccleſiæ, quæ injuſtè vexatur, & habet jus acquiſitum ad illud beneficium. Et quamvis non poſſis obligare Hæreticum ad conferendum tibi beneficium, nec dare eum in finem pecuniam; potes tamen dare, ut conferat digno cuicunque, & quia tu æquè jus habes petendi illud beneficium, ac alii; potes illud, vexâ ſublatâ, petere non pro pecunia; ſed gratis dandum. Si tamen ſine damnoſa dilatione teneatur alteri conferre digno, non licet pecuniam offerre, nec ſi unus vexam redemerit, licet alteri plus Hæretico offerre; quia vexa Eccleſiæ jam ſublata eſſet per primum. 480.
Vide La Croix à n. 138.

In lite ſuper beneficio non licet tranſigere authoritate propriâ.

Reſp. 3. In lite ſuper beneficiis non poſſunt quidem Partes authoritate propriâ tranſigere; quia omnis pactio ſuper beneficiis prohibita eſt; poteſt tamen fieri compoſitio per Judicem ordinarium, vel delegatum, aut etiam arbitros Eccleſiaſticos, à Superiore deputatos, vel juxta Viva q. 9, a 4. n. 5. etiam à litigantibus electos,

ctos, qui accedente Partium conſenſu & compromiſſo, adjudicent beneficium illi, cujus jus eſt probabilius; eique imponant pendendam alteri certam pecuniam, vel aliud temporale, non in compenſationem juris, ſed ob bonum temporale pacis, & ut à lite, in temporalibus noxiâ, recedatur. Cap. *Non ſine* 2. *De Arbitris.* Poteſt etiam imponi penſio annua in certa quantitate, non beneficio, ſed beneficiato, & ad hujus tantùm vitam. Cap. 12. *De Præbendis.* Et *Ratio eſt*; quia, ſic compoſitio fiat à Superiore, non præſumitur dari temporale pro ſpirituali, ſed intendi ſolum bonum pacis & concordiæ; ſi verò fieret authoritate propriâ, cenſetur dari temporale pro ſpirituali ob utilitatem Partium contrahentium. Unde, licèt volentes permutare beneficia poſſint paciſci de modo ſub conditione, ſi Superior approbet; non poſſunt tamen litigantes propriâ authoritate compoſitionem facere etiam ſub conditione, ſi approbetur à Superiore, quia hic ſpecialis lex obſtat.

Secùs de aliis. Dixi: *In lite ſuper Beneficiis*; quia univerſaliter licent pactiones & tranſactiones, propriâ authoritate factæ in aliis materiis: ùt, ſi contentio ſit de jure ſpirituali inter Epiſcopos, vel alios; poſſet fieri tranſactio, ut alternatim viſitent, præſentent, eligant. Item, ut unus juriſdictionem, alter proviſionem beneficiorum habeat. La Croix L. 3. P. 1. n. 114. Suar. L. 4. Cap. 51. n. 8.

Dices: Cap. *Quæſitum* dicitur: *Pactio circa ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa labem ſemper continet Simoniæ.* Reſp. Ibi ſermo eſt de Præbendis, non de aliis. Tranſactio, & permutatio jurium ad illas fieri non poteſt ſine au-

authoritate Papæ. Vide La Croix L. 4. à num. 1085.

QUÆSTIO VIII.

An Simonia etiam Juſtitiæ repugnet, excuſarique poſſit per conſuetudinem : & quid in dubio de ea?

Reſp. 1. Simonia, quâ venditur ſpirituale pro temporali, repugnat non tantum Religioni, ſed etiam Juſtitiæ : uti ſi Parochus venderet Sacramenta, Confeſſarius pro abſolutione à peccatis admitteret temporale, tanquam pretium, aut Collator venderet Beneficium Eccleſiaſticum, aut Prælatus Eccleſiæ ſuæ Reliquias. *Ratio eſt*; quia dans temporale, ut ſuppono, non intendit dare gratìs; hoc verò recipiens nihil dat viciſſim de ſuo, quod ſit pretio æſtimabile : res enim ſpiritualis eſt ſupra, & extra omne pretium temporale, voluitque Chriſtus, ut gratìs dentur ſpiritualia. Quare contractus ille eſt jure naturæ invalidus, & intendens vendere ſpirituale, nullum habet titulum recipiendi temporale pro ſpirituali, quà tali, teneturque ad reſtitutionem. Quod ſi vendens ſpiritale privaret ſe temporali, v. g. quod afferret expoſitio Reliquiæ ſacræ; non eſſet quidem injuſtitia, pro temporali illo admittere pretium, vendere tamen Reliquiam, eſſet contra Religionem. In materia autem beneficiali nihil licet accipere ratione emolumenti temporalis, quo quis ſe privat. Dixi *contractus eſt jure naturæ irritus* : Non traditio, & executio ſpiritualis effectum habere poteſt ſecundùm dicenda. 488. *Etiam juſtitiæ.*

tacito, ut reſignatarius tibi ſolveret debita; ut legeret pro te quot menſibus Miſſam, ut juret, quòd lecturus ſit Miſſas, quas fundatio requirit. Si fieret ſine pacto, cum ſpe tamen ſolutionis debitorum, vel ut fiat potens ſolvere debita, non foret Simonia reſignare beneficium; utì nec juxta Laym. ſi reſignatio aut collatio non fiat ſub pacto, ut juret, ſed antequam providendus ullum jus habeat, reſignans vel collator peteret juramentum, quòd velit præſtare, quæ fundatio exigit. Vide Leuren. P. 2. q. 770. Dixi 3. *Niſi fiat cum conſenſu Superioris legitimi*; nam ſi fieret ſub reſervatione placiti Apoſtolici, excluderetur Simonia, uti & ſi fiat ſub conditione coram Ordinario, quæ de jure ex fundatione vel ſtatuto ineſt, v. g. ſi ſub pacto reſidendi, ſi beneficium reſidentiam requirat. Cap. *Significâſti. De Elect.* aut ſub pacto, ut ſolvat penſionem, quâ beneficium juſtè gravatur. Secus ſi conditio de jure nec inſit, nec adjiciatur authoritate Apoſtolicâ; ſine hac enim beneficia conferenda ſunt ſine diminutione.

4. Simonia eſt, ſi tuum beneficium reſignes Titio, ut is reſignet ſuum tertio, aut cum confidentia acceſsûs vel regreſsûs, aut cum pacto, ut tibi refundantur expenſæ factæ pro beneficio obtinendo, v. g. pro lite, pro Bulla vel per ſtatuta ſolvendæ: expenſas enim feciſti pro te, & commodum, quod in alterum redundat, provenit immediatè ex beneficio: ſique expenſas, uti fieri ſolet, in pura reſignatione, reſignatarius ſolvat totas, id in pactum deduci non debet. Excuſat tamen à Simonia Azor & Pirrh. ſi coram Ordinario reſignetur ſub pacto, ut reſignatarius reſignanti refun-

dat

dat expenſas, factas pro ipſo beneficio, v. g. pro meliorandis agris, pro reparando jure proventuum, pro redemptione vexæ injuſtæ, ſaltem, ſi expenſas fecerit reſignans ex Patrimonialibus, & non ex ſuperfluis ſuſtentationi, provenientibus ex beneficio. *Ratio* illorum *eſt*; quia reſignans repetit, quod ſuum eſt, & adhuc velut ineſt beneficio, quodque illius hæredibus ſucceſſor teneretur refundere. *Excipe*, niſi reſignans expenſas fecerit in commodum ſuum, & ideo ex beneficio receperit fructus, ſuis expenſis reſpondentes.

5. Simonia eſt, ſi pro temporali, vel ſpirituali ſub pacto reſignes gratiam, quam habes, exſpectativam, aut ſub pacto, ut beneficium tibi reſignet, vel conferat; & tu magnam pecuniæ ſummam elargiaris pauperibus.

Ob munus à lingua.

6. Simonia eſt, ſi des alteri pecuniam, vel aliud temporale, ut pro te intercedat apud Patronum vel Collatorem, quia paras tibi viam ad beneficium per pecuniam, hanceque das pro interceſſione, quatenus ordinatur ad Beneficium obtinendum: ſicut ſi dares pecuniam Epiſcopo, ut ſe benevolum oſtendat in collatione beneficii, teque aliis æquè dignis præferat; quia, licèt videaris tantum emere affectum, reipſa tamen emeres beneficium: & quamvis Collator illud gratis conferret, tum tamen pretio acciperes.

7. Id quoque verum eſt, etſi dares pecuniam interceſſori mediato v. g. Cajo, ut intercedat pro te apud Epiſcopi familiarem, ut te hic apud eum commendet; quia adhuc per pecuniam acquireretur beneficium; ſecùs eſſet, ſi daretur non pro interceſſione, ſed pro expenſis, labore, moleſtiâ itineris; pro lucro ceſſante,

te, damno emergente, modò plus non detur, quàm illis titulis reſpondeat: aut ſi daretur pecunia pro habendo faciliori acceſſu ad Epiſcopum, aliumve Collatorem, aut Patronum, vel pro admiſſione in ejus familiam; ut ſic ei fieres gratus, & beneficium obtineres; vel, ut tibi ſignificetur ab aliquo primum beneficium vacans; quia datur pecunia pro temporali, & via per eam non ſternitur ad beneficium, niſi remotè & indirectè. La Croix n. 93. Idem eſt, ſi des pecuniam præcisè, ut quis tua merita apud Collatorem exponat; quia finis proximus non eſt beneficium; ſed acquiſitio bonæ æſtimationis. Hîc tamen cautelâ opus eſt, ne prava intentio interveniat, & intendatur interceſſio.

8. Simonia eſt, ſi nolis beneficium conferre Titio, niſi hic faciat, ut te roget Cajus, quem tibi cupis obligatum. Si tamen non imponeretur obligatio, Simonia non eſſet. Item Simonia foret, ſi dicente Titio: Conferam tibi beneficium, tu reponeres, & ego dabo tibi 100. aureos; quia firmares eum in promiſſione per pecuniam. La Croix n, 82.

9. Eſt Simonia, ſi certes cum Collatore pro 100. v. g. aureis, quod non tibi, ſed alteri ſit collaturus beneficium vacans; quia facis, ut ille pro pecunia, ex illa ſponſione lucrandâ, tibi conferat beneficium. Item, ſi Collator tecum ludat hoc pacto: Si viceris, dabo beneficium, ſi autem vicero, dabis mihi 100. quia pactum adeſt de dando beneficio pro pecunia. Aliud foret, ſi pactum eſſet: Si vicero, dabis mihi ſolidum; ſi tu viceris, dicam pro te Miſſam, quia ſtipendium pro Sacro dandum exponi poteſt erga ſolidum. At pro beneficio

ficio ſtipendium non poteſt dari. Lugo tamen dicit, id pactum periculoſum eſſe. La Croix L. 3. P. 1. n. 80. & L. 3. P. 2. n. 1096.

10. Eſt Simonia, ſi cum pacto, ne alter nocere pergat, beneficium conferas; quia carentia nocumenti eſt pretio æſtimabilis. Secùs, ſi ſine pacto, ſolùm rogando, ne nocere pergat. Item, ſi Cajo conferas beneficium cum pacto, ut tibi remittat debitum, vel debiti ſolutionem anticipet, vel, ut tibi liceat differre ſolutionem. Si des tua bona Eccleſiæ cum pacto, ut eligaris in Canonicum, aut ex illis fundetur Præbenda, quæ tibi conferatur; quia das temporale pro conſequendo ſpirituali. Potes tamen cum conſenſu Epiſcopi retinere tibi jus præficiendi Clericum Præbendæ inſtitutæ. Poteſt quoque, quis ordinare ex juſta cauſa, ut aliquid de fructibus beneficii vacantis ſubtrahatur impendendum in pios uſus.

11. Eſt Simonia, pro admiſſione in poſſeſſionem beneficii ex pacto dare, vel recipere aliquid temporale, etiam convivium, patet ex Cap. *Jacobus. De Simonia*, & ex Trid. Seſſ. 24. Cap. 14. *De Reform.* ubi tamen id lege ſtatutum, vel conſuetudine eſt receptum, & hoc temporale applicatur ad pios uſus, nec exigitur priùs, quàm poſitum ſit ſpirituale, nec hoc negatur, etſi nihil detur, excuſari poteſt: cùm teſte Leſſio decretum Trid. paſſim non obſervetur; toleraturque conſuetudo ab Epiſcopis in Germania, ubi recepta non eſt Conſtitutio Innoc. XII. quam refert La Croix L. 4. n. 671. Vide eundem L. 3. P. 1. n. 87. Sic & excuſatur conſuetudo in multis Germaniæ locis vigens, ut ſinguli, qui adeunt poſſeſſionem beneficii, procurent librum in uſum Bib-

liothecæ communis: quia is non datur in compenſationem beneficii; ſed ut Bibliotheca conſervetur, & augeatur in uſum etiam neo-Beneficiati, qui & uti poterit libris, ab aliis coemptis. Si Senatus ſæcularis, habens jus præſentandi, ſtatuat, ut præſentandus ſingulis de Senatu det aliquid pecuniæ, putat quidem Burghaber Cent. 1. Caſu 82. excuſari poſſe, cò quòd debeant eo die convenire, ſua domi negligere; meritò tamen id non commendat, quia acceptans jus præſentandi, ſuſcipit obligationem id gratìs exequendi, uti Eccleſia mandat. Sic nec commendatur, ſi Capitulum ab illo, qui promovetur ad beneficium, petat aliquid propter moleſtias Congregationum, lecturam literarum; quia tenentur Capitulares ea præſtare gratìs.

476. *Excluſa à ratione beneficii Eccleſiaſtici.* *Nota.* Nomine Beneficii Eccleſiaſtici hîc non veniunt 1. Commendæ Equitum Hieroſolymitanorum, quia dantur tantùm titulo Laico, & pro militiæ ſæcularis miniſterio; & quamvis non dentur niſi profeſſis; Profeſſio tamen eſt tantùm conditio. Ità Theologi communiter cum multis Canoniſtis contra aliquos. Hinc juxta Dianam & alios non ſunt materia Simoniæ, quia, licèt ordinentur ad cultum divinum, habent tamen pro fine ulteriore militiam. Idem docet Suar de Commendis Melitenſium, quia non dantùr pro ſervitiis ſpiritualibus. Injuſtè tamen facerent Magiſtri Ordinum, ſi eas venderent; quia ſunt tantùm diſpenſatores Papæ ſubordinati. Poſſunt conferri cum onere exhibendi munus temporale, v. g. eundi in Africam, ſolvendi penſionem pro neceſſitate. 2. Præbendæ Canoniſſarum ſæcularium ſecundùm dicta n. 415.

Eſſe

Eſſe tamen has materiam Simoniæ, declaráſſe dicitur Sacra Congregatio apud La Croix L. 3. P. 1. n. 105. Verùm, quamvis hoc Leurenius, & alii admittant de Canoniſſis, quarum fundatio primitùs fuit Monialium, necdumque per præſcriptionem eſt ſæcularizata; negant tamen de aliis fundatis v. g. à parentibus nobilibus pro educatione puellarum; quia hæ non cenſentur ab Eccleſia erectæ, aut poſitivè approbatæ tanquam Præbendæ ſpirituales. Vide La Croix L. 4. à n. 229. 3. Capellaniæ & Hoſpitalia authoritate Epiſcopi non erecta. Unde inquit La Croix L. 3. P. 1. n. 106. non ſunt materia Simoniæ; quia non ſunt bona Eccleſiaſtica; ſecùs ſi eſſent authoritate Epiſcopi erecta, & Hoſpitale haberet adminiſtrationem ſpiritualem. 4. Officia Eccleſiæ temporalia v. g. Procuratoris rerum temporalium, Advocati, Syndici, Judicis in locis, ubi habent juriſdictionem temporalem; Oeconomi ſeu Diſpenſatoris, Sacriſtæ, vel Cuſtodis, in ſe enim nihil ſpirituale habent: unde ſi etiam per Laicos exerceri ſoleant, non ſunt materia Simoniæ; ſi autem per Clericos exerceri ſolent, venditio illorum eſt Prohibita Jure Eccleſiaſtico, ùt ſimoniaca; functiones tamen illorum officiorum vendi nullo jure prohibentur, cùm ſint merè temporales. Suar. apud La Croix n. 107. 5. Coadjutoriæ beneficiorum, ſeu facultates conceſſæ à Pontifice exercendi munus principalis cujus coadjutor eſt quaſi Vicarius in officio ſpirituali. 6. Vicariatus Epiſcopi, qui tamen eſt quid ſpirituale. Idem eſt de Officialatu, qui continet partem contentioſam Juriſdictionis Epiſcopalis. An officia Regularium v. g. Provincialatus, Prioratus, Rectora-

tus veniant hîc nomine beneficiorum, dubium eſt. Affirmant Suar. Sanch. & alii, adeoque eſſe materiam Simoniæ, etiam in ordine ad incurrendas pœnas. Negant probabiliter alii, eò quòd non ſint Beneficia Eccleſiaſtica propriè dicta, ideoque nec dicantur ſimpliciter beneficia, proinde nec eſſe materiam Simoniæ Juris Eccleſiaſtici. Quare juxta hos non eſt Simonia dicere: Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem. Emere tamen talia non licet, ſicut nec penſionem Eccleſiaſticam, licèt beneficium non ſit an redimere liceat jam conſtitutam, vide n. 418. Præſtimonium eſſe propriè beneficium, alii affirmant, alii negant. V. dicta n. 417.

QUÆSTIO VII.

Quibus caſibus liceat redimere vexam, Patrono Hæretico dare pecuniam, aut tranſigere in materia Beneficiali?

477. *Licet redemptio vexæ injuſtæ in jure plenè acquiſita.*

Reſp. 1. Non eſt Simonia, nec illicitum, pretio, vel alio aliquo temporali redimere vexam injuſtam citra jus jam plenè in beneficio acquiſitum, & firmum: ſecùs ſi in materia illius agatur de jure quærendo, vexâque procedat ab iis, qui prodeſſe ſeu jus conferre completum poſſunt, & detur illis temporale, ut à vexa deſiſtant. *Ratio primæ partis eſt*; quia tunc non datur temporale pro re, vel jure ſpirituali, cùm hoc jam plenè poſſideatur; ſed pro tollenda injuria. *Ratio 2dæ partis eſt*, quia in eo caſu redimens vexam cenſetur virtualiter emere ſpirituale, & directè parare ſibi viam

viam ad beneficium per pecuniam, quod Eccleſia prohibuit. Si tamen vexa proveniret ab iis, qui jus concedere non poſſunt v.g. eligendo, præſentando, inſtituendo, Simonia non eſſet vexam redimere; quia ſic directè tantùm intenderet quis avertere injuriam, cujus omiſſio eſt aliquid temporale. Unde nec ceſſans ab ea eſſet ſimoniacus; injuſtus tamen admittendo pecuniam. Et idem eſt, ſi te vexans juvare quidem poſſet, ſed vexaret te aliter, quàm abutendo poteſtate, quam habet v. g. ad eligendum; utì ſi te infamaret, aut injuſtè à te averteret electores Patronos: hanc enim vexam poſſes pretio redimere; quia tum non vexaret, ùt potens juvare, ſed ùt alius, qui tantùm obeſſe poteſt. *Ex his reſolves.*

1. Simonia eſt, redimere pretio temporali vexam juſtam circa jus ſpirituale jam in re obtentum, ubi agitur de eo ob delictum auferendo; quia tum jus non eſt firmum, ſed auferibile, adeoque firmaretur illud pecuniâ. 478. *Corollaria.*

2. Si obtinueris jus ſpirituale per indubitatam inſtitutionem & impediaris injuſtè à capienda poſſeſſione, licitè redimis vexam pecuniâ; quia poſſeſſio, utpote ſita in aliquo facto merè temporali, non eſt ſpiritualis, niſi ratione tituli, ſeu juris, cui annexa eſt. Proin pecunia tantùm daretur pro tollendo impedimento poſſeſſionis, quæ illi titulo jam acquiſito debita eſt, ſicut ſi haberes jus decimandi acquiſitum, poſſes dare pretium pro obtinendis actu decimis, ut ſic in actum temporalem poſſeſſionis venires, niſi id ſpecialiter Eccleſia vetuiſſet, ne detur occaſio injuſtitiæ.

3. Si necdum jus certum habes, ùt, ſi alius ſimul haberet probabile, & is eſſet etiam inſti-

ſtitutus, aut collationem haberet; vel ſi in dubio hoc tantùm ſis præſentatus, eſt Simonia vexam redimere pecuniâ; quia per eam comparares tibi jus certum & firmum.

4. Si quis ſine rationabili cauſa precibus, vel muneribus inducat electorem, vel Patronum, ut non tibi, ſed alteri faveat, licitè vexam redimis pecuniâ à vexante; quia licèt illa actio non ſit injuria, attamen repugnat charitati. Idem eſt, ſi alter injuſtè vellet ferre cenſuram, vel ab hac non abſolvere; quia pecuniam non dares pro actu poteſtatis, ſed libertate à vexa ſub onere non ligandi vel abſolvendi, ad quod jus habes, & licèt iſte juvare poſſit, non juvat ad novum jus.

5. Si detur ſpirituale v. g. beneficium ſub pacto, ne ille, cui datur, dein vexet, vel noceat, eſt Simonia, etſi alter injuſtè vexaret; quia daretur ſpirituale pro temporali. Secus ſi dares, ut eum placares ſine pacto. Suarez tenet, non fore Simoniam, ſi in præſenti dares beneficium alteri, ne te occidat; quia ab eo nihil acciperes, quod antè jure tuo non habueris. Vide La Croix n. 83. & 138. Licitum quoque eſt alteri v. g. Secretario Epiſcopi, ut tollat infamiam, quæ apud Epiſcopum injuſtè tibi cauſata eſt, dare pecuniam.

479. *De Patrono Hæretico.* Reſp. 2. Eſt Simonia, dare pecuniam Patrono Hæretico, ut te ad beneficium Eccleſiaſticum præſentet. Ità communior & probabilior contra aliquos, qui ex Covarr. & Henriquez ſententia, Jus Patronatûs non eſſe penes Hæreticos, inferunt, non eſſe Simoniam Hæretico, putatitio Patrono, dare pecuniam, eò quòd non detur illi pro re ſpirituali, in quam nulla eſt ei poteſtas, ſed pro nihilo, & qui-

quidem tali, qui juvare non poteſt. Sed ratio noſtra eſt, imprimis communior & probabilior tribuit Hæreticis, non denuntiatis publicè, Jus Patronatûs; ergo ex eo capite non excuſaris; deinde pecuniâ emis jus ad beneficium, & conſequenter beneficium. Quod repugnat juri naturæ & juſtitiæ. Unde ſuadet Leſſius, ut collatio petatur à Papa, qui jus illud ab ipſo pro illa vice tollere poteſt, & tibi conferre, & inſuper diſpenſare, ut cum eò agas ſuper fructibus.

Dixi: *Ut te præſentet*: nam licitè potes redimere vexam Eccleſiæ, ut, ſi Hæreticus vellet conferre beneficium Acatholico, aut Catholico indigno, aut ſibi reſervare; dare poſſes ei pecuniam, & redimere illam vexam Eccleſiæ, quæ injuſtè vexatur, & habet jus acquiſitum ad illud beneficium. Et quamvis non poſſis obligare Hæreticum ad conferendum tibi beneficium, nec dare eum in finem pecuniam; potes tamen dare, ut conferat digno cuicunque, & quia tu æquè jus habes petendi illud beneficium, ac alii; potes illud, vexâ ſublatâ, petere non prò pecunia; ſed gratis dandum. Si tamen ſine damnoſa dilatione teneatur alteri conferre digno, non licet pecuniam offerre, nec ſi unus vexam redemerit, licet alteri plus Hæretico offerre; quia vexa Eccleſiæ jam ſublata eſſet per primum, Vide La Croix à n. 138. 480.

In lite ſuper beneficio non licet tranſigere authoritate propriâ.

Reſp. 3. In lite ſuper beneficiis non poſſunt quidem Partes authoritate propriâ tranſigere; quia omnis pactio ſuper beneficiis prohibita eſt; poteſt tamen fieri compoſitio per Judicem ordinarium, vel delegatum, aut etiam arbitros Eccleſiaſticos, à Superiore deputatos, vel juxta Viva q. 9, a 4. n. 5. etiam à litigantibus electos,

ctos, qui accedente Partium conſenſu & compromiſſo, adjudicent beneficium illi, cujus jus eſt probabilius; eique imponant pendendam alteri certam pecuniam, vel aliud temporale, non in compenſationem juris, ſed ob bonum temporale pacis, & ut à lite, in temporalibus noxiâ, recedatur. Cap. *Non ſine* 2. *De Arbitris.* Poteſt etiam imponi penſio annua in certa quantitate, non beneficio, ſed beneficiato, & ad hujus tantùm vitam. Cap. 12. *De Præbendis.* Et *Ratio eſt*; quia, ſic compoſitio fiat à Superiore, non præſumitur dari temporale pro ſpirituali, ſed intendi ſolum bonum pacis & concordiæ; ſi verò fieret authoritate propriâ, cenſetur dari temporale pro ſpirituali ob utilitatem Partium contrahentium. Unde, licèt volentes permutare beneficia poſſint paciſci de modo ſub conditione, ſi Superior approbet; non poſſunt tamen litigantes propriâ authoritate compoſitionem facere etiam ſub conditione, ſi approbetur à Superiore, quia hic ſpecialis lex obſtat.

Secùs de aliis. Dixi: *In lite ſuper Beneficiis*; quia univerſaliter licent pactiones & tranſactiones, propriâ authoritate factæ in aliis materiis: ùt, ſi contentio ſit de jure ſpirituali inter Epiſcopos, vel alios; poſſet fieri tranſactio, ut alternatim viſitent, præſentent, eligant. Item, ut unus jurisdictionem, alter proviſionem beneficiorum habeat. La Croix L. 3. P. 1. n. 114. Suar. L. 4. Cap. 51. n. 8.

Dices: Cap. *Quæſitum* dicitur: *Pactio circa ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa labem ſemper continet Simoniæ.* Reſp. Ibi ſermo eſt de Præbendis, non de aliis. Tranſactio, & permutatio jurium ad illas fieri non poteſt ſine

au-

authoritate Papæ. Vide La Croix L. 4. à num. 1085.

QUÆSTIO VIII.

An Simonia etiam Juſtitiæ repugnet, excuſarique poſſit per conſuetudinem: & quid in dubio de ea?

Reſp. 1. Simonia, quâ venditur ſpirituale pro temporali, repugnat non tantum Religioni, ſed etiam Juſtitiæ: uti ſi Parochus venderet Sacramenta, Confeſſarius pro abſolutione à peccatis admitteret temporale, tanquam pretium, aut Collator venderet Beneficium Eccleſiaſticum, aut Prælatus Eccleſiæ ſuæ Reliquias. *Ratio eſt*; quia dans temporale, ut ſuppono, non intendit dare gratis; hoc verò recipiens nihil dat viciſſim de ſuo, quod ſit pretio æſtimabile: res enim ſpiritualis eſt ſupra, & extra omne pretium temporale, voluitque Chriſtus, ut gratis dentur ſpiritualia. Quare contractus ille eſt jure naturæ invalidus, & intendens vendere ſpirituale, nullum habet titulum recipiendi temporale pro ſpirituali, quà tali, teneturque ad reſtitutionem. Quod ſi vendens ſpirituale, privaret ſe temporali, v. g. quod afferret expoſitio Reliquiæ ſacræ; non eſſet quidem injuſtitia, pro temporali illo admittere pretium, vendere tamen Reliquiam, eſſet contra Religionem. In materia autem beneficiali nihil licet accipere ratione emolumenti temporalis, quo quis ſe privat. Dixi *contractus eſt jure naturæ irritus*: Non traditio, & executio ſpiritualis effectum habere poteſt ſecundùm dicenda.

481. *Etiam juſtitiæ.*

482. *Quando conſuetudo excuſet à Simonia* Reſp. 2. Nulla conſuetudo excuſare poteſt à Simonia juris naturæ, poteſt tamen excuſare à Simonia juris tantùm Eccleſiaſtici. *Ratio eſt*; quia conſuetudo non poteſt abrogare legem naturalem; poſitivam autem humanam abrogare, aut ei derogare poteſt, ſi habeat conditiones ad præſcribendum requiſitas, duraritque in præſenti materia ſaltem per decennium. Ex hac conſuetudine licitè exigitur ſtipendium pro benedictione nuptiarum, exequiis, adminiſtratione Sacramentorum: licèt hoc Cap. *Non ſatis*. 8. Cap. *Cùm Eccleſia*. 9. Cap. *In tantum*, & aliis ſæpe prohibeatur, & reprobentur omnes conſuetudines pro iis aliquid accipiendi: nam nova conſuetudo iterum prævaluit, conniventibus Superioribus Eccleſiaſticis. Caveant tamen, ùt ſupra monui, Parochi ne ob denegatam pecuniam denegent Sacramenta: eſſent enim ſic ſuis gravi ſcandalo ob ſpeciem Simoniæ, & gravi damno, negando ob modicam pecuniam media ſalutis. Proin nec exigant ante factas functiones divinas. Si tamen negetur his peractis, proſequi jus ſuum poſſunt apud Superiorem.

483. *In dubio cenſere potes te innocentem.* Reſp. 3. Si probabile ſit, non interveniſſe Simoniam, præſumere potes, te innocentem, & immunem ab omni pœna; quia in dubio delictum non præſumitur, & innocentia eſt in poſſeſſione, donec claræ, & evidentes probationes contra te afferantur. Et idem eſt, ſi merum ſit dubium. Quanquam Eccleſia, ubi verba ſunt dubia, in foro externo præſumit Simoniam in odium criminis adeò periculoſi, & familiaris, etſi civile tunc non præſumat uſuram; quia ab hac plures tituli excuſare poſſunt, nec

tam

tam communis eſt. Quòd ſi in hac materia, præſertim beneficiali, velis uti ſententiâ favorabili, relictâ tutiore, & rigidâ, conſultum eſt, ut in praxi utaris conſilio viri docti, & probi, qui, examinatis omnibus, judicet, an hic & nunc ob circumſtantias, vel intentionem actio ſit, vel non ſit ſimoniaca.

Colliges. Nullam conſuetudinem ab Eccleſiæ Prælatis diu permiſſam, facilè damnandam eſſe, ùt ſimoniacam, etſi primâ fronte talis appareat: plures enim tituli excuſare poſſunt. 484. *Conſuetudo permiſſa non facilè damnanda.*

1mus eſt titulus debitæ ſuſtentationis: etſi enim ſpiritualia dari gratìs Chriſtus præceperit, noluit tamen ſuis miniſtris negari ſuſtentationem.

2dus eſt. Labor extrinſecus.

3tius. Privatio libertatis ad alia opera exercenda, & emolumenti ex iis percipiendi.

4tus eſt. Conſuetudo adverſus Simoniam Juris Eccleſiaſtici.

5tus. Titulus liberalitatis, vel gratitudinis.

6tus. Redemptio vexationis.

CAPUT IV.

De pœnis Simoniæ.

QUÆSTIO I.

Quæ Pœnæ, & in qua materia ſint, Simoniacis ab Eccleſia ſtatutæ?

485. *Quæ ſint pœnæ?* Reſp. Pœnæ ſtatutæ ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, irritatio actûs, reſtitutio; ſtatutæ autem ſunt Simoniacis in materia beneficiorum Eccleſiaſticorum, in collatione, & ſuſceptione ordinum, ac ingreſſu religionis. In aliis materiis nullo jure inveniuntur ſtatutæ, quamvis per ſententiam judicis in vindictam criminis, etiam in aliis materiis commiſſi, infligi poſſint.

QUÆSTIO II.

Per qualem Simoniam prædictæ pœnæ incurrantur?

486. *Non incurruntur per purè mentalem.* Reſp. Per ſolam Simoniam communem, veram, formalem, realiter completam, & confidentialem, etſi realiter utrimquè non completam. Ita habet ſententia communis, & conſtabit ex dicendis.

Hinc 1mò non incurruntur per Simoniam ſolùm mentalem, quæ conſiſtit vel in actu merè interno, vel in actu ſimul externo, internum non manifeſtante; quia, cùm Eccleſia talia delicta cognoſcere nequeat; poteſtas ejus coercitiva ad illa ſe non extendit.

Nec

Nec. 2dò. Per Simoniam merè conventionalem, quæ nec pretio, nec mercis traditione completa, & perfecta eſt: Canones enim, quibus pœnæ in Simoniacos latæ ſunt ab Eccleſia, afferuntur verbis, quibus non puræ conventiones, ſed dationes, acceptiones, collationes, aliaſque actiones reales, conventionum executivæ, ſignificantur, ut videre eſt apud Suaretz hic n. 13. *Nec per merè conventionalem.*

3tiò. Nec per Simoniam (exceptâ confidentiali) ſemirealem, ſeu mixtam, quæ ſolius pretii traditione perfecta eſt, ut ſi tradita ſit pecunia pro beneficii, vel ordinis collatione, aut religionis ingreſſu, ſed necdum facta ſit collatio beneficii, vel ordinis, aut receptio ad religionem; quia res ſacra necdum irreverenter, & ſacrilegè contrectata eſſet; ſi verò res ſacra jam ſit collecta v. g. beneficium ordo; ſed pretium nondum ſolutum, an Pœnæ incurrantur, controvertitur. Affirmant Cajet Pirrh. & alii, eò quòd res ſacra jam ſacrilegè ſit contrectata, adeoque commiſſa Simonia realis completa, ſicut contractus venditionis eſt completus, ſi res ſit tradita, etſi pretium realiter non ſit ſolutum. Hoc non obſtante, negant probabilius Suar. Laym. Pinsfeldius, & alii, favétque, teſte Viva, Stylus Curiæ Romanæ; quia Canones decernunt pœnas in dantes, & accipientes, ſeu actiones mutuas, verſamurque in materia pœnali, in qua pars benignior eſt tenenda; quia odia ſunt reſtringenda, delictaque debent eſſe completa. Nec obſtat exemplum de venditione extra materiam pœnalem, extra quam leges non requirunt actiones reales mutuas, ſed ſufficit ſi pretium habeatur pro ſoluto. Addunt aliqui Simoni-

am necdum fore completam, etſi de pretio ſolvendo, datum eſſet chirographum; quia hoc non foret pretium. Idem dicit Raynaudus, & diana, ſi data eſſet moneta adulterina, eò quòd nec hæc eſſet pretium; contradicit tamen Suaretz quia hæc eſſet pretium ſaltem partiale ratione materiæ: ſufficit autem pretium ſaltem ex parte eſſe ſolutum v. g. 5. vel 10. ex centum promiſſis. Quod ſi autem pretium, pro ſpirituali E. g. pro beneficio promiſſum, nunquam, etiam ex parte, ſolveretur, ſicut proviſio probabilius valida foret; ita proviſus ante ſententiam judicis non teneretur fructus, ex beneficio ob ſpirituale miniſterium perceptos, reſtituere, utpote perceptos ex re ſua, quoſque feciſſet ſuos. Si verò poſt tempus, v. g. annum, aut menſes aliquot, pretium exſolveretur, proviſio corrueret, & pœnæ, excepta excommunicatione, in foro externo retro traherentur ad diem proviſionis; non tamen in foro conſcientiæ, unde proviſus ante ſententiam judicis non teneretur fructus interim perceptos reſtituere, quia perceptos ex re ſua. Secus dicendum de fructibus poſt pretium ſolutum perceptis. Leſſ. Caſtrop. La Croix n. 212.

4tò. Nec incurruntur pœnæ per Simoniam duntaxat materialem, ſi nempe nec proviſor, nec proviſus, nec aliquis tertius cooperans commiſerit Simoniam formalem, ſed omnes bonâ fide proceſſerint; quia, ubi ex nulla parte eſt delictum, pœna locum non habet: Pœnæ enim decretæ ſunt in vindictam delicti. La Croix n. 205.

5tò Nec incurritur Pœna aliqua per Simoniam fictam: Nam ſi fictio ſe teneat ex utraque

que parte, ut ſi patronus fictè promiſiſſet præſentationem ad beneficium Titio, & hic fictè promiſiſſet pecuniam, Simonia non eſſet; ſed ſacrilegum mendacium; ſi autem fictio teneret ſe ex parte unius tantùm, ut ſi promittens ſpirituale non haberet animum illud dandi, & alter ſincerè promitteret temporale; hic reus eſſet Simoniæ mentalis, non verò conventionalis, quæ requirit conſenſum utriuſque; alter autem reus eſſet ſacrilegi mendacii, ſi verò patronus, elector, vel collator ſincerè promitteret ſpirituale, & providendus fictè promitteret temporale, obtineretque beneficium eſſet Symoniacus ſecundùm dicta ſub n. 466. §. 5. Imò & pœnas incurreret, ſi poſtea daret temporale pro ſpirituali; quia eſſet Simonia utrimque completa realiter.

6tò. Denique non incurruntur pœnæ per Simoniam commiſſam in Sacramentis, excepto ordine, nec in conſecrationibus benedictionibus, diſpenſationibus jure Patronatûs, Vicaria temporali, in emenda, vendenda, redimenda penſione ſpirituali, non in beneficium erecta, nec in admittendo pro Miſſa pecuniam tanquam pretium, uti nec per commiſſam in pacto, quo Canonici, ſede Epiſcopali vacante, convenirent, ùt, qui tempore ſedis vacantis eligeretur Vicarius, emolumenta cum aliis partiretur. Idem eſt de Officialatu; quia etſi hæc licite vendi nequeant, non ſunt tamen beneficia Eccleſiaſticâ, V. n. 476.

QUÆSTIO III.

Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam, in ordinum ſuſceptione, collatione, & ingreſſu religionis commiſſam?

487. *Pœna ordinantis ſimoniacè.* Reſp. 1. Per Simoniacam ordinum collationem incurritur 1mo. Ab ordinante Simoniace excommunicatio, Papæ reſervata. 2dò, ſuſpenſio à collatione quorumcumque ordinum, imò & primæ tonſuræ. 3. Si hanc ſuſpenſionem violaverit, incurritur irregularitas, & à regimine ſuæ Eccleſiæ ſuſpenſio, nec non à perceptione omnium fructuum. 4. ordinans incurrit infamiam juris.

488. *Pœna ordinem ſuſcipientis ſimoniacè.* Reſp. 2. Simoniace ſuſcipiens ordines incurrit 1mo excommunicationem Papæ reſervatam. 2. Suſpenſionem ab exercitio ordinis ſuſcepti, & à ſuſceptione aliorum ordinum. 3. Si ſuſpenſionem violet, fit irregularis, & inhabilis ad beneficia. Has tamen pœnas nec ordinans, & ordinatus, incurrit, Simoniâ interveniente abſque culpâ propriâ: Ut ſi tertius dediſſet pecuniam præſentanti te ad ordines, vel Epiſcopo, te ignorante, non incurreres pœnam, uti nec Epiſcopus ſi, ipſo ignorante, data eſſet pecunia ad te promovendum ad ordines; quia pœnæ illæ ſunt cenſuræ, quæ ſine culpa propriâ non incurruntur videtur deciſum Cap. 11. *De Simoniacè ordinatis*, ubi dicitur: *De Simoniace ordinatis certum tibi non poſſumus dare reſponſum, niſi pleniùs cognoſcamus, qualiter fuerint ordinati: cùm quidam, licet ſecundùm quandam ſpeciem Simoniæ,*

moniæ, utpote ipſis ignorantibus, ſimoniacè ordinentur; poſſunt, quia Simoniaci non ſunt, in ſuis ordinibus remanere.

Dices: Innoc. III. Cap. *per tuas* 37. de Simoniacè ordinato, qui ſe in hoc aliquid illicitum egiſſe non intellexit, ait: *Niſi cum eo miſericorditer diſpenſatum fuerit, nec ad ſuperiores ordines aſcendere, nec in ſuſcepto ordine debet miniſtrare:* ergo ignorans incurrit pœnas per Simoniam merè materialem. ℞. N. conſeq. nam, ut rectè advertit Suar. Tom. 5. d. 31. Sect. 4. n. 40. in iſto ordinato non abfuit culpa, nec fuit ignorantia facti, ſed juris, ut liquet ex textu: Nam ipſe ordinandus commiſit actum Simoniacum, quo pecunia ſibi viam ad ordines præparavit, nec tamen intellexiſſe, ſe illicitum agere, dicebatur, uti ibidem dicitur, quæ eſt manifeſti juris ignorantia, in foro externo non tolerata; Unde ulterius dicitur, ignorantiam illam vel reipſa non fuiſſe probabilem, vel certe non fuiſſe præſumptam, ut talem, ac propterea non fuiſſe judicatam à culpa Simoniæ immunem.

Reſp. 3tiò. Simonia, per ingreſſum religionis utrimque completa, has inducit pœnas: 1mo eſt dans pretium pro eo, & recipiens, ſi ſit perſona ſingularis, incurrit excommunicationem, Papæ reſervatam; ſi verò recipiens ſit communitas, incurrit ſuſpenſionem, non quidem ab ordine, ſed ab officio capitulari, ſeu ab executione capitularis jurisdictionis & Eccleſiæ. 2dò. Simoniacè receptus jubetur expelli monaſterio, & in arctius intrudi, ubi de Simonia condemnatus fuerit. 3tiò. Tam dans, quàm recipiens fit infamis infamiâ juris. Verùm hæ pœnæ raró locum ha-

489. *Pœna ſimoniaci ingreſſus in religionem.*

habent; tum quia temporalia plerumque receptantur non tanquam pretium, ſed velut ſponte oblata, & Eleëmoſynæ ob paupertatem monaſterii, aut, ſi hoc ſit opulentum, pro recepti ſuſtentatione, vel dote.

Dixi: *Utrimque completa*; Intellige per pretii dationem, & profeſſionem, ſeu vota religioſa: Nam per hæc quis primum ingreditur religionem, & fit membrum ejus; per receptionem autem ad habitum conſtituitur tantùm in via ad ſtatum religioſum. Laym. hic n. 70. §. *duo addo*.

QUÆSTIO IV.

Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam communem in materia beneficiorum?

490. *Irritatio actûs* Reſp. Per illam, utrimque completam realiter; incurruntur hæ pœnæ: 1ma. Simoniaca nominatio, præſentatio, inſtitutio, electio confirmatio, collatio, admiſſio, & quæcúnque proviſio beneficii Eccleſiaſtici utrimque realiter completa, eſt probabilius, & juxta communiorem ipſo facto irrita; teneturque ſic proviſus ante omnem ſententiam judicis beneficium dimittere, fructuſque, utpote quos non fecit ſuos, velut malæ fidei poſſeſſor reſtituere, ſive adhuc exiſtant, ſive conſumpti ſint, aut etiam ex ejus culpa percepti non fuerint: Quia injuriam damnoſam fecit Eccleſiæ beneficii, vel iis, ad quos perveniſſent, ſi fuiſſent percepti. Dixi: *Probabilius*: Nam docent Navar. Felinus, & alii cum fagnano in

in Cap. *Nobis* de Simonia n. 67. non eſſe irritam ipſo facto, ſed irritandam V. n. 491.

2da. Tam recipiens, quam quicunque eò concurrens incurrit excommunicationem, Papæ reſervatam, non tamen ſuſpenſionem, quia hæc nullibi exprimitur. La Croix P. L. 1. p. 3. à n. 216. *Excommunicatio.*

3tia. Proviſus fit ipſo jure inhabilis per Extrav. cum *deteſtabile* ad idem beneficium obtinendum, non tamen beneficiis, legitimè obtentis aliis, ipſo facto privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante ſententiam judicis, declaratoriam criminis per Cap. ult. de *electione*. Nec obſtat conſtitutio S. Pii V. *Cùm primum*; quia in rigore majore non eſt recepta, quam quod inhabilitas ad alia beneficia incurratur tantùm per ſententiam judicis. Ita Suar. Laym. Pirrh. & alii. *Inhabilitas ad beneficia.*

Hæ pœnæ probabilius afficiunt, etiam Simoniam juris tantùm Eccleſiaſtici in materia beneficiorum: Uti ſi duo propriâ authoritate permutent beneficia; quia etſi illa non ſit Simonia ſtrictiſſimè dicta, cùm non vendatur ſpirituale pro temporali, eſt tamen vera Simonia, & in jure Simonia juris divini, & humani æquiparantur quoad pœnas. Oppoſitum tenent probabiliter apud La Croix n. 212. Leſſ. Sanch. Palao; quia non eſt Simonia proprie; ſed analogicè dicta; odioſa autem non ſunt extendenda. Excipiunt tamen, et hi cum aliis Simoniam confidentialem. Item ſi detur aliquid gratis officialibus Epiſcopi occaſione ſuſceptorum ordinum, vel teſtimoniorum, aut dimiſſorialium, ubi decretum Tridentini Seſſ. 21. Cap. 1. de *Reformatione* in vigore eſt.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quæ pœnæ incurrantur per Simoniacam promotionem per tertium ad beneficium?

491. Reſp. Si quis promotus, vel promovendus ſit ad beneficium, Simonia interveniente per tertium v. g. pretio dato à parente, amico, vel alio tertio, diſtinguendum eſt: nam 1mò, Si promotus nullo modo ſciverit, quod tertius Simoniacè ſibi procuraverit beneficium ideoque non contradixerit, non incurrit quidem excommunicationem; quia hæc non incurritur ab innocente ob culpam alienam; proviſio tamen juxta communiorem nulla eſt; quare juxta hanc proviſus, receptâ promotionis ſuæ Simoniacæ notitiâ, tenetur ante omnem ſententiam vel petere diſpenſationem, vel beneficium, niſi juſta cauſa mali gravis imminentis excuſet, dimittere, fructúſque beneficiales, quia ex re non ſua perceptos, reſtituere, iis exceptis, quos ut bonæ fidei poſſeſſor conſumpſit, nec in æquivalenti exiſtunt, &, qui reſpondent ejus miniſterio, bonâ fide præſtito, ut ſunt præſentiæ; quia dignus eſt operarius mercede ſua ſumitur ex Cap. *ſicut tuis* 33. de Simonia, & cap. ultimo de Electione: Neque ſic punitur innocens; nam annullatio proviſionis non eſt privatio boni acquiſiti, ſed excluſio à bono acquirendo, nec ſtatuta, eſt in pœnam innocentis, ſed in odium delicti, ut labes Simoniaca eò magis propulſetur, & & mediatores ſacrilegi efficacius deterreantur, ſcientes, irritos eſſe conatus ſuos impios. Si tamen

Quid ſi proviſus non ſerverit.

tamen ſic promotus bonâ fide per triennium poſſediſſet beneficium, hoc per regulam Cancellariæ de triennali poſſeſſione retinere poſſet, cum fructibus etiam formaliter, & in ſe exiſtentibus, quia ipſe nec intruſus eſt, nec ingreſſus ejus ex parte ipſius fuit ſimoniacus. La Croix L. 4. n. 715. & 689.

Dixi 1mo. Proviſio juxta communiorem nulla eſt: Nam Navar. Ugol. Adrianus, Baunius apud La Croix L. 3. P. 1. n. 210. Item Felinus, & alii cum Fagn ſupra citati, tenent proviſionem eſſe validam, & tantùm infirmandam per ſententiam judicis; quia non eſt invalida jure naturæ, uti oſtendit Suar. cap. 57. n. 15. nec jure Eccleſiaſtico, cùm oſtendi non poſſit textus clarus irritans, imò faveat textus Capite. *Nobis* de Simonia 27. ubi ſic habetur: *Niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in illius diſpendium, qui eligendus erat, id malitiosè feciſſe, quamvis ipſo tempore promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam Simoniacâ pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda.* Ubi electio non dicitur irrita; ſed irritanda ob præſumptam Simoniacam pravitatem. Reſpondent prioris ſententiæ Patroni, ſenſum illius textus eſſe, quod electio de ſe nulla, ſit ut talis declaranda, qui ſenſus, inquit Laymann, non infrequens in jure eſt, ut actus in uno loco dicatur irritus, in alio irritandus, ſeu declarandus irritus: Sed hæc expoſitio non convincit, tum quia cum controverſia ſit in materia odioſa, clarus textus afferendus eſt, ad reſtringendum certò jus naturæ, qui dicat actum eſſe irritum vel nullum; tum quia in jure contractus metu injuſto gravi extorti dicuntur in-

invalidi, & tamen ſunt tantum irritabiles uti Cap. *eum locum* deſponſalibus Reg. juris 116. &c, ne reſtringatur jus naturæ; ergo cùm habetur clarus textus, actum eſſe irritandum, dicendum non eſt; eſſe irritum, præſertim cum verſemur in materia odioſa. Hinc rectè videtur dixiſſe Leſſ. hanc ſententiam eſſe probabilem.

Dixi 2dò. *Niſi juſta cauſa mali gravis imminentis excuſet*: Nam, ut habet La Croix n. 226. ſi Simonia ſit occulta, & adſint circumſtantiæ gravis infamiæ, certò aliàs incurrendæ, non videtur eſſe obligatio beneficium dimittendi, vel in ſe exequendi alias Simoniæ pœnas: Uti enim habet communis ſententia leges humanæ de ſe non obligant, quando periculum eſt gravis infamiæ vel alterius gravis damni incurrendi: Unde docet Sanchetz in Conſ. L. 2. C. 1. d. 34. n. 14. Quando defectus eſt occultus, & ex petitione diſpenſationis, vel dimiſſione beneficii magnum damnum ſtatûs, vel famæ ſequeretur, poſſe retineri beneficium, quod à potiori valet, ſi proviſus inſcius malæ proviſionis bona fide beneficium poſſideat. Et in hoc caſu videtur promotor Simoniacus poſſe tacere, & permittere, ut promotus bona fide poſſidens beneficium per triennalem poſſeſſionem præſcribat.

Quid ſi promotor ex malitia egerit

2dò. Si tertius fraude, vel ex malitia alicui Simoniace procuravit beneficium, ut illum inhabilem redderet ad illud obtinendum, proviſio eſt valida, nec inhabilitas ad alia incurritur. Conſtat ex Cap. *Nobis* proximè citato.

Quid ſi promotus contradixerit?

3tiò. Si promovendus, vel promotus nihil ſcivit, attamen timens, vel ſuſpicans, à tertio com-

committendam, aut commiſſam eſſe Simoniam in ſui ad beneficium promotione, contradixit, poſtea autem, depoſitâ ſuſpicione, bona fide admiſerit beneficium, ſubſiſtit proviſio, etſi poſtmodum ſciret commiſſam eſſe Simoniam. Habetur clare Cap. *Si tuis* 33. de Simonia, ſupra citato, quia, cùm contradixerit, non præſumitur Simoniacus

4. Si autem ſciverit, ab alio ſibi viam Simoniacè v. g. per pecuniam ad beneficium parari, & non contradixerit, vel ſua contradictione non obſtante, alter illi ſic beneficium procuraverit, & ipſe ſciens acceptaverit, pro viſio eſt irrita, quia admittendo beneficium cooperatus eſt ad Simoniam vel ſaltem quoad executionem complevit illam. *Quid ſi ſciens beneficium acceptavit.*

5. Si ignarus ante Simoniæ, & poſtea ſciens, eam interveniſſe, refundat tertio pecuniam, ante beneficium obtentum, proviſio eſt irrita, quia conſenſit in Simoniacam proviſionem, & eam ex parte ſua complevit. Nec juvat quod fortè contradixerit, quia refundendo pecuniam contradictionem revocavit, & erga pecuniam accepit beneficium. *Aut pecuniam refundat ante obtentum beneficium*

6. Si obtento jam valide beneficio v. g quia contradixit, & bona fide proceſſit, dein autem reſciens, ſe à tertio Simoniace eſſe promotum, refundat pecuniam, à tertio datam, an incurrat pœnas diſtinguendum eſt: Nam ſi, factum non approbando, eam refundat, ne videatur ingratus, aut tertius damnum patiatur, non eſt Simoniacus, nec pœnas incurrit, quia refuſio pecuniæ, eò fine facta, mala non eſt, ſicut malum non foret, ſi Pater debita, à filio malè contracta, ſolveret. Suar. Leſſ. La Croix. Item foret ſi vi coactus pecuniam *Aut poſt obtentum?*

cuniam refunderet, tum enim tantùm eſſet redemptio vexæ, ſi verò approbando ſacrilegum tertii factum, refunderet, contraheret quidem malitiam Simoniæ; an autem pœnas incurreret, controvertitur negat probabiliter Leſſ. & alii, quia contractus eſt utrimque jam ante realiter completus, cumque contradixerit, proviſio eſt valida, & per actum, iſti contractui ſupervenientem invalidari non poteſt: Contra affirmant S. Th. & Marchantius, dicuntque beneficium eſſe dimittendum, & fructus reſtituendos, qui poſt refuſionem pecuniæ ſunt percepti. Hæc ſententia videtur P. La Croix probabilior, eò quòd conſenſus ille, & refuſio ſit pars pacti Simoniaci, quia tertius egit nomine proviſi, deditque pecuniam, tanquam ab ipſo refundendam, ideoque conſenſus ejus, & refuſio ſupponebatur futura, ergo refundendo pecuniam abſolvit, & complet contractum. Sed cùm proviſus ſeriò, ut ſupponitur, contradixerit, non apparet, quomodo nomine ejus Sacrilegus machinator agere potuerit, eumque obligare contra voluntatem ſuam ad refuſionem pecuniæ, conſequenter per refuſionem, mutatâ jam voluntate factam, non complevit contractum jam ante abſolutum; nec factum ratificavit: Nemo enim ratum habere poteſt, quod ipſius nomine geſtum non eſt hoc ut non poteſt reputare ſuum.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam confidentialem?

Reſp. Incurruntur hæ. 1ma: Si Simonia, dato, & accepto beneficio; ſit completa, etſi proviſus conditionem necdum impleverit, ab utroque contrahente incurritur excommunicatio, Papæ reſervata. 2da. Collatio, & reſignatio beneficii, in quo illa Simonia eſt commiſſa, eſt irrita. 3tia. Sic proviſus fit inhabilis ipſo facto ad idem beneficium poſtea obtinendum. Item uterque ad beneficia alia quæcunque obtinenda. Leſſ. tamen & Caſtrop. Pa. 25. n. 8. probabiliter docent, inhabilitatem non induci ipſo facto ad alia beneficia; eò quod uſus habeat, ut requiratur ſententia ſaltem declaratoria criminis. 4ta. ſic proviſus privatur omnibus beneficiis ante rite obtentis, non tamen, niſi accedat ſententia judicis, quia quando quis in pœnam privatur re ſua, non tenetur eam ante exequi in ſe. Aliæ pœnæ juxta communiorem cum Suar. incurruntur ipſo facto. Tann. tamen & alii cum diana P. 11. T. 6. Reſ. 20. negant ullam pœnam præter excommunicationem ipſo facto incurri per hanc Simoniam. Inſuper Nav. Sa. Garc. apud Laym. L. 4. Tr. 10. C. ult. n. 77. docent renuntiantem beneficium, ipſum non amittere ipſo facto; ſed requiri ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, quia renuntiatio eſt irrita, adeoque renuntians manet in poſſeſſione. Nec obſtat conſtitutio Pii V. loquitur enim non de renuntiantibus, ſed de acquiren- 491.

Excommunicatio, & nullitas actus.

Inhabilitas ad beneficia.

tibus beneficium, & obtentionem beneficii declarat prorſus irritam, 5ta. Concurrentes ad hanc Simoniam ipſo facto incurrunt excommunicationem, non prius tamen, quam Simonia ſit utrimque realiter completa. La Croix n. 224. 6ta. Si confidentiarii ſint Epiſcopi, vel cardinales incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, non verò excommunicationem. 7ma. Fructus à tali proviſo: à die commiſſæ Simoniæ percepti, reſtituendi ſunt, & applicandi cameræ Apoſtolicæ. 8va. Denique beneficium per confidentiam reſignatum reſervatur Papæ, id quod tamen, teſte Pichler, per concordata Germaniæ in his partibus locum non habet.

Hactenus dicta de pœnis Simoniæ procedunt, quamvis unus tantum elector, vel Patronus &c. Sive ex ſe, ſive à tertio corruptus Simoniacè concurriſſet ad electionem; præſentationem aut, quamcunque proviſionem aliam, idque probabiliter contra Panorm. Garc. Caſtroph. etſi pars major Capituli jam ante illum ſua vota electo contuliſſet: Nam etſi in illam electionem non influxerit, influit tamen in communem per conſenſum in publicationem electi, ac in executionem, & confirmationem, quæ fit intuitu omnium votorum, & confert jus in re.

QUÆSTIO VII.

493. *Quando Simonia repugnet justitiæ?*

An, & cui reſtituendum ſit pretium Simoniacè acceptum?

Nota: Simonia quandoque repugnat ſoli religioni, quandoque religioni ſimul, & juſtitiæ:

ſtitiæ : Huic ſimul repugnat, quando emptor rei ſpiritualis nihil accipit temporale, pretio æquivalens, à vendente vel procurante beneficium, aliamve rem ſpiritualem; ſi verò temporale, pretio æquivalens, accipiat, repugnat quidem religioni, non tamen juſtitiæ modò non ſit aliunde ex juſtitia debitum. Hoc notato.

Reſp. 1. Qui accepit pretium pro re merè 494.
ſpirituali, non connexa cum commodo temporali, quod ab ipſo in emptorem redundet, ſitque indebitum ex juſtitia v. g. pro reliquis Sacramentis collatis &c, tenetur jure naturæ ante omnem ſententiam illud reſtituere illi, à quo accepit. Ratio eſt ; quia res ſpirituales ſunt ſupra omne pretium, adeoque invendibiles pretio temporali. & Eccleſiæ miniſtri non ſunt domini rerum ſpiritualium; ſed tantùm cuſtodes, & adminiſtratores : Quare vendens eas pretio temporali nihil in emptorem transfert de ſuo, illi æqui valens, adeoque peccat contra juſtitiam commutativam, quæ exigit, ut reducatur æqualitas. Si autem in emptorem redundet quidem temporale ; ſed aliunde ex juſtitia debitum, jam venditori deeſt titulus accipiendi aliquid pro ſpirituali, nihilque dat de ſuo.

Pretium pro re merè ſpirituali acceptum reſtituendum eſt danti.

Reſp. 2. Qui verò accipit pretium pro re 495.
non mere ſpirituali, quæ conjunctum habet temporale pretio æſtimabile, non tenetur ante ſententiam judicis ad reſtitutionem pretii, ſi hoc non excedat temporale annexum. Ratio eſt ; quia cùm accipiat æquivalens, ſalva manet juſtitia, ſi vero pretium excederet temporale, obligatio eſſet reſtituendi exceſſum ob violatam juſtitiam commutativam. Hinc non

Non verò datum pro temporali adjuncto datum.

tenetur ad reſtitutionem pretii 1. Qui vendidit paramenta Eccleſiæ, roſaria, numiſmata benedicta, vaſa ſacra pretio materiam non excedente; quia ejuſmodi valorem ſuum intrinſecum, ob benedictionem non amiſerunt. Idem eſt de reliquiis, auro, vel argento ornatis, vel thecæ pretioſæ incluſis, ſi non accepit pretium excedens temporalia. 2. Nec jure naturæ, qui vendidit officium ſæculare Eccleſiæ v. g. advocati, ſyndici, diſpenſatoris, Sacriſtæ pretio non excedente; quia etſi Simoniam juris Eccleſiaſtici commiſerit, ſi illa officia per clericos exerceri ſoleant, poſſitque in pœnam delicti per judicem privari pretio, attamen; cùm ſe privaverit emolumento temporali erga pretium tantùm æquivalens, contra juſtitiam non peccavit. Nec 3tiò. Qui vendidit bona, vel caſtrum cui annexum fuit jus patronatus, & pretium excedens tantùm accepit pro honore humano redundante in emptorem: quamvis enim ſit Simoniæ reus, cum honor ille fundetur in ſpirituali, juſtitiam tamen non violavit, ſi pretium non excedat honorem, & caſtri, vel bonorum valorem. 4tò. Nec tenetur ante ſententiam judicis reſtituere monaſterium præſertim pauper accepta pro admiſſione ad religionem, ſi admiſſus in monaſterio maneat, quia licet admiſſa fuerit fortè Simonia, cùm receptio ſit actus ſpiritualis, plerumque tamen ratione alimentorum retineri poteſt, modo in uſum communem convertatur. Cæterùm rarò, ut dixi ſupra, in his partibus committitur Simonia in receptione ad religionem, quia temporalia velut Eleëmoſyna, vel pro ſuſtentatione, vel tanquam legitima recepti accipiuntur.

Reſp.

Reſp. 3. Qui beneficium Eccleſiaſticum contulit, ad illud præſentavit, elegit, & quomodocunque illud per Simoniam injurioſam pro pretio temporali procuravit, tenetur ante omnem ſententiam judicis pretium, pro eo acceptum, reſtituere tum jure poſitivo Eccleſiaſtico, tum probabilius etiam jure naturæ. Ita Suar. Cap. 50. n. 16. Pirr. n. 178. & alii hodiedum plerique. Ratio 1mæ. Partis eſt; quia jure Eccleſiaſtico actiones illæ ſunt invalidæ, adeoque nullo pretio æſtimabiles, & eodem jure pretium accipiens inhabilis eſt ad acquirendum ejus dominium. V. Leur. P. 3. Q. 755. Ratio 2dæ Partis eſt, quia, ut conſtat ex damnata ab Alexandro VIII. ordine 22. juſtitiæ repugnat beneficia non conferre gratis; cujus ratio eſt, quia accipiens pretium temporale pro beneficio nihil viciſſim alteri confert de ſuo, pretio æſtimabile: non enim confert fructus, qui necdum exiſtunt, nec ad ullum in particulari pertinent, niſi præſtito officio, ſeu functione ſpirituali, ſed reſpondebunt præſtitis beneficiarii functionibus; nec confert jus ad illud, cùm ejus non ſit Dominus, illudque ſit vel ſpirituale; vel in ſpirituali fundetur, illique ſit inſeparabiliter annexum, ita ut unum ſine altero vendi nequeat: proinde nihil eſt in beneficio, quod ſit vendibile. 496. *Acceptum pro beneficio reſtituendum eſt.*

Reſp. 4. Pretium Simoniacum, acceptum pro Beneficio Eccleſiaſtico, aliave re merè ſpirituali ſpectato jure naturæ reſtituendum eſt illi, à quo acceptum eſt, quia per ſe, & lege vel ſuperiore aliud non ſtatuente, reſtitutio titulo injuſtæ acceptionis facienda eſt illi, qui per injuriam læſus eſt, ſed in præſenti caſu 497. *illi, qui dedit.*

læſus ſic eſt, à quo pretium acceptum eſt ergo. Atque hoc magis patet, ſi beneficium, vel res ſpiritualis, dato pretio, necdum ſit accepta: tum enim nullus vel apparens eſt titulus pretium retinendi, cùm illud accipiens dominium ejus non acquiſiverit, & dans id non amiſerit utpote necdum completa realiter Simonia.

Dixi: *Spectato jure naturæ:* nam judicem per ſententiam in criminis vindictam poſſe ſtatuere, ut pretium detur Eccleſiæ, vel pauperibus, extra dubium eſt: An autem ad id ſit obligatio ex lege Eccleſiaſtica ante ſententiam judicis controvertitur; ſuntque variæ ſententiæ: Nam 1mo S. Th. 22. q. 32. a. 7. & q. 62. a. 5. ad 2. 1. Alii docent pretium pro beneficio Simoniacè acceptum, ubi Simonia utrimque completa eſt, dandum eſſe pauperibus ante omnem judicis ſententiam 2dò. Alii volunt, dandum eſſe Eccleſiæ, cui injuria facta, fundant ſe in Cap. *de hoc* & Cap. *Audivimus* de Simonia. 3. La Croix ait pretium datum pro divina gratia v. g. abſolutione Sacramentali erogandum eſſe pauperibus; datum verò pro collatione ordinum, ſi excedat id quod pro ſuſtentatione juſte exigi poterat, reſtituendum eſſe illi, qui dedit, eo quod jus poſitivum circa hoc nihil ſtatuerit. Leſſ. d. 31. Laym. L. 4. Tr. 10. C. ult. §. 9. tenent ſi res ſpiritualis ſit tradita, & Simonia utrimque completa pretium eſſe dandum Eccleſiæ, non danti, eò quòd Eccleſia utrumque punire intendat. Denique Sotus, Bannerz Shoter Pichler, aliique multi Recentiores univerſim dicunt, antequam judex aliud ſtatuat, pretium reſtituendum eſſe, aut ſaltem poſſe

poſſe reſtitui, illi à quo cum injuria damnoſa acceptum eſt. Ratio eſt quia ſtandum eſt jure naturæ, niſi oſtendatur clare, aliter jure poſitivo ſtatutum eſſe, hoc autem non oſtenditur, uti patebit adeunti, & expendenti citata capita; jure autem naturæ debetur injuriam paſſo, ſeu pretium danti Hic enim retinuit ejus dominium. Si dicas: Eccleſia privat illum dominio. Reſpondet: privatio illa non fit niſi per legem pœnalem, quæ neminem ante ſententiam ita privat re ſua, ut ejus dominium amittat. Hæc ſententia probabilis eſt.

Dices; Dans pretium dedit illud voluntarie, voluitque dominium transferre in promotorem; ergo non eſt obligatio id ipſi reſtituendi. Reſp. Dedit illud voluntarie, & transferre dominium voluit, quatenus id ex juſtitia debuit & alter habere potuit C. Ans. Secùs N. Ans, & coam. Ex juſtitia autem illud non debuit, nec promotor capax fuit dominii acquirendi: Unde voluntas effectum non habuit; Ubi enim cauſa donandi non ſubſiſtit nec ſubſiſtit donatio. Si dicas: cauſa dandi eſt completa per collationem beneficii. Reſp. Eſt completa quaſi materialiter, non verò formaliter, ut tali pretio æſtimabilis, & ſufficiens ad pretii exactionem, vel retentionem juſtificandam. Imo ſi darem, transferri dominium, hoc tamen tam debile foret, ut id accipiens teneretur reſtituere ad reparandam injuriam.

Reſp. 5. Fructus ex beneficio reſtitutioni obnoxii ante omnem ſententiam reſtituendi ſunt vel Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, vel ſucceſſori ſi injuriam damnoſam paſſus eſt v. g. in præſentatione, electione; quia fructus illi ad Simoniace promotum nunquam pertinuerunt. 498. *Fructus reſtituēdi ſunt Eccleſiæ.*

QUÆSTIO VIII.

An ſpiritualia Simoniace accepta ſint reſtituenda?

Reſp. Nulla ſpiritualis (exceptis beneficiis,
499. & officiis Eccleſiaſticis,) ſub quibus Leſſ. com-
Proba- prehendit penſiones ſpirituales, eò quòd ſit
biliter eadem ratio (quæ conformiter dictis ſunt di-
nulla ex- mittenda) ab habente legitimam poteſtatem
ceptis tranſlata in capacem ea acquirendi, ſunt ante
benefi- ſententiam judicis reſtituenda quia Canones id
ciis. non ſtatuerunt, ſique in conferente ſpiritualia ſit poteſtas, & abſoluta voluntas ea transferendi, & capacitas acquirendi in recipiente, nihil deeſt ad tranſlationem dominii requiſitum. Sic 1mò ante ſententiam judicis, is, qui Simoniace eſt admiſſus ad religionem, non tenetur eam deſerere. 2do. Qui emit vaſa ſacra, paramenta, roſaria benedicta, caſtrum, cui annexum eſt jus patronatûs pretio, temporalia excedente ſi exceſſus ſit exiguus, non tenetur reſtituere illa, quia cenſetur voluiſſe ſimpliciter emere rem, quæ in venditione principale eſt, quod ratio ſacri ſequitur velut acceſſorium. Ita Viva in Mor. 3. Nec, qui emit ſacras reliquias, ab habente poteſtatem legitimam eas alienandi, eſtque capax eas poſſidendi. Ita Suar. & alii, quia licet contractus ille ſit jure naturæ irritus; traditio tamen effectum habet, & dominium transfert & fideles jus habent, ſpiritualia accipiendi gratis, ſi iis conferantur, ſicque tranſlatio non repugnat juſtitiæ, ut repugnat tranſlatio pretii. Sicut inquit Suar. ſi hæres ex voluntate teſtatoris deberet

beret pauperi puellæ gratis dare dotem ex hæreditate, & is non daret, niſi interveniente aliquo pretio, puella acquireret dominium dotis, non tamen hæres dominium pretii.

Si Dicas: Sic Dans pretium habebit reliquias, & ſimul pretium recipiet. Reſpondet Suar. Id non eſſe inconveniens; quia recipiens pretium recipit, quod ſuum manſit, reliquias autem ex ſuppoſito, quod tradantur, debuit habere gratis. Reſpondent Layman, Pichler Leſſ. ſi reſtituatur pretium, reſtituendas eſſe reliquias, aliaſque res ſpirituales, eò quòd non vendantur niſi ſub modo, & conditione habendi pretium vendénſque alligaverit voluntatem iſti conditioni licet injuſtæ, ſicut dans pretium pro beneficio Eccleſiaſtico non dat niſi ſub cauſa ut habeat beneficium. diſparitatem dat Suar. quia dans pretium pro re ſpirituali eſt hujus capax, potuitque illi accipiendæ tanquam cauſæ, non injuſtæ, alligare ſuam voluntatem, accipiens autem pro re mere ſpirituali pretium non eſt hujus capax, nec potuit voluntatem ſuam transferendi dominium cauſæ injuſtæ, utpote nulli, alligare. Aliam rationem dat Schmaltzgrüber: Conditio de habendo pretio, inquit, quia turpis eſt, habetur pro non adjecta; ſed hoc negant alii, quia illa juris diſpoſitio locum tantùm habet in ultimis voluntatibus, & matrimonio.

QUÆSTIO IX.

Quis poſſit abſolvere à pœnis Simoniæ vel in iis diſpenſare?

Reſp. 1. à ſuſpenſione, & excommunicatione, *Papa*, & 500.

quandoque Episcopus. tione, ſi notoria ſit, vel ad forum contentioſum deducta abſolvere poteſt ſolus Papa ; Epiſcopi verò, & religioſi mendicantes per ſua privilegia, ſi ſit occulta, & ad forum contentioſum non deducta. Diſpenſare autem ſuper inhabilitate ad idem beneficium quis poſſit, diſtinguendum eſt : Nam ſi promotus ſcivit, & ſaltem tacitè conſenſit in ſuî promotionem Simoniacam juxta communiorem diſpenſare poteſt ſolus Papa, etſi Simonia eſſet occulta, ita La Croix. Poſſe tamen etiam tunc diſpenſare Epiſcopos, docent probabiliter Henriq. Sanch. Leſſ. Caſtrop. Si autem promotus non ſciverit, & bona fide proceſſerit, iterum diſtinguendum eſt : Nam ſi beneficium ſit curatum, vel prælatura, ſeu dignitas, pro illa vice ſeu, ut promotus beneficium retineat, diſpenſare poteſt ſolus Papa ; Epiſcopus verò (niſi promotus condemnatus ſit per publicam ſententiam) diſpenſare poterit pro alia vice, ubi nempe per mortem alterius, ad idem beneficium promoti, hoc iterum vacaverit ; ſi vero beneficium ſit ſimplex idque Simoniacè promotus in manus Epiſcopi libere reſignaverit, poteſt Epiſcopus eum eodem diſpenſare, eique id ſtatim iterum conferre. Ita La Croix n. 229. Denique ſuper inhabilitate ad alia beneficia obtinenda diſpenſare poteſt ſolus Papa, ſi per Simoniam promotus ſit per publicam ſententiam condemnatus : Si autem nulla adhuc ſententia præceſſerit, diſpenſare poterit Epiſcopus, dummodo beneficium, ad quod Simoniace promotus eſt, in manus ejus libere id eſt non compulſus à judice, dimiſerit. Ita Caſtrop. d. 3. pu. ultimo Pirrh. L. 5. Tit. 3. à n. 171. & alii. Qui notant nullam eſſe præſcrip-

ſcriptam formam ad diſpenſandum in pœnis Simoniæ. Hinc perinde eſt, quibus verbis utatur manifeſtando ſuam voluntatem quam habet tollendi talem pœnam. Si Papa in Bulla confirmationis dicat ſe ſopplere omnes defectus v. g. in electione commiſſos, non ſanat vitium, Simoniæ, ſed tantum intelligit defectus, fortè in forma electionis alioſve ſimiles commiſſos: Nam per defectus non intelligitur Simonia, quam Eccleſia nominat immane, deteſtabile, horribile ſcelus, cui cætera comparata, quaſi pro nihilo reputantur.

QUÆSTIO X.

An, obtentâ diſpenſatione in pœnis Simoniæ, poſſit Simoniacus retinere beneficium ſine nova collatione?

Reſp. Si diſpenſans ſit collator beneficii opus non eſt nova collatione; quia diſpenſando in pœnis, inter, quas eſt nullitas actûs, ſanat vitium collationis: Si autem is non ſit collator ſed alius, Gonzaletz, & alii novam requirunt collationem, quia prior irrita fuit, nec convaleſcit, niſi voluntate collatoris. E contra Suar. La Croix & alii, rejectâ illâ limitatione, abſolutè affirmant, opus non eſſe nova collatione, dummodo vitium ſit occultum, & collatio prior non fuerit contra jus alterius ſimul electi, vel præſentati, aut propter illum injuſte excluſi. Rationem dant, quia tunc cenſetur moraliter perſeverare voluntas collatoris, quæ ſublato impedimento, vim ſuam habet, atque ita collatio convaleſcit, ſi tamen proviſus fuiſſet preterea intruſus, etiam intruſio pur-

501. *Probabiliter opus non eſt.*

purganda eſſet, hac autem ſublata cum altero vitio, probabiliter opus non eſſet nova collatione. Ita La Croix L. 4. n. 232. Caſtrop. Pirhing ſupra.

502. *Quis dicatur intruſus* Porro intruſus dicitur in genere, qui accipit, vel retinet beneficium ſciens, ſibi nullum jus competere in illo; ſed ſtrictius loquendo intruſus dicitur. 1mò. Qui ſine authoritate veri collatoris immiſit ſe in beneficium. 2. Qui ſine titulo ſe ingerit in ejus adminiſtrationem. 3. Qui electus quidem, ſed necdum confirmatus beneficium adminiſtrat. 4. Qui abſque legitima inſtitutione fructus ejus percipit. 5. Qui per ſententiam amotus à beneficio id retinet, niſi ab illa juſtè appellet. 6. Qui id retinet, dum eo ipſo jure privatus eſt. Si tamen propter crimen eo privatus ſit, requiritur ſententia declaratoria criminis. 7. Qui excommunicatus, vel ſuſpenſus, aut interdictus beneficium accepit. 8. Qui titulum canonicum habens Violenter occupavit beneficium. 9. Qui poſſeſſionem beneficii accepit necdum expeditis à Papa literis, ſed ſola ſupplicatione ſignata: Quamvis enim per ſolam ſignaturam perficiatur gratia, nec ſemper opus ſit ſcripturâ; hic tamen eam requirunt novæ Pontificum conſtitutiones. Ita Caſtrop. Tr. 13. d. 2. pu. 33. Lugo de Juſt. d. 7. n. 133. & alii communius contra Sanch. in Conſ. L. 2. c. 2. d. 21. Si dicas: Collatio Simoniaca ab initio fuit irrita; ergo non convaleſcit: Quod enim ſemel eſt irritum tractu temporis non convaleſcit.

Reſpondetur: fuit quidem collatio, ſeu voluntas tam conferentis, quàm recipientis irritata extrinſeçe, & jus non tranſtulit ab initio,

non

non tamen irrita poſitive & intrinſecè ſed conſenſus fuit verus, qui ſi moraliter perſeveret ſublato impedimento extrinſeco vim ſuam obtinet, & jus transfertur. Ad probationem ſimiliter reſpondetur: Quod fuit irritum ab initio intrinſece, & poſitive, aut etiam tantum extrinſece, manente impedimento extrinſeco, non poteſt convaleſcere tractu temporis; poteſt tamen irritum tantùm extrinſece, impedimento ſublato, convaleſcere.

Ex hoc fundamento Krimer L. 4. Decret. de Matrim. n. 547. Docet ad validandum Matrimonium coram Parocho, & teſtibus ob latens impedimentum v. g. conſanguinitatis, aut affinitatis ignoratæ, invalide contractum non requiri novum conſenſum, ſed ſufficere, quod antecedens moraliter perſeveret, & impedimentum ſit ſublatum; quia conſenſus ille fuit verus, conſtituens, quantum eſt de ſe contractum, & tantùm extrinſece per legem Eccleſiæ irritus, quatenus jus in corpora contrahentium non contulit; conſenſus in conjugibus, qui ſe ut conjuges tractant, facile perſeverat moraliter. Secus foret ſi ſine forma Tridentini, ubi hæc requiritur, contractus fuiſſet initus, quia deeſſet forma ſubſtantialis, in qua non diſpenſatur, P. La Croix L. 6. p. 3. n. 812. Dicit ſententiam Patris Krimer tenendam non eſſe, eò quod contractus ab initio fuerit irritus; at idem verùm eſt de Simoniaca collatione beneficii juxta ipſum, & tamen non requirit novam collationem illius. Nihilominus cùm incertum ſit, an matrimonium ſic revalidetur in praxi ſaltem extra caſum neceſſitatis, ſententia illa tenenda non videtur, ne, ſi reipſa falſa ſit, putati conjuges vivant, 503. *Matrimonii revalidatio.*

in

in perpetuo pellicatu, ſaltem materiali aut etiam, ex conſcientia erronea, in formali ad tempus, ſi utrique, aut uni innoteſceret impedimentum. & nullitas matrimonii. De triennali beneficii poſſeſſione Vide La Croix L. 4. n. 689. 703. 714. 716.

Profeſſio Fidei Catholicæ ex forma à Conc. Trident. præſcriptâ?

EGo N. N. firmâ fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & Incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam, ſanctam, catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum,

&

& vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta novæ legis à Chriſto Jeſu Domino noſtro inſtituta atque ad ſalutem humani generis, li èt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium; illaque gratiam conferre & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto: omnia & ſingula, quæ de peccato originali & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio: Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia *tranſſubſtantiationem* appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animaſque ibi deten-

detentas fidelium ſuffragiis juvari: Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti ac Deiparæ ſemper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro: Cætera item omnia à ſacris Canonibus & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo: hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere & confiteri; atque à meis ſubditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quantùm in me erit, curaturum, ego idem N.N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia: *In principio erat Verbum &c.*

O. A. M. D. G.

Emen-

Emendanda in 2da Parte.

Pag. 140. lin. 15. à fine, ſed hæc (*addantur omiſſa*) vix ſimul aderunt omnia.
Pag. 145. lin. 11. militia pro *malitia*.
Pag. 268. lin. 3. ſi ſuſtinebimus, pro *niſi*
Pag. 298. lin. ult. eſt nunc pro *tunc*.
Pap. 314. lin. 11. à fine præſcindendo etiam,
Pag. 350. lin. 14. poſt & uſum deleatur *jus gentium*.
Pag. 381. lin. 3. à fine fæx pro *fax*.
Pag. 391. lin. 1. ad Deum.
Pag. 406. lin. 7. à fine recitante pro *recitatione*.
Pag. 434. lin. 14. concurrit pro *occurrit*.
Pag. 523. lin. 11. à fine alium pro *alienum*.
Pag. 543. lin. 7. non reſervata pro *non ſervata*,
Pag. 570. lin. 1. à Monaſteriis pro *in*.
Pag. 615. lin. 5. à fine officio præſtito pro *imo*.
Pap. 650. lin. 7. à fine non munita deleatur *non*,
Pag. 700. lin. 11. à fine circa jus pro *citra*.
Pap. 732. lin. 21. non habens pro habens.

APA 2134

Digitized by Google

Digitized by Google